Templum spirituale
SACERDOTIS.

Templum spirituale
SACERDOTIS

EX APOSTOLI PAULI ET MULTORUM SANCTORUM CONSILIO EXSTRUENDUM.

Cor Jesu, Templum Dei sanctum et Tabernaculum Altissimi, miserere nobis.
(Litaniæ Sacrat. Cordis.)

SACRÆ COMMENTATIONES VENERABILI CLERO
ACCOMMODATÆ
AD SPIRITUS RENOVATIONEM
AUCTORE
PATRE ADULPHO PETIT, S. J.

EDITIO SECUNDA ELIMATA
TOMUS I.

Tom 2 of ter pg 479

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII,
Brugis et Insulis. — MCMIX.

ALMA COLLEGE LIBRARY
248662
P445
Alma, California

47763

Ego Josephus DE VOS, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio WERNZ, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Templum spirituale Sacerdotis*, a Patre Adulpho PETIT, sacerdote Societatis Jesu, conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, iterum typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 27 Decembris 1908.

Locus sigilli.

J. DE VOS,
Præp. Prov. Belg.

NIHIL OBSTAT.

Brugis, 18 Junii 1909.

H. LAHOUSSE, Can.
Libr. Cens.

IMPRIMATUR.

Brugis, 19 Julii 1909.

Fr. VANDEN BERGHE,
Vic. gen.

COMMENDATIO

OPERUM R. P. ADULPHI PETIT, S. J.

A SUMMO PONTIFICE

PIO PAPA X

POST OBLATUM EXEMPLAR « TEMPLI SPIRITUALIS »

ET

Editionem ELIMATAM « Sacerdos. »

Ex Vaticano, die XXIII Januarii 1909.

REVERENDE PATER,

Læto libentique animo id tibi renuntio, Beatissimo Patri perjucundum exstitisse duplex opus quod obsequenter Ei obtulisti, quorum alterum « Sacerdos rite institutus », alterum « Templum spirituale sacerdotis » inscribitur. Hæc autem opera eo consilio in lucem a te prodita sunt, ut per ea Sacerdotes ad vitæ perfectionem adducantur ; quo nihil Sanctitati Suæ optabilius aut potius est, quippe quæ, ut semper, etiam nuperrime ad Clerum singularem fervidamque exhortationem miserit. Quare Summus Pontifex finem in istis operibus conscribendis tibi propositum, consiliis vero sapientibus suis omnino consentaneum, summa laude ornare dignatus est, et Deo

Optimo Maximo vota fervida facit ut ex istorum operum meditatione pro alenda anima sua Clerus universus copiosissimum cibum sumat et, tamquam ex fonte aquæ vivæ, saluberrimum potum hauriat, ita ut sanctum se ipsum efficere possit, fideliumque animabus ad optima pascua agendis, sanctitatis exemplo, aptior in dies fiat.

Quod dum Sanctitas Sua enixe deprecatur, tibi Apostolicam Benedictionem, caritatis Suæ pignus et potens auxilium ad alia tantæ utilitatis opera scribenda, effuso animo, impertitur.

Hoc autem augusto munere functus, gratias ipse quam plurimas tibi ago pro altero exemplari utriusque operis quod mihi perhumaniter obtulisti, et sensus existimationis in te meæ confirmo atque tibi permaneo

Addictissimus
R. Card. MERRY DEL VAL.

PRÆFATIO.

PRIMÆ EDITIONIS (1902).

PRÆ desiderio quod mihi indidit Deus juvandi, consolandi, sanctificandi Venerabiles Fratres meos sacerdotes, vehementer gaudeo quod a quadraginta fere annis Superiores mei mihi commiserint provinciam excolendi sacerdotes utriusque Cleri, tum exercitiis annuis *Sacri secessus*, tum exercitiis frequentioribus *Recollectionis menstruæ*.

Diuturna experientia didici quam grata sint Deo talia exercitia, quamque pio sacerdoti proficua ad melius, sanctius et jucundius implendum sublimia et simul formidanda sacerdotii et sacri ministerii munera.

Cum autem præviderem, non sine quadam animi tristitia, tempus instare quo mihi huic labori, quem in deliciis habebam, brevi forsan esset valedicendum, — nam ætas monebat, — cœpi typis mandare, abhinc fere quindecim annis, postulantibus sacerdotibus bene multis quæcumque viva voce per tot annos tradere solebam. Huic libello titulum feci « *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis* ». Primam hanc seriem, seu primum volumen (1888), quatuor aliæ series totidem voluminibus deinceps secutæ

sunt, tanto favore acceptæ tantoque numero excusæ ut jam, quod profecto magnum beneficium est Cordis Jesu et Virginis Immaculatæ, ad ultimas terræ regiones penetrarint, ubique manibus millenorum sacerdotum pervolutatæ, ubique legentibus, ut ex innumeris ad me datis epistolis constat, aliquid luminis, aliquid roboris, aliquid vitæ conferentes. Soli Deo honor et gloria in secula seculorum.

Nunc mihi in animo est, novum aliquod opus vulgando, vos, dilectissimi ac venerabiles Fratres, pro modulo adjuvare ad stabiliendum in cordibus vestris REGNUM CORDIS JESU.

Nullus vestrum profecto ignorat a Beatissimo Patre nostro Leone XIII, abhinc fere duobus annis, declaratum fuisse, solemni Encyclica REGNUM CORDIS JESU jam esse ubique proclamandum, et propterea Eum jussisse ut die undecima mensis maii anno 1899 ubique terrarum fieret universalis omnium cordium Consecratio divino Cordi Jesu, tamquam REGI CORDIUM.

Omnes etiam nostis Sanctissimum Patrem exhortatum esse sacerdotes *ad stabiliendum* omni conatu in cordibus fidelium hoc Regnum suavissimum.

Jam vero convenit ut unusquisque sacerdos in semetipso hunc sanctum laborem incipiat.

Atqui ad stabiliendum regnum Cordis Jesu in

cordibus nostris, tria apparent esse necessaria :

1° Necessarium est ut sedulo *vitemus* quidquid intellexerimus amantissimo Regi nostro *displicere.*

2° Necesse est ut *diligenter faciamus* quidquid cognoverimus ipsi *placiturum.*

3° Necesse quoque est ut in specie satagamus *præstare per nosmetipsos* id quo solet quam maxime *delectari.*

Hoc ultimum officium, *delectandi* scilicet hoc regium cor Jesu, sine ullo dubio specialiter pertinet ad sacerdotes. Inter omnes enim fideles Christi ad quos loquitur Pontifex, ipsi *primi* sunt *dignitate :* convenit proinde ut etiam primi sint affectu et devotione. Ergo, o sacerdos, tuum munus est, et quidem munus gloriosissimum, præ ceteris fidelibus quam maxime delectare divinissimum Cor Jesu.

At, quæso, quamnam majorem delectationem Regi suo comparare potest pius sacerdos, quam si semetipsum sanctissimo illius Cordi simillimum reddiderit ?

In novis autem Litaniis eodem illo anno 1899 a Sancta Sede approbatis declaratur Cor Jesu esse « TEMPLUM DEI SANCTUM » et « Tabernaculum Altissimi », eaque invocatio primum ibi locum obtinet inter illas quæ moralem et practicum sensum faciunt. Serii igitur conatus adhi-

bendi sunt a te, o sacerdos, ut cor tuum oculis Jesu sit tale templum, tale tabernaculum.

Hinc mihi venit jucundissima cogitatio me utilem navaturum operam Fratribus meis sacerdotibus, si in novo aliquo Tractatu ostenderem qua ratione possint suum cor sacerdotale in *Templum Dei sanctum* et in Tabernaculum Altissimi transformare.

Atque per hoc etiam confidere licebit me Summi Pontificis voto practice respondisse.

Restat ut pauca dicam de ratione ac methodo quam in hoc meo proposito perficiendo secutus sum.

Volens videlicet imitari quam optime *modum* quo Dominus Jesus instruere solebat homines, et edoctus per Evangelium Eum consuevisse veritatem mentibus audientium inculcare ope *comparationum, parabolarum ac similitudinum*, inceperam anno 1898, pro materia recollectionis menstruæ, sacerdotes qui adscripti sunt piæ « Consociationi sacerdotum », exhortari in periodico parisiensi cui nomen « ÉTUDES ECCLÉSIASTIQUES », ad construendum Divinæ Majestati *templum novum*, templum itaque majus, altius, pulchrius quam quod Ei hucusque ædificaverant. Hanc comparationem desumpseram ex his verbis sancti Pauli notissimis : *Nescitis quia templum*

Dei estis (I Cor., III, 16). Nunc autem convenientissime contigit ut hoc argumentum quod jam ab anno et dimidio tractabam, ad amussim consonaret cum invocatione posita in novis Litaniis cujus modo mentionem feci, quæque tibi, ut jam dixi, primum locum obtinet inter eas quæ moralem et practicum sensum faciunt Itaque ad præsens opus efformandum satis fuit novis curis in unum colligere commentationes horum quatuor annorum; et sic, quod certo numero fratrum meorum sacerdotum proposueram, nunc, occasione accepta pontificiæ Encyclicæ, omnibus propono.

Constabit hoc novum opus duobus voluminibus. In primo agitur de ipsa structura templi seu de templo *exteriori;* in altero, si per ætatem et per vires licebit (1), agetur de templi exornatione seu de templo *interiori.* Utraque pars erit in se completa et ab altera independens.

Rogo enixe amantissimam Matrem nostram Virginem Immaculatam, ut mihi veniat in auxilium, et ut omnes sub potentissimis ipsius auspiciis piam nostram ædificationem ad felicem exitum perducere valeamus.

1. Editum est hoc secundum volumen feliciter anno 1907, quinto anno post primum.

IHS
Benedicamus
Patremet Filiumcum Sancto Spiritu

EXHORTATIO PRÆVIA

Ex testimoniis Sanctorum.

AD aggrediendum animo forti et generoso opus quod nobis proponitur, mirifice nos adjuvare poterunt ea quæ nonnulli Sancti de *Templo spirituali* scripsere.

1° Audiatur sanctus Paulus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* (I Cor., III, 16, 17.)

Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis. (II Cor., VI, 16.)

Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. (Ephes., II, 19-22.)

Ex hac igitur admirabili sancti Pauli doctrina patet *unumquemque nostrum* cre-

scere debere in *templum* spirituale, quod dignetur inhabitare divina Majestas. Patet etiam *unumquemque nostrum* partem esse *domus seu familiæ* Dei, quæ est Ecclesia. Sed ipsa Ecclesia Dei fundata est super firmissimum fundamentum, nempe Apostolos et Prophetas. Patet denique Apostolos e Prophetas fundamentum habere in Christo Domino, qui vocatur a S. Paulo *summus lapis angularis*. Alludit sane Apostolus ad locum Isaiæ, c. XXVIII, 16 ; *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Et ad Ps. CXVII, 22 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Porro duas ob causas Christus *angularis lapis* nominatur. Prima est, propter soliditatem, firmitudinem ac robur. Secunda, quia sicut angularis lapis in ædificio materiali geminum utrimque parietem complectitur, ita Christus utrumque populum *gentilem* et *judaicum* et inter se connectit, et in se ipso continet, atque sustentat.

Ergo, o sacerdos, conclude audacter ex his pulcherrimis verbis Apostoli, te excellentem suscipere exstructionem, dum tibi proponis *novi templi ædificationem*, templi quod sit dignum habere habitatorem ipsum Deum.

2° Audiatur S. Augustinus seu auctor lectionis 4ª in officio Dedicationis :

« Quotiescumque, fratres carissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et sancte et juste vivimus, *quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione completur.* Non enim mentitus est ille qui dixit: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et iterum : *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est ?* Et ideo, fratres carissimi, quia nullis præcedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantum possumus cum ipsius adjutorio laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis, inveniat quod oculos suæ Majestatis offendat. »

Ergo, o sacerdos, juxta sanctum Doctorem, non solum opus aggredimur *bonum* et *rationabile*, sed aliquomodo *debitum* ac *necessarium*, cum gratos animos exhibere teneamur erga Deum qui dignatur in nobis habitare.

3° Audiatur S. Hieronymus : « Hoc verum templum Dei est, et hæc Sancta sanctorum, quæ virginitatis puritate Domino consecrantur. » (*Adv. Jovin.* 1, 23.)

« Vas aureum et argenteum non tam carum

est Deo, quam templum corporis virginalis.» (*Epist. ad Eustoch.*, 22.)

« Quod si universa ædificatio compagi nata crescit in templum sanctum in Domino, omni labore nitendum est ut fiamus illi lapides de quibus scriptum est (Zach. IX, 16) *Lapides sancti volvuntur super terram.* Et cum fuerimus vivi lapides, ex omni parte dolati, leves, politi, nullam habentes scabredinem, ædificemur in templum, et fiamus tabernaculum Deo. Condeturque in nobis arca testamenti custos legis Domini, et Cherubim, scientiæ multitudo, et interiora pectoris nostri in novum vocabulum transeant, dicamurque *dabir*, quod nos *oraculum* sive responsum possumus appellare. » (*In Epist. ad Ephes.* II.)

4° Audiatur S. Joannes Chrysostomus : « *In quo*, inquit (Paulus), *omnis ædificatio constructa.* Res ipsa accurate et exacte considerata ostendit quod non aliter poni potest (lapis angularis Christus), nisi exacte et accurate vixeris. *Crescit*, inquit, in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini. Hoc frequentius dicit, *In templum sanctum*, in habitaculum Dei in Spiritu. Quid sibi vult autem ædificatio? Ut Deus in hoc templo habitet. Unusquisque enim vestrum est templum.» (*In Ephes.* II),

5° Audiatur S. Cyprianus : « Conversemur, quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare ; ut, qui cœlestes et spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus. » (*Tract. de Orat. Dom.*)

6° Audiatur S. Ambrosius : « Hoc templum est verum, in quo non in littera sed in spiritu Dominus adoratur. Hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundavit. » (*Lib.* IX *in Lucam.*)

7° Audiatur tandem S. Zeno, Veronensis episcopus, sancto Ambrosio coævus, qui de hoc templo spirituali loquens, sic exclamat : « O res vere miranda ! Quotidie ædificatur et quotidie dedicatur ! »

Ex his Sanctorum Patrum sententiis constat constructionem ad quam nos accingimus, opus esse *personale* et requirere animos magnos, generosos constantesque, quos nullus labor terreat, quos nulla molestia ab opere fastidire faciat. Petamus a Deo ut hæc sit omnium nostrum animi dispositio.

CAPUT PRIMUM. — De fundamento templi spiritualis.

ARTICULUS I. — Præparatio loci. — Soli delectus. Soli præparatio.

ADMONET nos S. Augustinus *incipiendum* esse a *fundamento*, asseritque fundamentum ponendum esse *firmissimum*. Etenim si firma fuerint fundamina, totum ædificium firmum erit : si autem fundamina nutarint, tota structura nutabit, templum corruet, et *erit*, ait Dominus, *ruina illius magna*.

Aurea sunt sequentia verba sancti Doctoris : « Magnus esse vis ? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis ? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit : qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur et fastigium post humiliationem erigitur. Quod est fastigium construendæ fabricæ quam molimur ? quo perventurum est cacumen ædificii ?

Cito dico : usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est, quanta res est conspicere Deum. Qui desiderat, et quod dico et quod audit intelligit. » *(Sermo 10 de Verbis Domini.)*

Itaque antequam *fundamina* seu lapides angulares ponantur, quærere debemus *solum firmissimum* et, in quantum fieri potest, *petram*. Hoc solum firmissimum, hæc petra, est quædam *veritas*, quam S. Ignatius vocat *fundamentum*, et merito quidem ; est enim veritas *certa* certitudine *fidei*, scilicet *dogma creationis*.

Singulis fere annis in secessu sacro, quisque sacerdos hanc veritatem assuevit attente considerare, et confidimus nos omnes in possessione esse *hujus pretiosissimæ petræ*. Sed potest fieri ut, in decursu vitæ, propter negligentias, propter imperfectiones nostras, propter tepiditatem, propter peccata, hanc petram possideamus *theoretice* tantum et *non practice*. Dominus autem Jesus clarissimis verbis declaravit *stultum* esse hominem qui theoretice credit, et non agit consequenter. *Omnis*, ait Jesus, *qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in*

domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. (Matth., VII, 26-27.)

Accidere igitur potest, et non raro accidit, ut hæc petra non jam *oculis percipiatur;* jacet enim *obruta* vel *arena* vel *luto*, vel utraque re simul. Ergo *fodere* debemus terram cordis nostri ut, quidquid *arenosum* est, quidquid *lutosum*, forti manu ejiciatur. Atqui *lutum* vocamus *peccatum lethale* quodvis; *arenam* vero omne *peccatum veniale* et quidquid in servitio Dei tepide fit vel imperfecte. Prima igitur nostra operatio sit *fundum* cordis nostri *præparare*, ex eo ejiciendo quidquid impedimento esset quominus illa pretiosissima petra aspectui nostro effulgeat.

ARTICULUS II. — Instrumenta ad hanc præparationem.

Ad hanc cordis nostri præparationem duo nobis sunt instrumenta, *examen conscientiæ quotidianum* — et *frequens confessio.* Itaque strenue terram cordis nostri fodiamus, utendo his instrumentis, non molliter, non obiter, non perfunctorie vel pigre, sed serio, generose, constanter et cum sacerdotali energia.

1° Examen conscientiæ vespertinum est exercitium valde laudatum et commendatum a magistris vitæ spiritualis. Experientia

quidem docuit hoc instrumentum aptissimum esse *ad exstirpanda vitia, ad acquirendas virtutes*, et ad *consequendam* brevi empore *perfectionem* et sanctitatem.

Atqui hoc exercitium instituunt multi sacerdotes *sine fructu.* Quare? Vel quia *brevius* ad hoc adhibetur *tempus*, — vel quia *valde distracte, valde leviter* conjicitur oculus in conscientiam. Auctor igitur esse audeo, ut potius aliquid dematur de precibus vocalibus quibus constat oratio vespertina, et aliquid plus temporis tribuatur examinationi conscientiæ, ita ut singulis diebus nobis *veram* reddamus rationem conscientiæ, et *ferventem* eliciamus actum contritionis.

2° Quod ad confessionem attinet, idem asserendum est. Omnes instituimus confessionem frequenter, sed quam exiguo fructu! Et tamen quam sancta, quam solida, quam utilis, quam fructuosa confessio, si rite instituatur! Consilia sequentia sine ullo dubio, si cum simplicitate accipiantur, nostram confessionem reddent jucundiorem simul et fructuosiorem.

Primo quidem, instituat unusquisque confessionem, si fieri potest, singulis hebdomadis, statuto die, statuta hora, et apud *unum* confessarium.

Secundo, seligatur confessarius inter decem millia, ait S. Franciscus Salesius. Eligatur vir *spiritualis*, *exemplaris*, *solide pius*, *sufficienter doctus*, *prudens* et *discretus*, qui cordi habeat *sanctificationem et felicitatem* sui pœnitentis.

Tertio, electo confessario aperiatur tota conscientia, ut anima pœnitentis prorsus cognita sit ab ipso.

Quarto, instituatur confessio, non ut instituatur, sed ut instituatur *ad finem certum et determinatum*. Ille autem finis est acquirere in dies, per frequentem confessionem, *majorem animæ puritatem*, et quidem intuitu missæ celebrandæ. Triplex autem est puritatis gradus. Primus est habere conscientiam immunem ab omni *peccato mortali ;* secundus est habere conscientiam immunem ab omni *peccato veniali* voluntarie commisso ; tertius est habere conscientiam liberam ab omni *affectu inordinato*.

Quinto, attendatur præcipue ad *contritionem ;* ab *assuetis enim non fit passio*. Ut autem major sit dolor et firmius propositum, consuerunt multi in unaquaque confessione aliquid addere ex peccatis vitæ præteritæ.

Sexto, instituatur confessio tamquam ultima vitæ,

Septimo, semper fiat ad confessionem aliqua brevis *præparatio*, eamque sequatur brevis *actio gratiarum*. Propterea bonum est non statim a colloquio, quasi *ex abrupto* facere confessionem, et non statim, confessione facta, resumere colloquium. Habeatur igitur *aliquantula mentis recollectio* et ante et post confessionem.

Faxit Deus ut præsentis considerationis fructus sit inducere omnes dilectissimos fratres ad faciendum examen et ad instituendam confessionem deinceps melius, diligentius, ferventius et cum majore fructu. Amen.

Examen circa mortem moralem morti corporali præviam.

Ad adhibenda animo forti instrumenta modo proposita, non sine fructu considerabit sacerdos hæc verba sancti Joannis apostoli : *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* (Apoc., XIV, 13.)

Horum verborum communis interpretatio est, beatos dicendos esse eos qui in Domino moriuntur, id est, in fide, caritate, gratia et amicitia Dei. Sanctus tamen Ambrosius hæc verba intelligit de duplici morte, quarum prior *moralis*, altera *corporalis* est ; nempe beati dicendi sunt qui, antequam

mortem corporalem obeant, jam moraliter mortui sunt peccato et vitiis.

Nemo non videt quam utilem nobis præbeat hæc interpretatio examinis materiam. Examinet igitur se pius sacerdos circa hanc *mortem moralem* morti corporis præviam.

Atqui *mori moraliter*, est facere sponte et ex toto corde ea omnia quæ faciemus *coacte* quando moriemur corporaliter.

Quid autem est mori corporaliter? *Mori* quatuor dicit :

1° Omnibus omnino, penitus, in perpetuum, irreparabiliter, ad extremam usque nuditatem spoliari ;

2° Corrumpi corpus in putredinem, in pulverem redigi et prope ad nihilum super terram ;

3° Animam transire in æternam beatitudinem vel in æternum supplicium ;

4° Modo fieri circa defunctum altum silentium.

Utinam, o sacerdos, cum veritate dicere valeas, ut dicebat S. Paulus ; *Quotidie morior !* (I Cor., xv, 31.)

1° An jam corde separatus es ab omni re, ab omni homine, ita ut nulli rei vel nulli personæ adhæreas nimium, et præsertim culpabiliter? An jam frueris filiorum

Dei libertate, adeo ut cum regio Psalte dicere possis : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam!* (Ps. LXXII, 28.)

2° An cogitas frequenter de misera corporis tui conditione, quæ mortem tuam consecutura est? Ut quid tam *delicata* ista sollicitudo tua circa omnia quæ ad corpus pertinent, ita ut videaris pluris facere corpus quam animam? Ut quid etiam illa forsan nimia cura indumentorum quibus obtegis hanc carneam massam quæ modo erit massa pulveris? Ut quid secreta ista tua complacentia, immo et superbia propter momentaneam corporis præstantiam et pulchritudinem? An corpus tuum studes assuescere paulatim morti, illud rationabiliter *mortificando* voluntaria commodorum privatione?

3° An anima tua jam ambulat in via suæ æternitatis? An non identidem, labendo in peccatum grave, animam tuam vel ad momentum, posuisti in via *malæ* æternitatis? An saltem quotidie proficere conaris in via *bonæ* æternitatis, te abnegando, generoso animo crucem tuam ferendo, et vestigia Jesu, ducis tui, sectando? Si hic et nunc corripiendus esses morte subitanea, *in qua via* te mors deprehenderet?

4° Nihil eloquentius mortis silentio. Quam cito e memoria carorum elabuntur defuncti! An jam flocci facis ea quæ de te cogitant homines, quæ judicant de talentis tuis, de tuis virtutibus, quæ de te dicunt? An non facilius turbaris et animo dejiceris propter contemptum hominum? An non facilius extolleris mente et nimium gaudes propter verbulum laudis vel aliquantulam admirationis significationem? Post quinquaginta annos quis de te cogitabit, de tuis talentis, de tuis dignitatibus, de tuis dictis, de tuis factis? O vanitas vanitatum! Fac, o mi Deus, ut corde vere moriar his vanitatibus, antequam morte corporali mihi eripiantur. Sume, Domine, et suscipe quidquid habeo et possideo. Tu mihi omnia dedisti; ea tibi, Domine, restituo; omnia tua sunt; dispone de illis pro omni voluntate tua; da mihi amorem tui et gratiam, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Meditatio de fundamento templi spiritualis.
(Recapitulatio et transitio.)

Juxta monitum sancti Augustini incepimus ædificationem nostram spiritualem *a fundamento*. Propterea accinximus nos ad fodiendam *terram* cordis nostri, ut ex eo ejiceremus quidquid esset *lutosum*, quid-

quid *arenosum*, et hac ratione inveniremus *petram* supra quam collocandi sunt lapides angulares.

Procul dubio hanc petram, liberam jam ab omni luto, ab omni arena, nostris oculis splendescere gaudemus. Antequam igitur super eam ponantur lapides angulares, attentissimis oculis eam inspiciamus, ut intelligamus quam firma sit, quam pulchra, quam pretiosa.

1um Præludium. — Audiamus Dominum dicentem : *Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram ; et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.* (Matth., VII, 24, 26.)

2um Præludium. — Petamus a Deo gratiam ita ædificandi templum nostrum spirituale ut *virorum sapientium nomen* mereamur.

Ium Punctum. — Theoria.

Hæc *petra* est veritas revelata, complectens dogma *creationis*, dogma *providentiæ divinæ*, dogma *æternitatis*.

Equidem in variis nostris recollectionibus et secessibus annuis hanc veritatem non

semel consideravimus sub *diverso*, ut ita dicam, *aspectu*.

Modo eam consideravimus perpendendo verba quibus S. Ignatius in libro Exercitiorum spiritualium eam enuntiavit, dicens: *Homo creatus est ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per hæc salvet animam suam.*

Modo eam proposuimus respondendo ad triplicem quæstionem : *Unde venis ? Quo vadis ? Ubi es ?*

Modo eam explicavimus ope duplicis quæstionis, quæ erat : 1° *Quid est vita ?* 2° *Quis est vitæ scopus seu finis ?*

Tandem eamdem veritatem illustrare conati sumus hac quæstione fecundissima : *Tu quis es?* Tu quis es inter omnes creaturas ? *Homo.* — Tu quis es inter homines ? *Christianus.*— Tu quis es inter christianos? *Sacerdos.* — Tu quis es inter sacerdotes ? *Apostolus.* Et non sine ingenti fructu exquisivimus quid sit juxta fidem *hominem esse ;* quid sit *esse christianum*, quid esse *sacerdotem*, quid esse *apostolum.*

Itaque nobis inferret injuriam quisquis vel minime nos suspicaretur non firmiter credere hanc veritatem fundamentalem.

Ergo, o frater, 1° firmiter credis Deum te eduxisse e nihilo teque creasse ut dares *Deo*

gloriam et *tibi ipsi* comparares *felicitatem.*

2° Credis omnia quæ sunt super faciem terræ sita, creata esse propter te, ut te *adjuvent* ad glorificandum Deum et ad salvandam animam tuam.

3° Credis proinde ad *utendum* rationabiliter his rebus creatis, vel ad te *abstinendum* ab ipsis, necesse esse ut hanc tibi ponas quæstionem: An *prosunt?* Non autem hanc: An *placent?*

4° Credis *veram felicitatem* non esse inveniendam in *divitiis*, in *dignitatibus*, in *satisfactione* concupiscentiæ; sed unice eam inveniri posse *in sincero Dei famulatu*, Ecclesia dicente: *Servire Deo regnare est.*

5° Credis ergo *mensuram* tuæ felicitatis desumendam esse ex gradu *fidelitatis* qua servis Deo.

6° Credis igitur inter omnes homines *sanctos* esse felicissimos.

7° Non minus firmiter credis *vitam*, per quam nobis attingendus est duplex finis propter quem Deus nos creavit, esse *brevissimam... incertam...* eamque posse terminum accipere ex *abrupto*, morte scilicet subitanea.

8° Credis ergo a *momento* pendere tuam sortem æternam. Credis et hoc: *Semel periisse æternum* est!

Hinc, o sacerdos, conclusio divina et consolatione plena : *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* (Matth., VI, 33.)

Credis igitur, frater, et quidem *credis firmiter* dogma creationis, providentiæ, æternitatis : an *judicas consequenter ?* an *loqueris consequenter ?* an *consequenter agis* semper et ubique ? Videamus.

II^um^ PUNCTUM. — Praxis.

1° An prima et præcipua tua *sollicitudo* est de *glorificando Deum* laude, reverentia, obedientia et præsertim amore ? An cum hac primaria sollicitudine conjuncta est sollicitudo de animæ tuæ salute ?

2° An *felicitatem tuam* videris reponere, non in divitiis, non in dignitatibus, non in satisfactione cujusvis passionis, non in laude humana, non in hominum existimatione, sed unice in famulatu Dei ?

3° Et cum tibi eundum sit in domum æternitatis tuæ: *Ibit*, enim ait Spiritus sanctus, *homo in domum æternitatis suæ* (Eccle., XII, 5) : an sedulo caves ne pedem ponas, vel per momentum, in via quæ ducit ad domum malæ æternitatis, consentiendo graviter tentationi ? An ita vivis ut nunquam *imparatum* te invenire possit *mors improba?*

Cum igitur vita brevis sit, incerta et ab ipsa pendeat nostra sors æterna, hanc sortem nostram *certam* faciamus, viros imitando sapientissimos, qui singulis annis, ut nos, sacris exercitiis vacabant, qui per hanc veritatem, quam modo inspeximus, *firmiter* et *practice* creditam, ad summam pervenerunt sanctitatem et ad summam felicitatem.

Itaque frequentissime dicamus cum sancto Ignatio : Omnia *ad majorem Dei gloriam*... Cum sancto Francisco Xaverio, dum agitur de *labore : Amplius, Domine, amplius !* Et dum agitur de *zelo* exercendo : Domine, *da mihi animas, cetera tibi tolle !*... Et cum sancto Stanislao : *Non sum natus præsentibus, sed futuris*... Et cum sancto Aloisio: *Quid hoc ad æternitatem?*... Et cum æmulo ipsius, sancto Joanne Berchmans : *Ego volo fieri sanctus, magnus sanctus, brevi tempore.*

De conscientia scrupulosa.

Huic nostræ exhortationi nonnemo forsan objiciet, et non sine mærore, se quidem nihil magis optare quam ut possit hæc sanctorum premere vestigia, sed sibi ad hoc deesse et animum et vires, eo quod continuis crucietur scrupulis et animi angustiis. — Ad talium igitur consolationem sit :

EXAMEN CIRCA REMEDIA CONTRA CONSCIENTIAM SCRUPULOSAM.

Prænotanda. « Conscientia *scrupolosa* ea est quæ ob levia motiva, absque rationabili causa seu fundamento, sæpe formidat de peccato ubi revera non adest. » (S. Alph.)

« *Scrupulus* est inanis apprehensio et hinc ortus timor et anxietas alicubi esse peccatum ubi non est. » (Busemb.)

Juxta La Croix (T. I, n. 511) varia signa *specialia* scrupulosæ conscientiæ sunt, *pertinacia judicii* qua nullius, etiam docti, sententiæ acquiescunt, sed ab uno ad alium confessarium currunt ; *frequens mutatio* in judiciis ex levi apparentia ; timere in omnibus peccatum.

Scrupulosi interdum a prima confessione facile agnoscuntur; interdum res dubia confessario, etiam prudenti, manebit. Is poterit, in eo casu, interrogare pœnitentem quomodo a confessario suo ordinario judicari et tractari soleat et illius judicio stare.

Sæpe reperire est homines qui in uno alterove argumento scrupulosi sunt, ex. gr. circa Horarum recitationem, in reliquis vero nimis laxi. Hi ergo partim ut *scrupulosi*, partim ut *laxi* tractandi sunt.

Privilegia scrupulosorum sunt : 1° Quod

non teneantur in agendo *examen* ad diligentiam nisi valde mediocrem, et quod, dum angit scrupulus, possint libere agere quod volunt, nisi *certum* et evidens sit esse peccatum; 2° Quod nihil teneantur repetere ex præteritis confessionibus, nisi *certo sciant* illud esse *mortale* et se illud rite *non* esse confessos.

I. *Partes confessarii.*

Si tu ipse sis superior vel confessarius hominis scrupulosi, scrupulumque tibi patefecerit, 1° *benigne* eum mone ut totam conscientiam suam sincere patefaciat; 2° examinandæ conscientiæ et peccata confitendi modum ei præscribe; 3° modum orandi morbo congruum ei trade; 4° dissuade ei lectionem eorum librorum qui scrupulos renovare queant; 5° mone ne otio vacet, sed semper honesta occupatione detineatur; 6° si anxius sit de peccatis jam olim accurate confessis semel atque iterum, serio prohibe illi ne ullam amplius confessionem generalem de tota vita faciat; immo præteritorum omnem peccatorum memoriam excludat; 7° ægre aditum illi præbe ad proponendum denuo suas dubitationes et scrupulos, et, si importune urgeat, etiam verbis appositis absterre, ac penitus exclude; 8° nullo modo permitte ut de scrupulis

et dubiis suis confiteatur, sed tantum ea quæ *manifeste* peccata esse cognoverit ; 9° dubitationes ejus semper in meliorem partem et mitiorem interpreteris ; 10° hortare ut omnio *contemnat* suos scrupulos : immo et sæpe expedit, ut docet Joan. Gerson, agere contra scrupulos ; 11° si nimium anxius sit, ac etiam lacrimas profundat, mone ut optimam opinionem habeat de summa Dei bonitate et misericordia infinita, quæ longissime superat peccatorum numerum et gravitatem. Sapientis enim vox est : *Sentite* de *Domino* in *bonitate.* (Sap., I, 2.) et Davidis : *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* Et Jeremiæ : *Bonus est Dominus sperantibus in eum* (Thren., III, 25) ; 12° contempletur quoque vultum speciosissimum et benignissimum humanitatis Christi, qualem Apostoli olim conspiciebant, cum eos doceret et ageret cum hominibus, nempe serenum, hilarem, in sui amorem rapientem, omnes solantem et in verba illa erumpentem : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth., XI, 28) ; 13° hæc omnia si non juverint et scrupulosus pergat potius suo sensui et phantasiæ adhærescere quam suo patri spirituali, *clare* ei dicendum est, hoc non proficisci nisi ex occulta ejus superbia,

eamque superbiam esse graviorem omnibus culpis per scrupulos in memoriam refricatis; nec posse illum curari, nisi sensum suum prorsus abneget, et simpliciter, tamquam puer, judicio superioris illum submittat.

An, o sacerdos, sic agere soles erga scrupulosas animas, *prudenter*, *patienter*, *suaviter et fortiter?*

II. *Partes scrupulosi.*

Primum remedium est considerare quid sit scrupulosa conscientia, quæ ab aliis dicitur *erronea*, vel *timida*, vel *pusillanimis*, secundum illud Eccli. (VII, 9) : *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Habet nomen a *scrupulo*, id est, *lapillo.* Ut enim lapillus calceo inclusus pedem excruciat ambulantis, sic quorumdam piorum hominum conscientiæ inhæret suspicio, formido et anxietas, ex nulla vel certe levi causa orta, num recte hoc vel illud fecerint. — Quid facit homo qui in pede lapillo torquetur ? Excutit lapillum ex calceo, et liberatur cruciatu. Sic prudens homo, si sentiat se in animo scrupulo torqueri, *ejicit* ex animo scrupulum, sancto et audaci *contemptu*, et pacem habet. — An soleo scrupulos meos vincere *contemptu*, abstinendo ab omni scrupuli examinatione ?

Secundum remedium est orare ad Deum

et ad sanctos, et conjungere orationi *jejunium et alia opera pia. Si quis vestrum indiget sapientia*, ait S. Jacobus, cum loqueretur de tentationibus, ad expugnandas illas, *postulet a Deo et dabitur ei.* (Jac., 1, 5.) Quod remedium merito Cajetanus vocat *divinum;* figuram enim *scrupulosi* in Evangelio gerebat *lunaticus* a spiritu malo obsessus. Ut enim ille, nunc in ignem, nunc in aquam se jactabat, sic scrupulosus misere ex una cogitatione in aliam jactatur. Atque ut ille, teste Christo, curari non potuit nisi per orationem et jejunium, sic hic difficulter sanari posse videtur nisi per orationem et jejunium, aliave opera pia.

An hac ratione soleo scrupulos meos vincere, scilicet recurrendo, humili et simplici prece, modo ad Jesum in Tabernaculo latentem, modo ad Mariam stantem juxta crucem, modo ad Angelum custodem, modo ad patronum, non sane longa oratione utendo, sed jacula ignita ex corde emittendo ? — An etiam recurro ad spontaneam mortificationem, vel ad aliud pium opus, ut est visitatio Sanctissimi, precatio ad statuam Mariæ, viæ crucis exercitatio, meditatio dolorum B. M. V. ?

Tertium remedium est considerare, si scrupulosus sis et timeas te in aliqua re

peccasse, *te nunquam peccare*, qualescumque demum incidant tentationes, imaginationes, vel propensiones ad peccandum, *nisi voluntarie consentias*, vel delecteris in ipsis. — An, ad liberandum te scrupulis, soles te hac consideratione adjuvare ?

Quartum remedium est, urgente te scrupulo, perpendere, num id quod fecisti, vel in quo constitisti, vel quod facere voluisti, *repugnet* præcepto Dei vel Ecclesiæ ; nam si non repugnet, certus esse debes non esse peccatum mortale. Licet abhorrere debeamus a peccato veniali, tamen maximum est animi scrupulosi levamen, persuasio *se non mortaliter peccasse*. — An hac persuasione sufficienter utor ?

Quintum remedium. Si passio scrupuli ita obscuret mentem ut nescias statuere tecum, an consenseris, vel an legem Dei vel Ecclesiæ prævaricatus fueris, ne fide *tuo* judicio, sed *alieno*, ut superioris, confessarii vel alterius Patris spiritualis, cujus sententiam in omnibus constanter sequaris. — An id præstare assuevisti ?

Sextum remedium est persuasio scrupulos *maxime nocere* scrupuloso, si in suo judicio sit pertinax : nempe 1° Nocent scrupuli *corpori*, cujus valetudinem pessumdant ; immo sæpe caput ita debilitant, ut scrupulosi in

amentiam incidant. 2° Nocent *animæ*, nam inanibus cogitationibus tempus teritur ; seria cura profectus spiritualis negligitur ; homo fit sæpe ineptus laboribus quibus plurimam utilitatem proximo conferre posset ; immo etiam quandoque adeo desperat de animæ suæ salute, ut vel mortem sibi inferat, vel habenas vitiis omnibus laxet. — Debeo igitur tantorum malorum consideratione deterreri ab omni scrupulosa pertinacia in proprio judicio. Domine Jesu, omnibus sacerdotibus tuis concede sanctam filiorum tuorum libertatem, *Jugum enim tuum suave est et onus tuum leve.*

ARTICULUS III. — De lapidibus angularibus templi spiritualis.

Jam fodimus terram cordis nostri ad ejiciendum quidquid *lutosum* erat in nobis, quidquid *arenosum*, quidquid *mobile*. Hoc fecimus et pergimus facere perseveranter ope *examinis conscientiæ quotidiani* et *frequentis confessionis*.

Hac ratione invenimus et possidemus in nobis *petram* solidissimam super quam oportet lapides quatuor angulares collocare.

Hi lapides angulares totidem sunt vitæ spiritualis principia. Primum est : *Habere semper Deum ante oculos*. Secundum est :

Habere semper Jesum pro exemplo. Tertium est : *Me semper habere pro victima.* Quartum est : *Habere semper Mariam pro auxilio.*

§ 1. — Meditatio de primo lapide angulari : Habere Deum semper ante oculos.

1um Præludium. — Conspiciamus oculo imaginationis opifices ponentes cum maxima cura ac diligentia *fundamina* ædificii quod exstruunt.

2um Præludium. — Petamus a Deo gratiam solide collocandi templi nostri *lapides angulares.*

Ium Punctum. — Præstantia hujus exercitii in se spectati.

Hæc formula : Habere Deum semper ante oculos, duo exercitia seu duas praxes in se complectitur : exercitium præsentiæ Dei, — et exercitium bonæ intentionis. Utrumque hic conjungimus, quia invicem arcte cohærent.

Vere *angulare principium* est habitualis recordatio divinæ præsentiæ, quæ vocari solet ab ascetis « Exercitium sanctæ præsentiæ Dei. » Etenim omnipræsentia Dei veritas est ex maxime evidentibus. Jam tritum erat etiam apud antiquos ethnicos hoc adagium : « Omnia plena Deo. »

Est insuper veritas fidei, non minus credenda fide divina quam alia hæc veritas fundamentalis de creatione et fine hominis. *Numquid non cœlum et terram ego impleo?* dicit Dominus apud Jeremiam, XXIII, 24. *In ipso*, ait Apostolus, *vivimus, et movemur, et sumus.* (Act. apost., XVII, 28.) Et jam dixerat David in psalmo CXXXVIII, 7 : *Quo a facie tua fugiam?*

Si a Deo creatore *in omnibus* dependemus, et circa hoc nullum dubium esse potest, de quanam re magis convenit quam de Deo cogitare ? « Non tam sæpe respirare quam de Deo meminisse debemus, » ait S. Gregorius Nazianzenus (*Orat. 1ª Theol.*). Sanctus vero Ambrosius (*Lib. de dignitate conditionis humanæ*): « Sicut non potest esse momentum quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate ac misericordia [*en motivum hujus pii exercitii*], ita nullum debet esse momentum quo præsentem eum non habeat. »

Et hæc perpetua de Deo præsente cogitatio, vel saltem Deum *frequenter* habere in memoria, non superat vires hominis, dummodo bonæ sit voluntatis. Si secus esset, Spiritus sanctus, qui novit figmentum nostrum, non sivisset Paulum apostolum omnibus communiter fidelibus dicere (I Cor.,

x, 31) : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite ;* et iterum (Coloss., III, 17) : *Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum :* ad quæ requiritur saltem recta intentio habitualis et habitualis cogitatio de Deo.

Præterea, si habitualis sensus præsentiæ Dei non esset quasi *corollarium* veritatis fundamentalis de creatione et fine hominis, ita ut hoc exercitium arridere debeat omni homini in cujus mente vivax est persuasio esse se a Deo propter Deum creatum seque omni momento vitæ a Deo in exsistendo conservari, Dominus non dixisset in Evangelio : *Oportet semper orare et non deficere* (Luc., XVIII, 1), nec sivisset Paulum dicere in prima epistola ad Thessalonicenses, v, 17 : *Sine intermissione orate.* Ad orationem requiritur saltem sensus Dei præsentis.

Rejecta igitur omni pusillanimitate, sinamus nos moveri hac ratione quod ipse Deus monet nos et rogat ut sine intermissione sui recordemur.

Ceterum, cogitationem habitualem de Dei præsentia non excedere vires hominis, exemplo suo docuerunt Sancti omnium temporum. Nihil magis in usu erat apud primos

patriarchas et eos qui secundum eorum normam deinceps Deum colebant, quam hæc locutio : « Deus in cujus conspectu ego sto. » In secundo Nocturno dominicæ occurrunt hæc pulchra verba regis David : *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* (Ps. xv, 8.)

Et quandoquidem homines cœlestes esse debemus, ut ait Apostolus (Cf. I Cor., xv, 49) et nostra conversatio debet esse in cœlis (Cf. Phil., III, 20), quid nos magis decet quam nos exercere in habendo Deum in memoria, sicut nos monet regius Psaltes : *Quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper ?* (Ps. CIV, 4.)

II^um^ PUNCTUM. — Fructus hujus exercitii.

I. Hoc exercitium absterret ab omni peccato deliberato. — Si alicujus viæ inquinatæ sunt, causa a Psalmista hæc affertur : *Non est Deus in conspectu ejus.* (Ps. IX, 26.) Si sanctus Bernardus (in Psalmum XC, loquens de angelo custode), tanta fiducia et tam audacter dicebat : « Ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes : » quid, quæso, dicendum est de aspectu Dei viventis et videntis? Unde sanctus Thomas asserit hominem qui hoc exercitium præsentiæ Dei assidue frequentabit, vel nun-

quam vel fere nunquam peccaturum. (Cfr. Opusc. 58, 2.)

II. Hoc exercitium stimulat ad aggrediendum omne bonum, quantumvis arduum et difficile. — Quid non faciat miles, dum cogitat se esse sub oculis regis sui? Jam vero quotiescumque aliquid strenue, mi frater, pro Deo agressus es, tunc (ut ait S. Cyprianus in Epistola ad martyres et confessores) «o quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum! Quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum! Quam lætus illic Christus fuit! Quam libens in talibus servis suis et pugnavit et vicit, protector fidei, dans credentibus tantum quantum se credit capere qui sumit! Certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit.» Et quanta inde seges meritorum!

III. Hoc exercitium solatur in adversis, in derelictione, in exsilio. — Quam jucundum est infantulo requiescere in sinu patris! Jam vero nemo tam pater sicut Deus. Ipse nunquam prior deserit nos. *Cum ipso sum in tribulatione*, ait, de fideli servo suo loquens, qui in protectione cœli commoratur. (*Ps.* xc.) Etiam omnibus recedentibus, servus hic fidelis semper cum Davide dicere

poterit : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me ; Dominus autem assumpsit me.* (Ps. XXVI, 10.)

IV. Procurat hoc exercitium recollectionem animi, quæ omnino necessaria est ad habendum spiritum orationis. — Siquidem monet nos Deus : *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* (Eccli., XVIII, 23.) Contra vero, idem ille Deus ad Abrahamum, docens eum, et compendiosam viam ostendens ad perfectionem, dicebat : *Ambula coram me, et esto* (id est, *et eris*) *perfectus.* (Gen., XVII, 1.) Perfectum esse, quod hic promittitur, donum est quod includit sine dubio spiritum orationis.

Porro, ut quis dignus sit hanc affectuosam Dei recordationem usurpare, sufficit ut rationabiliter confidere possit se non versari voluntarie in statu peccati mortalis. Tunc enim suam facere poterit hanc precationem quæ legitur apud Lessium (*De divinis perfectionibus*, Precatio ad immensitatem Dei) : « Converte, obsecro, Domine, cor meum ad te introrsum, in fundum animæ meæ, ubi, silente creaturarum strepitu et importunarum cogitationum cessante tumultu, tecum commorer, te semper præsentem cernam, et amem, et venerer, et vocem tuam audiam,

tibi miserias exsilii mei exponam et solatium apud te inveniam. Nunquam præsentiæ tuæ me capiat oblivio, o lux mea, dulcedo animæ meæ! Nunquam obliviscar tui, sed semper, quocumque me convertero, mentis meæ oculis obverseris ! Totus enim ubique præsens es, et radios præsentiæ tuæ diffundis per singula. »

IIIum PUNCTUM. — **Methodus practica.**

Sine magno labore poterit pius sacerdos hunc primum lapidem collocare, variis utendo modis quibus se adjuvare solent sancti ad renovandam in cordibus suis *Dei memoriam.*

1° Habebit sacerdos semper ante oculos Deum, si *puram* et *rectam* habere conetur *intentionem* in omnibus quæ dicit, quæ facit, quæ patitur. Sæpe igitur toto animo dicat : *O mi Deus, omnia pro te ! Omnia pro gloria tua !* Cum sancto Ignatio frequenter exclamet : *Ad majorem Dei gloriam !*

2° Habebit semper Deum ante oculos, si juxta morem Sanctorum cogitet *Deum* suum *ubique præsentem* esse, ut *patrem*, ut *amicum*, ut *spectatorem* benignissimum, qui attendit ad facta dictaque, ut ea *laudare* possit et magnifice *remunerare.*

3° Habebit semper Deum ante oculos, si

assuescat in omnibus quæ accidunt, sive *læta*, sive *tristia*, suam voluntatem voluntati Dei conformare, firmissima fide credens nihil sibi posse accidere quod Deus non voluerit vel non permiserit, Deumque nihil velle vel permittere nisi quod filiis suis sciverit esse optimum atque ad salutem æternam utilissimum, juxta illud quod dixit divus Paulus : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

4° Habebit semper Deum ante oculos, si *tempore tentationis*, memor *minarum judiciorumque Dei*, dæmonem in fugam conjiciat, dicens : *Vade retro, Satana ; potius millies mori volo quam vel semel fœdari !*

5° Habebit semper Deum ante oculos, si, constitutus in tribulatione, oculos convertat ad Deum, generosissimum servorum suorum remuneratorem, revocans in memoriam jucundissimum illud : *Euge, serve bone et fidelis,... intra in gaudium Domini tui !*

6° Tandem semper ante oculos Deum habebit, si, orationi vacans, sancta utatur familiaritate ineatque cœleste quoddam commercium cum suo Salvatore cumque ejusdem sanctissima Matre. *Cum simplicibus sermocinatio ejus !*

§ 2. — Secundus lapis angularis : Habere semper Jesum pro exemplo.

Non ignoras, o sacerdos, Jesum, Filium Dei, *nostrum* esse *fratrem*, inter fratres *primogenitum*, *nostrumque* proinde *fratrem natu majorem.*

Atqui frater noster natu major, tantæ est æstimationis apud Patrem nostrum, et ex parte Patris tanto gaudet amore, ut nos, *fraterculi* ipsius, non possimus aliquid facere efficacius ad placendum Patri nostro et ad ejus captandam benevolentiam, quam si oculis ipsius *exhibeamus in nobis maximam cum fratre nostro natu majore similitudinem.*

Si simillimos nos viderit Jesu suo Pater noster, erimus indubitanter ipsi gratissimi atque acceptissimi. Singulari nos prosequetur amore, nosque pretiosissimis gratiis atque cœlestibus favoribus cumulabit.

Totus igitur labor atque conatus esse debebit in comparanda nobis hac similitudine.

Studeamus ergo divino nostro exemplari. Quid, quæso, hoc studio nobilius, quid jucundius, quid nobis magis proficuum esse potest? Sed tali studio vacandum est cum summa simplicitate, cum maximo affectu, cum ingenti fiducia. Aderit nobis Jesus, aderit sanctissima ipsius Mater.

***

Qualis ergo erat Frater noster natu maor, dum inter mortales commorabatur ?

Ex historia evangelica luculenter patet Eum fuisse *pauperrimum... castissimum... obedientissimum... humillimum... mitissimum... patientissimum... piissimum... ineffabili præditum caritate.*

Videamus jam an talis ac tantæ virtutis, aliquo saltem gradu vel minimo, in nobis aliquid conspiciatur.

Pro unaquaque virtute primum oculos conjiciamus in fratrem nostrum Jesum, eosque deinde in nosmetipsos convertamus, ut virtutes nostras tantillas cum ipsius virtutibus tantis comparare valeamus, atque hujus comparationis fructus sit *firma ac virilis voluntas progrediendi* generose et constanter per ejus imitationem in via virtutum. — Exempli causa sit consideratio de paupertate Christi.

***

CONSIDERATIO. — FRATER NOSTER ERAT PAUPERRIMUS.

1° Pauper in stabulo... pauper in exsilio... pauper in domo Nazarethana... pauper in vita publica, adeo ut fassus sit se non possidere lapidem in quem reclinaret caput ;

sed maxime pauper fuit in cruce. Ergo pauper *ubique*, pauper *omni tempore*, pauper a nativitate ad obitum usque.

2° Pauper fuit *toto homine*, si sic loqui fas sit. Pauper erat *mente*, pauper *corde*, pauper *ore*, pauper *tota vivendi ratione*, pauper *conditione* sociali.

a) Pauper *mente*, majoris faciens paupertatem, quam divitias ; sciebat enim *beatius esse dare quam accipere*.

b) Pauper *corde*, *amans* paupertatem, *desiderans* paupertatis effectus, de sua penuria *gaudens*.

c) Pauper *ore*, eam *commendans* vehementer omnibus, eam proponens ut primum *fontem beatitudinis*. Nunquam auditus est conqueri de defectu seu carentia rerum etiam necessariarum.

d) Pauper *vivendi ratione*. In vestitu omnia quidem *munda* erant ac *decentia*, sed minime spirantia *luxum* aut *commodorum amorem ;* item in *supellectili* et *mensa*, nulla *exquisitio*, nulla *exaggeratio*.

e) Pauper *conditione sociali*. Vixit ut filius *opificum* qui in sudore vultus sibi procurabant cibum quotidianum, et ut testatur Evangelista, habitus fuit ipse ut *faber*.

Profecto, o sacerdos, voto paupertatis non ligatus es, cum non sis religiosus, sed

a sacerdote abesse non potest virtus paupertatis, paupertatis *spiritus*. Quapropter, ut solidum ex præcedenti consideratione fructum accipias, sequens sedulo institues examen.

EXAMEN CIRCA SPIRITUM PAUPERTATIS.

In quo consistit paupertatis spiritus? Seu potius, quænam sunt signa ex quibus judicare licet aliquem sacerdotem spiritu paupertatis carere?

1° In primis caret spiritu paupertatis ille sacerdos qui *majorem* præ se fert sollicitudinem rerum pertinentium ad *vitam corporalem* quam rerum quæ pertinent ad *vitam* spiritualem.

Procul dubio esset casus sacerdotis qui, rogatus ut doctrinam christianam tradat in scholis, ut dicimus, communalibus, ubi quinque millia puerorum privantur omni doctrina religiosa, intelligens se pro hoc labore nullam recepturum esse remunerationem temporalem, responderet se nolle hunc laborem subire deficiente stipendio, et diceret: Detur remuneratio et statim præstabo laborem. Quam triste hoc responsum, o mi frater! Ergo pereant hæc quinque millia animarum; quid ad me? Si quidem ex earum instructione et salute nihil mihi

lucri evenit. Detur mihi aliquid pecuniæ, et ego laborabo ad salvandas istas animas. Quam nobilior, quam magis apostolica hæc sancti Francisci Xaverii exclamatio : O Domine, *da mihi animas, cetera tibi tolle !* O mi Jesu, o Frater noster, dum currebas post animas ut eas posses salvare, an desistebas a cursu tuo apostolico, quia nulla tibi affulgebat spes remunerationis humanæ ?

2° Caret spiritu paupertatis ille sacerdos qui fatetur se adspirare ad munus, non ex quo major spes sit salvandarum animarum, sed ex quo speratur pinguius stipendium.

3° Caret spiritu paupertatis ille sacerdos qui a priori respuit quidquid offertur faciendum *gratis*, et *avide* arripit quidquid offertur cum stipendio.

4° Caret spiritu paupertatis ille sacerdos qui totus est ad comparanda sibi vitæ commoda plus æquo, et non sine fidelium scandalo.

5° Caret spiritu paupertatis ille sacerdos qui *congerit* pecunias, *parcus* in dando eleemosynas pauperibus, *parcus* in operibus piis sustentandis, ex prætextu quod sibi animus est *præparare* unde *post mortem* sustentari possint pauperes et opera pia ! Imprudentissima est hæc speculatio. Quot

sacerdotes mortui sunt sine testamento, et sic crudeliter decepti fuerunt !

6° Sed longe abest a spiritu paupertatis qui tota sua agendi ratione sibi comparavit turpissimum nomen *avari*. Sacerdos avarus habetur a populo ut monstrum exsecrabile.

SS. Patres invehuntur gravissime in sacerdotes avaros. Sanctus Bonaventura comparat avarum *morti* et *inferno*, quia nunquam illa *satiatur occidendo*, et ille *deglutiendo*.

Recordare, o frater, qui laborare crederis avaritia, quid acciderit Judæ Iscariotæ ! In memoriam revoca verbum Jesu : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*.

*
* *

MEDITATIO DE HUMILITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

1um Præludium. — Audiamus Christum dicentem : « Qui se humiliat, exaltabitur ; qui se exaltat, humiliabitur. »

2um Præludium. — Petamus a Patre æterno gratiam *imitandi* dilecti ipsius Filii *humilitatem*.

Dominus Jesus nostræ imitationi, modo speciali, commendat suam *mansuetudinem*

simul atque *humilitatem*, dicens: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. »

Duas autem has virtutes unica complectitur commendatione, quia una est fructus alterius.

Ut similes evadamus Fratri nostro *humillimo*, necesse est ut justum et rectum nobis comparemus humilitatis conceptum.

Atqui merito considerare possumus humilitatem et ut *medium vitæ* et *felicitatis*, et ut *optimam rationem probandi* nostrum erga Deum *amorem*.

I^um^ PUNCTUM. — **Humilitas est fons vitæ.**

Hic menti nostræ se offert sublime spectaculum quod nobis exhibet S. Ignatius in libello Exercitiorum.

I. Sibi videbatur videre duos exercitus in aciem compositos, quorum alter castra habebat in campo vastissimo prope Babyloniam, alter sua castra in valle prope Jerusalem. Huic præerat Jesus, illi Lucifer. Ambo præparabant suas legiones ad prælium.

Lucifer quidem suis asseclis quos undique convocaverat, communicare conabatur quo ipse æstuabat, *furorem* adversus Deum et homines, eosque mittens in omnem regionem, ad omnem civitatem, ad singulas

domos, ad singulas personas, jubebat parari ubique *insidias*, *retia* tendi et *catenas*.

Decipite, aiebat, quoscumque poteritis ; nimirum eos inducite ad *æstimationem* et *amorem divitiarum :* quas si quæsiverint, habebitis in *retibus* vestris *captos*, et quidem tunc eos *prima* vincite *catena*.

Incipite dein eos incitare ad *magni faciendam*, *amandam*, *quærendam* hominum *existimationem*, humanas *laudes*, *plausus* humanos. Si hoc reti se siverint illaqueari, stringite eos *altera catena*.

Quod si hoc perfeceritis, *tertia catena*, sine magno labore, colla eorum circumdabitis, nimirum *superbia*, et per superbiam eos facile impelletis in *voraginem omnium vitiorum*.

O mei Fratres, quam terribilem veritatem, sub hac imagine latentem, aperuit nobis sanctus Ignatius ! Merito igitur Dominus Jesus *vigilantiam* commendavit et *orationem* dilectis suis apostolis, si non voluerint *intrare in tentationem*. Merito ipse divus Petrus nos monuit, dicens : « Fratres, sobrii estote et vigilate, quia ad- « versarius vester diabolus tamquam leo « rugiens circuit, quærens quem devoret ; « cui resistite fortes in fide. » Quot sacerdotes, etiam piissimi, decepti, misere cecide-

runt, vel *lucri cupiditate*, vel *dignitatum illecebris*, primum *timide*, postea *audentius*, tandem *aperte* manus extendentes ad divitias congerendas, ad captanda munera honorifica, ad sibi comparandam hominum admirationem, oblivioni dantes hoc gravissimum verbum tuum, o Jesu : « Quid pro« dest homini, si universum mundum lucre« tur, animæ vero suæ detrimentum patia« tur ? » Nullus nostrum ignorat egregium Evangelii præconem, sanctum Franciscum Xaverium, in eo fuisse ut diabolicis retibus caperetur, nisi amicus sincerus, Ignatius, ad mentem ipsius revocasset verba quæ modo audivimus ex ore Jesu delapsa.

Cave igitur, o sacerdos ! si in te experiris *propensionem ad diverticula et sensualia oblectamenta*, quæ significantur *Babylonica civitate*, vel ad *augendas divitias*, vel ad *ascendendum altius :* scias non longe te abesse a castris inimicorum, eosque aliquid adversum te moliri. Caute, quæso, et mature retrahe ab hac pessima via pedem, et salvus eris.

II. Ex altera parte videre sibi visus est sanctus Ignatius diverso modo cuncta fieri in castris Hierosolymitanis. Et re quidem vera mente conspiciebat Jesum in humili loco constitutum, bonitate et mira venustate

radiantem, benignissimo vultu, ut *amicum amicos* intuentem, eosque alloquio instruentem suavissimo.

Audiebat eum omnes et singulos ad *amorem* Dei hominumque stimulantem, et ad talem quidem amorem, ut ardentissime cuperent procurare Deo quam maximam *gloriam*, et quam maximam *felicitatem* hominibus : « Ut autem ad veram felicitatem et « ad veram vitam queant pervenire homines, « inducite eos, aiebat Jesus, ut *æstiment*, « ament et quærant *paupertatem*, eamque « libenti animo complectantur ; et brevi « intelligent, experientia docti, eo se feli- « ciores fore quo *majorem* sectati fuerint « *paupertatem*. In memoriam eorum vocate « quod ego ipse apertissimis verbis dixi in « monte : *Beati pauperes spiritu, quoniam « ipsorum est regnum cœlorum.*

« Et si voluerint longe majorem consequi « felicitatem, efficite ut sibi persuadeant « inexhaustum esse felicitatis fontem in « *amore contemptus et opprobriorum.* Quod « si eis contigerit haberi tamquam vermes « et abjectionem plebis, gaudio exsultent, « quia ego ipse, magister eorum ac Domi- « nus, dum inter mortales degebam, ut « vermis habitus sum et ut plebis abjectio : « immo non prohibui quominus *cum iniquis*

« reputarer. Discant a me triumphali silen-
« tio terere quasvis *contumelias*, quævis
« vituperia, quasvis humiliationes. Per hunc
« duplicem amorem, paupertatis scilicet et
« opprobriorum, facile pervenient ad *since-*
« *ram* et *profundam humilitatem*. Qui hunc
« statum nactus fuerit, eum prædicate *feli-*
« *cissimum* et *verissima fruentem vita.* »

O mi Jesu, talia nunquam audiverat mundus. Omnes philosophi felices hucusque prædicaverant eos qui divitiis pollebant, qui honoribus decorabantur et mundanis gaudiis erant immersi. Tu, o Jesu, felices prædicas *pauperes* et humiles, pusillos et variis tribulationibus oppressos. Profecto mundus nos decepit ; tu nos docuisti veritatem ! O utinam nos saltem, nos sacerdotes, mundanam et diabolicam doctrinam abhorreamus, tuamque doctrinam toto corde amplectamur ! Utinam omnes nos, tuo, o Jesu, imbuti spiritu, cum servo tuo Paulo, ubique apostolica voce ad omnes conclamemus : *Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram !* (Coloss., III, 2.)

IIum PUNCTUM — Humilitas, probatio amoris.

Omnibus nota est admirabilis definitio qua sanctus Augustinus descripsit *humilitatem* et *superbiam*. (Cf. *De Civit. Dei*, XIV, 28).

Humilitas nempe est amor Dei usque ad contemptum sui ; superbia est amor sui usque ad contemptum Dei.

Hinc concludere est *humilitatem* non multum discrepare a *dilectione*. Nempe humilitas est dilectio ; ea, inquam, dilectio Dei qua inducitur homo ad se submittendum legi Dei. Homo igitur *humilis* est ille qui totum se submittit legi divinæ *quia diligit legislatorem*, et huic legi se submittit, non coacte, non cum tristitia, sed libenter et cum amore.

Juxta hanc doctrinam, statuit sanctus Ignatius, in libello Exercitiorum spiritualium, celebrem suam distinctionem *trium graduum seu modorum humilitatis*, et hac distinctione evehit exercitantes ad apicem sanctitatis, ut constat experientia trium seculorum.

Licet hos tres gradus humilitatis jam antea sacerdotibus, in aliquo conscientiæ examine, considerandos proposuerimus (1), juvabit tamen et hoc loco eos iterum ante oculos ponere, ut horum tractatio nobis aliqua ratione familiaris evadat.

1. Cf. *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus recollectionis menstruæ*, auctore Patre Adulpho Petit, S. J. Series prima, recollectio XX, examen. — Series tertia, recollectio III, consideratio de spiritu humilitatis. — Series quinta, recollectio XIV, examen.

1° Primus igitur humilitatis seu amoris Dei gradus est, ita diligere Deum et ita se submittere omni legi divinæ, ut parati simus potius jacturam facere omnium rerum, immo et ipsius vitæ, quam divinam legem transgredi aliquo peccato lethali. Quisquis in hac animi dispositione se esse intelligit, non dubitat dicere cum sanctis martyribus : « Potius mori millies quam vel semel fœdari peccato mortali. » Quam felix !

2° Secundus gradus humilitatis est ita diligere Deum, ut parati simus jacturam facere omnium rerum, etiam ipsius vitæ, quam voluntarie Deo displicere vel minimo peccato veniali. O certe talis homo multo felicior credendus est priore.

3° Sed absque dubio felicissimus est ille qui tertium humilitatis gradum attigerit. Talis autem est homo qui, non solum paratus est millies mori quam admittere quodcumque peccatum etiam *levissimum* sed *plane voluntarium*, sed qui præterea adeo diligit Dominum suum Jesum Christum, ut optione data, præferat esse cum Jesu paupere pauper, quam dives, cum Jesu opprobriis saturato, opprobriis saturatus et ipse, quam honoribus circumdatus, cum Jesu ærumnis oppresso, oppressus et ipse ærumnis, quam vitæ commodis et deliciis affluere,

ex solo motivo habendi cum Jesu summopere dilecto quam maximam similitudinem et morum conformitatem. Qui ad hunc gradum pervenerit humilitatis et amoris, dicendus est invenisse in terris paradisum, et sibi parasse in cœlo thronum splendidissimum. O Jesu, fac ut omnes tui sacerdotes serios adhibeant conatus ad attingendum hoc culmen felicitatis ! Amen.

---

§ 3. — Tertius lapis angularis: Ego semper pro victima, — seu de abnegatione et crucis nostræ bajulatione.

MEDITATIO.

1um Præludium. — Contemplemur mente sanctum Joseph stantem animo erecto in variis vitæ tribulationibus.

2um Præludium. — Petamus a Deo per Mariam gratiam imitandi sponsi ipsius *magnanimitatem*.

I^um^ PUNCTUM. — Principii explicatio.

Collocavimus secundum lapidem angularem nostri templi spiritualis : nempe alte in animis nostris infiximus hoc altissimum principium vitæ sacerdotalis, *nos debere semper habere Jesum ut nostrum exemplar ;* siquidem sacerdos debet esse *alter Christus*. — Animus autem nobis est jam *tertium*

collocare lapidem, quod aliud non est, quam nosmetipsos serio considerare ut victimas in omnibus : *Ego semper pro victima !*

Fatendum est hunc tertium lapidem difficillimum esse collocatu. Et unde hæc difficultas ? A nostra natura originali peccato vitiata. Procul dubio naturaliter *piger* est homo *ad se vincendum ; piger ad laborem ; piger ad sacrificium.* Abhorret naturaliter ab omnibus quæ *repugnant amori proprio* et *amori nostro sensuali.*

O benignissime Salvator noster, ad nostram consolationem voluisti experiri in tua sacra Humanitate hunc horrorem naturalem a calice amaritudinis qui tibi in horto a Patre tuo offerebatur. Discimus inde non displicere Deo quod *sentiamus* in nobis nescio quam *repugnantiam* ad omnia in quibus contingit homini aliquid pati, sive in corpore, sive in anima, sive in hominum æstimatione ; sed debemus, ut Jesus, hanc repugnantiam *virili voluntate* superare. Et re quidem vera, postquam Patri dixisset Jesus : *Pater mi, si fieri potest, transeat a me calix iste*, addidit cum sancta energia : *verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas !* Si vis ut bibam hunc calicem, bibam ! Et bibisti eum usque ad fundum, o Jesu.

Præterea ostendit nobis amantissimus

Magister noster, hunc tertium lapidem *coctum* esse debere in *fornace amoris ;* dixit enim de Eo divus Paulus : *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me. — Tradidit se,* en *lapis ; dilexit me,* en *fornax !*

Statim deveniamus ad praxim. Hanc autem praxim indigitavit ipse Jesus, dum dixit : *Qui vult venire post me,* ABNEGET *semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me.*

Ergo ad ponendum hunc lapidem duo requiruntur : *abnegatio* et *crucis bajulatio.*

IIum PUNCTUM. — Abnegatio.

Praxis hujus abnegationis consistit in hoc ut in omni re adversa *æquo animo* divinæ annuamus voluntati, hanc rem adversam permittenti.

Et hæc æquanimitas triplicem habet gradum. Primus consistit in hoc ut *rem adversam* toleremus animo *patienti ;* secundus consistit in hoc ut rem adversam toleremus animo *libenti ;* tertius consistit in hoc ut rem adversam toleremus animo *gaudenti.*

Materia quidem, in qua se exercere poterit hæc æquanimitas, quadruplex est, nempe : res externæ,... res corporis,... res pertinentes ad honorem,... res pertinentes ad vitam spiritualem, ut sunt consolationes,

desolationes, mentis illustrationes, tentationes, conscientiæ perturbationes et scrupuli.

Habet igitur sacerdos ante se campum vastissimum in quo exerceat suam abnegationem.

Proinde in omni re adversa, post *primum motum* involuntarium, qui est turbatio quædam et cordis agitatio, dicamus : *Domine, sicuti vis, quia vis,* quocumque modo vis, quamdiu vis ! *Non mea, sed tua fiat voluntas !* En primus gradus æquanimitatis.

Vel, quod perfectius est : *Deo gratias!... Libenter, Domine ! Bonum est, Domine, quia humiliasti me !* En secundus gradus.

Vel quod optimum est : *Amplius, Domine, amplius !... O Domine, pati et contemni pro te ! Aut pati, aut mori !... Non mori, sed pati !... Superabundo gaudio in omni tribulatione mea !*

III^um^ PUNCTUM. — Crucis bajulatio.

In memoriam revocet pius sacerdos id quod expositum fuit in aliqua meditatione menstrua (1), scilicet multiplicem *crucium* nostrarum esse causam.

Causa crucium nostrarum est *societas*

1. Videsis *Sacerdos*, tom. II, recoll. VI; tom. III, recoll. X.

humana in qua vivimus ; ubi enim homines sunt, et ubi regimen humanum, ibi necessario erunt offensiones, errores, injustitiæ.

Causa crucium nostrarum est quod sumus *discipuli Christi ;* nullus enim discipulus Christi esse potest quin habeat crucem quam tollat.

Causa crucium nostrarum est quod sumus *amici Dei ;* Deus enim, amicus fidelis, amicos cupit ditare pro æternitate ; sed optima occasio divitias æternas congerendi crux est, seu quæcumque tribulatio.

Causa crucium nostrarum est quod sumus *apostoli ;* apostolorum enim est pugnare sine intermissione adversus innumeros humanæ salutis hostes : ipsa autem continua pugna, judicio omnium, crux est, et non raro crux gravissima.

Quoad *modum* crucem ferendi, sicuti pro abnegatione dictum est, *multiplex* modus est suam ferendi crucem. Sunt enim qui ferunt suam crucem *ægre*, sed tamen ferunt ; sunt qui ferunt suam crucem *libenter ;* sunt qui suam crucem ferunt *humiliter ;* sunt qui ferunt suam crucem *heroice :* quam beati!

Exemplum nobis egregium præbuit sanctissimus Joseph. Fuit admirabilis Mariæ sponsus divinæ Providentiæ instrumentum,

et, ut instrumento suo quam maxime *docili, generoso*, immo et *heroico*, non pepercit Deus; adeo ut S. Chrysostomus dicere potuerit vitam sancti Joseph fuisse *tribulationibus refertam*. Animadvertit tamen sanctus doctor vitam sancti Joseph non ita refertam fuisse tribulationibus, ut omni careret consolatione ; immo vero tantam fuisse consolationem, quanta fuerit tribulatio.

Utinam omnis sacerdos, pressus crucis pondere, sibi persuadeat Deum nunquam passurum se a sua creatura superari generositate. Sit generosus in sua cruce ferenda sacerdos, et generosiorem se probabit Deus in sua danda consolatione.

Stabit in æternum verbum Spiritus sancti : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (Ps. XCIII, 19.)

Examen circa illusiones spirituales.

Cum in iis quæ præcedunt et in sequentibus necessario attingere debeamus non nulla quæ *vitam maxime spiritualem* spectant, immo ipsam sanctitatem, cumque in via tam sublimi pronum sit hominem incautum in perniciosos errores impingere, cumque præterea nostris temporibus non raro *mira* quædam et prodigiosa proferan-

tur et confessariis aliisque viris doctis examinanda committantur, ideo non absque utilitate fore existimamus pio sacerdoti examen proponere juxta ea quæ de *illusionibus spiritualibus* scripserunt sancti Patres aliique Theologi probatissimi.

Ut autem in re tam subtili cum ordine procedamus, quotiescumque judicandum erit de *falsitate* vel *veritate* eorum quæ ut *miraculosa* narrantur, consideret sacerdos sequentia remedia a P. Joanne Busæo S. J. proposita,in *Panario adversus animi morbos.*

Primum remedium est *ex parte materiæ inspiratæ.* — Considera an visiones, revelationes et quidquid tibi inspiratur, *sit consentaneum divinis litteris, traditioni, communi doctrinæ Ecclesiæ Romanæ* et *rectæ rationi.* Nam, si non fuerit, certum est non esse inspirationem divinam, sed illusionem dæmonis. Unde Christus Dominus omnes tentationes sibi a dæmone in deserto factas, quia non congruebant cum divinis litteris, testimoniis earumdem repressit.

Secundum remedium est *ex parte virorum* quos consulere tibi proponis. — Noli consulere nisi viros qui, doctrina et pietate præstantes, discernere possunt adulterinas inspirationes a veris et salutaribus. « Nolite, ait S. Joannes, omni spiritui credere,

sed probate spiritus si ex Deo sint. » (I Joan., IV, 1.) Quod autem non quivis simplex laicus probare possit an spiritus ex Deo sit, inde liquet quod S. Paulus in priore epistola ad Corinthios (XII, 10) *discretionem spirituum* numeret *inter dona* Dei quæ Theologi vocant *gratias gratis datas*, quæ paucis dantur. Unde in eadem dicit (XIV, 37) : « Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis. » — « Sciat me, inquit S. Hieronymus (Epist. CLII), illud Apostoli « libenter audire : Omnia probate ; quod « bonum est, tenete, et Salvatoris verba « dicentis : Estote probati nummularii, ut si « quis nummus adulter est et figuram Cæ- « saris non habet, nec signatus est moneta « publica, reprobetur. Qui autem Christi « faciem claro præfert lumine, in cordis « nostri marsupium recondatur. »

Tertium remedium est *ex parte subjecti* vel *personæ* cui facta est revelatio, vel visio, vel inspiratio. — Hic autem pater spiritualis, qui delectus est in probatorem spiritus :

A. Memor esse debet dicti Tertulliani (de Præscript.), *ut non fidem ex persona, sed personam ex fide* æstimet et probet, ac 1° *indugare* debet num is cui visiones vel inspirationes illæ contingunt, sit *integri et*

sani cerebri ; nam si non sit, mox amandandus est monendusque esse mera phantasmata ; — 2° an sit *femina ;* cum ea enim longe cautius agendum erit quam cum viro, quia dæmon per eam primum parentem decepit ; — 3° sitne *dives* vel *pauper :* nam diviti facile obrepit superbia, pauperi vero simulatio ; — 4° an publicam cum multis, vel privatam cum paucis, religiosis vel secularibus, probis vel improbis vitam agat, nam, ut ait Salomon : « Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit » (Prov. XIII, 20) ; et : « Qui communicaverit superbo, induet superbiam » (Eccli., XIII, 1).

B. Debet pater spiritualis eum, qui suas visiones vel inspirationes patefecerit, potius objurgare quam laudare, serioque monere ne fidem facile illis præstet, ac docere ut, quoties contingunt, dicat cum Petro ex humilitate : « Exi a me, quia homo peccator sum » (Luc., V, 8), aut cum eremita illo, qui dæmoni apparenti in specie Gabrielis archangeli, dixit : Forte ad alium a Deo missus es ; ego enim visitatione angelorum non sum dignus. Quod si objurgationem vel monitionem hanc moleste ferat, facile probaveris an spiritus ex Deo sit. « Qui enim odit increpationes, insipiens est. » (Prov., XII, 1.) Et :

« Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. » (Eccli., XXI, 7.)

Quartum remedium est *ex parte signorum* quæ ordinarie solent divinam inspirationem *antecedere*. — Hæc quidem adnotavit S. Bernardus (*Sermo LVII in Cantic.*).

1° Primum est, si homo intus vel foris ad tuendam justitiam dispositus est. Dicit enim Scriptura : « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. » (Ps. LXXXVIII, 15.)

2° Si moveatur ad sectandam humilitatem, caritatem fraternam, obedientiam erga prælatos, puritatemque maximam cordis. « Beati mundo corde, ait Christus, quoniam ipsi Deum videbunt. » (Matth., V, 8.)

3° Si sentiat recordatione peccatorum conscientiam pungi et uri, doleatque toto corde de peccatis. « Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde. » (Ps. XXXIII, 19.) Dominus apud Isaiam : « Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos ? (Isai., LXVI, 2.)

4° Quartum signum addi potest (cf. S. Ignatius in libello Exercitiorum) : Si initio quidem turbet, maxime hominem minus spiritualem, ac terreat, sed mox consoletur. Proprium est enim Spiritus divini consolari ; terror vero est tantum signum

boni spiritus adventantis. Malus vero spiritus in angelum lucis transfiguratus, primo aspectu exhilarat animam, ut oculos aspectus rosæ, sed mox contristat, ac tandem eam in desperationem et obstinationem conatur inducere.

Quintum remedium est *ex parte signorum* quæ *comitantur* vel *sequuntur* divinam inspirationem. — Quatuor talia signa admirabili modo describit S. Bernardus : « Si « non solum compungeris (in sermone ædi- « ficante ad pietatem, vel inspiratione), sed « et converteris totus ad Dominum, jurans « et statuens custodire judicia justitiæ ejus, « etiam adesse ipsum jam noveris, præsen- « tim si te inardescere sentias amore ejus » Pergit deinde ad alterum signum, et ait : « Porro hoc igne consumpta omni labe pec- « cati et rubigine vitiorum, si jam, emun- « data ac serenata conscientia, sequatur « subita quædam atque insolita latitudo « mentis, et infusio luminis illuminantis in- « tellectum, vel ad scientiam Scripturarum, « vel ad mysteriorum notitiam. » Subjicit et tertium : « Post hunc tantæ dignationis « ac miserationis respectum, sequitur vox « blande et leniter divinam insinuans volun- « tatem, quæ non est aliud quam ipse amor, « qui otiosus esse non potest, de his quæ

« Dei sunt sollicitans et suadens. » Quartum tandem indicat signum, nempe : « Denique « audit sponsa ut surgat et properet, haud « dubium quin ad animarum lucra. Hoc si- « quidem vera et casta contemplatio habet, « ut mentem, quam divino igne vehementer « succenderit, tanto interdum repleat zelo « et desiderio acquirendi Deo qui eum si- « militer diligant, ut otium contemplationis « pro studio prædicationis libentissime in- « termittat. »

Sextum remedium est *oratio.* — Licet enim donum discretionis spirituum gratis detur, tamen a Deo raro communicatur nisi iis qui ardenter illud ab eo postularint, atque etiam vitæ morumque sanctitate ad illud se compararint.

His igitur attente perspectis, videat sacerdos

1° An non sit *nimis credulus*, ita ut statim et absque prævio examine tamquam vera accipiat quæ pro extraordinariis afferuntur.

2° An non e contrario *nimis sit incredulus*, ita ut nihil videatur admittere quod creditur superare vires naturæ, quasi jam abbreviatum sit brachium Domini ad patranda miracula.

3° An non facilius stimulet animas quas

dirigit, ad credenda ea quæ putant se vidisse extraordinaria aut audivisse in oratione.

4° An sufficienter moneat et cautos faciat, immo et objurget eos qui ad extraordinaria desideranda et quærenda promptiores se ostendunt.

5° An non facilius aurem præbeat iis quæ a pœnitentibus extraordinaria narrantur et de his loquatur et agat consequenter, et forsan quædam opera aggrediatur, quasi a Deo inspirata vel imposita.

6° An non *citius* respondeat iis qui putant se lumen accepisse cœleste vel audivisse verba supernaturali modo prolata, antequam totam rem serio coram Deo examinaverit et ad eam rite et sapienter judicandam ferventi oratione gratiam postulaverit.

7° An non nimium neglexerit rerum spiritualium *studium*, ita ut non aptus sit ad dirigendas nisi animas vulgares et communis pietatis, prorsus ignarus eorum quæ identidem operatur Spiritus sanctus in anima sancta.

8° An non refugerit operam dare ascetis quæ de his rebus altioribus solide, docte prudenterque scripserunt ad animarum eruditionem et ædificationem.

§ 4. — Quartus lapis angularis : Maria semper pro auxilio.

Jam ponendus est quartus lapis angularis novæ nostræ constructionis. Ille lapis nobis non potest non esse jucundissimus ; est enim hic lapis vitæ spiritualis principium notissimum : *Maria semper pro auxilio.*

Potest nos adjuvare optima Mater, non solum pro nobis intercedendo *supplicatione omnipotenti* apud Deum, vel aliquod nobis in necessitate constitutis *adjumentum* conferendo, sed etiam, quod pro nobis sacerdotibus summi momenti est, attrahendo nos *suo exemplo* ad exercitium omnium virtutum.

Hic contemplanda proponitur Beatissima Virgo ut egregium exemplar quod imitentur quotquot, Deo permittente, per *viam crucis* incedere tenentur.

MEDITATIO DE B. VIRGINE DOLOROSA.

1um Præludium. — Audiamus Spiritum sanctum nos singulos admonentem : *Gemitus Matris tuæ ne obliviscaris.* (Eccli., VII, 29.)

2um Præludium. — Petamus gratiam *dolores* Beatissimæ Virginis Mariæ frequenter mente recolendi et ex hac recordatione uberrimos colligendi fructus.

Triste sane spectaculum est quod oculis nostris offert mater filii sui ultimum vitæ excipiens spiritum. Quod si filius ille unicus sit, de matre sua quam optime semper meritus ; si innocens turpissimæ calumniæ ceciderit victima ; si manu crudelissimi tortoris vitam amiserit in conspectu innumeræ plebis, misellum atrocibus insultantis conviciis, quænam, quæso, lingua verbis æquare poterit istius matris angustias ? Atqui hoc tam triste spectaculum ante oculos nostros exhibet Ecclesia, dum dicit : *Stabat Mater dolorosa juxta crucem lacrimosa, dum pendebat Filius.*

Piissimis oculis hoc spectaculum assuescat contemplari sacerdos, exquirendo : 1° *Quare* permiserit Deus ut Virgo *innocentissima* tot ac tanta mala pateretur ; — 2° *Quomodo* hæc mala pertulerit Maria ; — 3° Quid a sacerdote suo exspectet Mater dolorosissima.

I^um^ PUNCTUM. — Quare patitur Maria ?

1° Deus voluit Mariam pati ea quæ passa est, dum vivebat in terris, ut consequeretur quam maximam cum Filio suo similitudinem. Est enim hæc similitudo *fons æternæ gloriæ*, et noluit Deus hunc fontem Mariæ decsse. Ex hoc autem fonte plenis manibus

hausit Maria ingens illud gloriæ pondus, quod per totam æternitatem nos exhilarabit, dum illud in cœlo contemplari licebit.

2° Deus voluit Mariam pati ea quæ passa est, ut doloribus suis sibi compararet immensam illam divitiarum et voluptatum copiam quibus fruitur nunc et in æternum fruetur, juxta illud quod dixit Propheta de omnibus sanctis : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* (Ps. XXXV, 9.)

3° Deus voluit Mariam pati ea quæ passa est, ut nos, filii Hevæ, gementes et flentes in hac lacrimarum valle, aliquid percipere-mus levaminis atque consolationis, dum videmus Matrem Dei, licet nunquam ullam merita fuerit punitionem, eadem ivisse ad cœlum via, quam ipsi nos perambulare cogimur, via *crucis*, via *laboris*, via *doloris*. Sine dubio, ex tali societate, levior fit crux, levior labor, levior dolor.

4° Tandem voluit Deus Mariam pati ea quæ passa est, ut nobis in patiendo præiret exemplo. Et re quidem vera, quamdiu in terris commoramur, velimus, nolimus, patiemur adversa. Magna sane ars est, *ars patiendi*. Ad hanc artem addiscendam duæ nobis apertæ sunt scholæ, schola Jeu, schola Mariæ ; et in utraque schola, qui docet,

se exhibet exemplar quod qui edocentur valeant imitari. Nemo diffitebitur hanc docendi rationem optimam esse. Profecto sufficit nobis ad artem patiendi consequendam exemplum quod nobis dedit Jesus; sed dum dicit mihi optimus Magister: *Patere, ut me vidisti patientem*, respondere merito possem : « Utique, Domine, sed tu *Deus* simul et homo, et ego tantum *homo* sum ; ergo mihi difficile videri poterit facere quod tu fecisti... » Vade igitur, dicit Jesus, vade ad scholam Matris meæ; ibi invenies quod sine labore imitari valeas. Possidet mea Mater in summo gradu *scientiam doloris*. Eam imitare, et eam imitando, me ipsum imitaberis perfectissime.

Vide igitur, o sacerdos, quomodo passa fuerit Beatissima Virgo, et quæ intellexeris eam egisse, age et tu similiter.

II^um^ PUNCTUM. — **Quomodo patitur Maria ?**

Passa est Maria, quæcumque ipsi contigit pati, in spiritu *fidei*, — in spiritu *fiduciæ*, — in spiritu *amoris*, — in spiritu *invictæ patientiæ*.

1° Passa est *in spiritu fidei*. — Firmiter credebat Maria nihil posse sibi evenire quod Deus non *voluerit* vel saltem *permiserit*. Simul credebat Deum nihil velle vel

permittere quod non *convertatur in bonum* suorum servorum. Nitebatur igitur Maria in omni re quantumcumque adversa, infinita Dei bonitate, infinita sapientia, infinita potestate ; et his divinis attributis nixa, semper omni tribulationi se probabat superiorem.

Utinam, o sacerdos, eodem spiritu fidei animatus, in posterum, melius quam ante, mala tua perferas.

2° Passa est Maria in *spiritu fiduciæ.* — Non ignorabas, o Maria, Deum neminem subjicere cuivis tribulationi, quin eodem tempore communicet *gratiam* et *vires*, quibus adjutus homo, par inveniatur ut tribulationis pondus ferat. Hinc tua fiducia inconcussa, sæviente vel maxima tempestate ; hinc stupenda tua animi fortitudo ; hinc imperturbabilis cordis tui lætitia ; hinc summa pax et constans mentis tranquillitas. Gaudebas semper in Domino, et in omni tribulatione tua gaudio superabundabas.

Vide, o sacerdos, an saltem a longe benedictam tuam Matrem imitatus fueris, quotiescumque tibi aliquid adversi pati contigerit.

3° Passa est Maria in *spiritu amoris.* — Quidquid Maria patiebatur, patiebatur recta et sancta intentione. Unice intendebat piis-

sima Virgo dare Deo suo certissima sui amoris argumenta. « Probatio amoris, ait S. Gregorius Magnus, operis exhibitio est. » Proinde quo gravius et difficilius opus, eo certior amoris probatio. Propterea in votis habebat Maria, adversa patiendo, quam certissime probare suam erga Deum dilectionem. Merito de ipsa dicere poterat Deus, quod divus Paulus dicebat de dilecto suo Magistro : *Dilexit me, et tradidit semetipsam pro me !*

Contende et tu, o sacerdos, ita pati adversa, ut etiam de te dicere possit Deus : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

4° Tandem passa est Maria in spiritu *invictæ patientiæ.* — Tot ac tanta passa est Maria, ut merito eam appellaverit Ecclesia *Reginam Martyrum.* Et re quidem vera, quidquid martyres sustinuerunt, pro nihilo censent sancti Patres reputandum esse, si cum eis quæ passa est Maria, conferatur. Attamen, o Maria, in iis gravissimis quibus animus tuus concutiebatur, *firmiter* stabas, adeo ut nulla res adversa unquam vel pro momento infregerit tuam in serviendo Deo fidelitatem, tuam fidem, tuam constantiam. Obtine nobis, o Maria, a Filio tuo tantam gratiam, ut nos deinceps in omni tribulatione stemus firmiter, non committendo ut

quis nos credere possit tribulatione devictos esse et in animi dejectionem proruisse.

III^um^ PUNCTUM. — Quid exspectat a nobis Maria ?

S. Ignatius sapienter admonet nos, in aureo suo libello Exercitiorum, cum contemplamur mysteria vitæ Domini Jesu vel vitæ Matris Jesu benedictæ, necesse esse ut consideremus mysterium quod contemplamur, non *ut præteritum*, sed ut locum habens eo momento quo fit contemplatio.

Conspiciamus igitur Beatissimam Matrem *excipientem inter brachia* corpus exanimatum Filii sui, modo depositum de cruce. Conspiciamus eam in frontem Jesu, cruore et sputis fædatam, dulciter fundentem lacrimas. Unusquisque nostrum cum dolorosissima Matre pium instituat colloquium, quærens reverenter ab ipsa quænam sit causa lacrimarum, eamque audiat respondentem : O fili, lacrimor quia Jesum meum crudelissimi peccatores tam immaniter tractaverunt. Aspice quot vulneribus pupugerunt corpus innocentissimum. Mecum lacrimas funde et tu, quia pro te hæc omnia vulnera accepit, seu potius, leni lacrimas Matris tuæ afflictæ, ei promittendo te nunquam jam peccando spinarum numerum aucturum, spinarum quibus ipsius caput cruentarunt; te nunquam

infixurum in manus et pedes ejus novos clavos ; te non iterum cor ejus transverberaturum lancea flagitiorum. O ama, ama Jesum meum ex toto corde, et lacrimas Matris ejus lenivisti! Et tu, sacerdos, Matri responde : « Eja Mater, fons amoris, me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam. Fac ut ardeat cor meum in amando Christum Deum, ut sibi complaceam. » Amen.

CAPUT SECUNDUM.

De pariete templi spiritualis.

ARTICULUS I. — Ipse paries templi spiritualis, seu lex Dei custodita.

SOLIDE positis lapidibus angularibus, jam erigendus nobis est *paries*, qui non alius est atque *lex Dei*. Erigendus autem est hic paries *æstimatione*, *amore et adimpletione fidelissima* legis divinæ.

Talem parietem admirabiliter exstruxit rex David, ut constat ex celeberrimo PSALMO CXVIII. Utinam omnis sacerdos in se experiatur affectus erga legem Domini quos vates regius ardentissimis verbis in hoc psalmo expressit. Sit igitur psalmus ipse materia plurium meditationum

Hic psalmus omnibus aliis antecellit *utilitate ;* est enim totus moralis et hortatorius ad vitam secundum legem Domini instituendam, et ea causa est cur quotidie ab Ecclesia frequentetur. Antecellit etiam ceteris psalmis, ait Bellarminus, quem in explanatione hujus psalmi sæpe ducem sequemur, *elegantia* et *artificio alphabetico :* siquidem primi octo versus incipiunt singuli

a prima littera alphabeti ; sequentes octo a secunda et sic deinceps, ita ut octies totum alphabetum repetatur.

Utemur nos hoc artificio octonariorum ad distribuendam totam materiam in *varias meditationes*. Quarum unaquæque octo complectetur versiculos.

Explicatio psalmi CXVIII.

Lex Domini, variis nominibus in Scripturis atque in hoc potissimum psalmo appellatur, ut, quoniam sæpissime mentio ejus facienda est, verborum varietate lectoris fastidium minuatur. Igitur nunc dicitur *lex*, nunc *præceptum*, nunc *mandatum*, nunc *sermo*, nunc *eloquium*, nunc *verbum ;* quæ quidem voces satis perspicuæ sunt. Interdum dicitur *testimonium*, quia lex testificatur voluntatem Dei; interdum *justificatio*, quia lex Dei eos qui eam observant, magis ac magis justificat.

PRIMA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius primus, Aleph *(Versiculus 1-8)*.

1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* (Vers. 1.)

Sensus primi versiculi est: Beati sunt qui in via hujus vitæ non inquinantur luto vel sordibus peccatorum ; illi autem sunt qui

ambulant in lege Domini, id est, qui dimissis aliis viis eligunt viam legis Domini, quæ sola mundissima et nitidissima est.

Singula verba expendamus.

1. *Beati.* Quam recte incipit Propheta ab idea *beatitudinis.* Quotquot enim sumus, beati esse volumus ; omnis nostra aspiratio est ad beatitudinem ; beatitudinem omni quærimus conatu. Nobis persuasum est Deum nos creasse ad beatitudinis fruitionem.

Illud *beati* significat tum felicitatem æternam, quæ sola est perfecta beatitudo, tum felicitatem temporalem qualis in hac vita haberi potest. Itaque sensus est: Beati erunt æterna felicitate, et nunc etiam beati sunt, id est, *læti* atque *quieti*, qui vivunt sine macula peccati, eo quod *ambulant in lege Domini.* Quod enim recta via ad cœlestem patriam sit observantia legis Dei, docet Christus (Matth., XIX, 17): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

2. Illud *immaculati* non significat carentiam omnis peccati, etiam venialis: sic enim fere nulli essent in hac vita immaculati ; sed significat carentiam peccati lethalis, quod solum proprie inducit *maculam.*

3. Illud *in via*, significat *in hac vita mortali*, quæ aptissime dicitur *via*, cum semper

mutetur, et, ut ait Job, XIV, 2, *nunquam in eodem statu permanet.*

4. Illud *in lege Domini* significat legem Domini esse quamdam viam *rectam* et *mundam*, cum prohibeat omne peccatum. Opponitur autem lex Domini *legi carnis*, de qua Apostolus ad Romanos, VII, 23. Hæc est *via cupiditatum*, plena pulvere superbiæ, cœno luxuriæ et aqua sordida avaritiæ.

5. *Qui ambulant* in lege Domini. Vide, o sacerdos, quam pulchre dixerit David *qui ambulant.* Illud enim *ambulant* significat motum tranquillum, liberum, jucunditate permixtum. Dicet postea Propheta : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

II. *Beati qui scrutantur testimonia ejus ; in toto corde exquirunt eum.* (Vers. 2.)

Hic versiculus profecto declarat priorem, ac docet non sufficere quamcumque legis observantiam ad beatitudinem acquirendam. Multi enim superficie tenus observant legem, dum non occidunt, non furantur nec mœchantur. Sed non *vere* ambulant, ut oportet ad acquirendam felicitatem in lege Domini, quia forte oderunt proximum suum ; retinent opes superfluas ; variis modis violant legem castitatis. Oportet igitur, si quis beatus esse velit, *ut scrutetur*

omnia testimonia Domini, id est, consideret diligenter sensum *totius* legis, quæ dicitur *testimonium*, quia testificatur nobis Dei voluntatem. Qui enim scrutatur legem, invenit, non solum prohiberi homicidium per legem *Non occides*, sed prohiberi etiam *odium*, *iram*, ut Dominus exponit Matth., v ; immo juberi amorem, quia finis omnis legis est dilectio.

Quam sapienter S. Ignatius in suo admirabili libello Exercitiorum, præter *meditationem et contemplationem* posuit *tres alios modos orandi*. Quorum primus est *orare circa decem præcepta et septem peccata capitalia*. Vide, o sacerdos, an non utile tibi esset identidem illum modum usurpare ad scrutanda testimonia Dei.

Qui autem dicendi sunt *scrutari testimonia Dei?* Illi sane qui *in toto corde exquirunt Deum*. Qui enim serio Deum quærit et toto corde *desiderat* ejus gratiam in hoc mundo et ejus præsentiam in futuro, is, sine dubio, in omni opere suo diligenter scrutatur quæ sit voluntas ejus, et secundum eam ambulare conatur.

Exemplum habemus in viatoribus : qui enim ad aliquam civitatem quam citissime pervenire cupiunt, illi sollicite scrutantur et quærunt a quibuscumque obviis, quæ sit

recta et commoda via ad eam civitatem ; qui vero deambulant animi relaxandi gratia neque propositum habent locum quo ire cupiunt, non multum laborant de via.

Ait igitur propheta, Beati qui scrutantur testimonia ejus, id est, Dixi beatos qui ambulant in lege Domini ; sed explico me beatos dicere voluisse illos qui ita ambulant in lege Domini ut *diligenter scrutentur* sensum *totius* legis et voluntatem legislatoris ; id quod illi soli faciunt *qui in toto corde exquirunt Deum*, nihil creatum illi anteponentes, vel æquantes, neque amorem cordis inter Deum et creaturam dividentes, sed solum Deum diligentes in se et creaturas propter ipsum.

Vide, o sacerdos, an merito putare te queas esse de numero istorum beatorum.

III. *Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.* (Vers. 3.)

Considera, o sacerdos, quam solide contendat Propheta suum probare assertum, scilicet : Solos eos qui immaculati sunt, ambulare in lege Domini, et proinde eos solos esse beatos.

Ponit igitur argumentum a contrario sensu : Qui operantur iniquitatem et consequenter maculati inveniuntur, ii sunt qui non ambulaverunt in viis Domini. Ergo qui

ambulant in viis Domini non operantur iniquitatem, et proinde immaculati sunt.

Movet hoc loco S. Augustinus quæstionem, ut ipse dicit gravissimam, quomodo qui operantur iniquitatem non ambulent in viis Domini, cum omnes Sancti ambulent in viis Domini, et tamen dicant cum S. Joanne (I Epist., 1,8): Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,ipsi nos seducimus; et cum dicat idem Joannes omne peccatum esse iniquitatem. (I Epist., III, 4.)

Sed responderi potest eos qui operantur iniquitatem, non ambulare in viis Domini quatenus eam operantur : qui enim operantur iniquitatem *lethalem*, ambulant contrariam viam viæ Domini ; qui operantur iniquitatem *venialem*, ambulant *præter* viam Domini. Porro sancti viri ambulant in viis Domini, quia voluntatem habent in lege Domini et in ea semper *habitualiter* manent ; et si quando divertunt a via, quia operantur præter legem Domini, mox per pœnitentiam et confessionem redeunt in viam.

Confide igitur et gaude, o sacerdos, qui sedulo quidem vitas peccatum lethale, sed doles de nimia tua fragilitate, qua fit ut non sufficienter caveas a peccato veniali. Confide, inquam, et gaude, quia propter peccata

tua venialia non omnino exclusus es e numero beatorum, siquidem non ambulas in via iniquitatis. Quam tamen sapienter ageres, si, vitando etiam peccata venialia, majorem tibi comparares beatitudinem, tibi comparando majorem animi puritatem !

IV. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* (Vers. 4.)

Ecce, alterum argumentum ducit Propheta *ab excellentia legislatoris,* quasi dicat, hæc mandata non sunt mandata hominum sed Dei, et Dei qui omnino vult a servis debitam obedientiam. Sed ut argumentum majorem vim habeat, alloquitur ipsum Deum, dicens : Tu mandasti mandata tua custodiri nimis ; id est, tu, Domine, qui libere potes servis imperare et qui potes inobedientiam severissime ulcisci, et qui non potes ignorare veloblivisci prævaricatores, tu, inquam, *mandasti,* non consilium dando sed plane imperando, *mandata tua custodiri,* non negligenter et oscitanter, sed diligentissime et summo zelo. Quis igitur erit qui non continuo applicet animum ad parendum ?

V. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas !* (Vers. 5.)

Motus ergo David auctoritate tanti legislatoris et tam severe jubentis, optat quam diligentissime Dei mandata servare. Quod

si ille rex, secularis homo, ita tremit ad mandata Domini et tanto affectu cupit illa implere, quid debes facere, tu, o sacerdos, qui ad altiorem evectus es dignitatem quam rex propheta, et qui propterea melius teneris Dei tui mandata custodire? Exclama igitur ex toto corde ad Deum, dicens: Utinam viæ meæ, id est actiones et consilia et sermones mei *dirigantur*, id est conformentur rectitudini legis tuæ! *Ad custodiendas justificationes tuas*, id est ad observandas leges tuas.

Vocat Propheta legem *justificationes*, quia, ut diximus, lex justificat observatores suos, seu justiores eos facit, juxta illud Apostoli, Rom. II, 13: *Factores legis justificabuntur*. Dicimus *justiores fieri* qui legem observant, quoniam *prima* justificatio, qua ex peccatoribus efficimur justi, non potest *legi* tribui sed *gratiæ*, dicente eodem Apostolo, Gal. II, 21: *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

VI. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* (Vers. 6.)

Vide, o sacerdos, quantum prævideat fructum David ex eo quod direxerit vias suas ad custodiendas justificationes Domini. Qui enim attendunt *magnitudinem tanti legislatoris*, si forte dum operantur, non respiciant

ad regulam divinæ legis, et inveniant postea sua *distorta*, et non conformia rectitudini legis Dei, miro modo confunduntur et erubescunt, neque audent oculos ad Deum levare. David igitur magnum fructum existimat, ut vere est, non habere causam tantæ confusionis ; ideo dicit : Optavi dirigere vias meas ad custodiendas justificationes Domini, *quia tunc non confundar*, neque erit cur erubescam coram te, Domine, *cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

Ex his intelligimus quantum distet a spiritu et pietate Davidis, ille sacerdos qui tam multa facit opera distorta et nullo modo conformia legibus Dei, et tamen confusionem illam internam non concipit, *quia magnitudinem legislatoris non considerat.*

Ex his etiam intelligere est quam utilis sit quotidiana conscientiæ examinatio. Eam S. Ignatius filiis suis non dubitavit præscribere ut optimum medium perveniendi brevi tempore ad summam perfectionem. Sit ergo fructus præsentis meditationis firma voluntas nullam transigendi diem sine seria animi scrutatione.

VII. *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.* (V. 7.)

Ergo non solum non confunditur, sed etiam gratias agit Deo quod ejus adju-

torio didicerit observantiam legis divinæ.

Confitebor tibi, id est, laudabo te et gratias agam tibi, *in directione cordis*, id est, in rectitudine cordis, sive rectissimo corde ; confitebor autem laudes tuas, *in eo quod didici*, id est, propterea quod gratia tua adjuvante didici *judicia justitiæ tuæ*, id est, justissimas leges tuas.

Attende, o sacerdos, ad illud *didici ;* illud enim « didici » non significat simplicem cognitionem, quæ ad intellectum pertinet, sed etiam certam *persuasionem et approbationem*, quam illi soli habent qui reipsa legem firmissime observare apud se constituunt. Hunc profecto sensum habet vox *discendi* apud Joan., VI, 45, ubi Dominus ait : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me ;* illi enim soli discunt a Patre cœlesti, qui intus in corde per infusionem Spiritus sancti *certo persuadentur* bonum esse credere, vel converti, vel legem servare, etc. Nascitur autem hæc persuasio ex rectitudine cordis, quia rectis corde optimus videtur Deus, juxta illud psalmi LXXII : *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde ;* quibus autem placet Deus, iis non possunt non placere omnes voluntates Dei, quæ per præcepta manifestantur.

Porro per *judicia justitiæ* intelliguntur

etiam eadem præcepta legis divinæ, quæ nunc dicuntur *judicia*, nunc *justitiæ*, nunc etiam *judicia justitiæ*. *Judicia* dicuntur, quia sunt quædam sententiæ a Deo judicatæ optimæ, sive quædam decreta et statuta divina ; dicuntur etiam *justitiæ*, quia sunt regulæ justitiam continentes ; dicuntur denique *judicia justitiæ*, quia sunt judicia et decreta *justissima*.

Itaque sensus versiculi est : Laudabo te recto corde, ex eo quod persuasus sum leges tuas esse justissimas et omnino custodiendas, quod totum, non ex me, sed ex gratia tua me habere confiteor.

VIII. *Justificationes tuas custodiam ; non me derelinquas usquequaque.* (Vers. 8.)

Hæc est, ait Bellarminus, conclusio primi *octonarii*, quasi dicat David Deo suo : Igitur, cum lex tua custodita beatos faciat et a te summo legislatore sit proposita, et severissime observari velis mandata, ego *justificationes tuas custodiam*, id est, decrevi et statui eas omnibus viribus custodire ; sed tu quoque vicissim non me deseras auxilio et gratia tua, sine qua nihil possum. Et si forte tuo justo judicio ad modicum deseras me, ut intelligam infirmitatem meam et ad te confugere atque in te confidere discam, saltem non me derelinquas usque-

quaque, id est, *omnino et in perpetuum.*

O sacerdos, si quotidie in recitando Officio divino hos in te nutrires affectus, quam jucunda, quam fructuosa esset tibi divini Officii recitatio!

SECUNDA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius secundus, Beth *(Versiculus 9 16).*

Lex Domini, quam vocat David *sermones* Dei, *mandata* Dei, Dei *eloquia*, *justificationes* Dei, *judicia* Dei, Dei *testimonia*, *vias* Dei, proponitur nobis ut fons pietatis, lætitiæ et veræ felicitatis. Eam considerans David, non potest cohibere animi exsultationem et suavissimos cordis affectus, adeo ut os ipsius in actionem erumpat gratiarum ardentissimam, firmamque exprimat voluntatem talem legem exsequendi toto corde.

I. *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos.*

Loquitur profecto Propheta de adolescente qui, ratione ætatis, indiget remedio contra naturales impetus naturæ corruptæ, *quæ prona est ad malum ab adolescentia sua.* Ergo sensus est: *In quo corrigit*, id est, qua arte, qua ratione, quo remedio, corrigit adolescentior *viam suam*, id est, actiones suas sive vitam suam naturali depravatione ex peccato originis *corruptam* et *ad malum*

propensam? Respondet: *In custodiendo sermones tuos.* Qui enim ab adolescentia assuescit timere Deum, et ex eo sancto timore Dei leges diligenter custodire, is haud dubio multos vitabit errores ; cujus rei exemplum habemus in Tobia juniore, *quem* pater ejus *ab infantia timere Deum docuit et abstinere ab omni peccato* (Tob., I, 10).

Forsan, o sacerdos, licet provectus sis ad sublimem sacerdotii dignitatem, et non paucos ætatis numeres annos, inter homines appares ut *adolescentior*, vel propter morum levitatem, vel propter ineptias sermonis, vel propter laboris exiguitatem ejusque fructuum carentiam, vel propter nugas quibus soles tempus pretiosissimum terere. Ecce habes unde *te corrigas*, nempe studendo sermonibus divinis eosque frequenti meditatione perscrutando, ita ut, eis penitus cognitis et intellectis, concipias seria et sancta proposita, atque eadem ad felicem perducas exitum.

II. *In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis.* (Vers. 10.)

Hac tanta utilitate legis divinæ motus, *petit* David a Deo *gratiam* servandi omnia mandata ejus sicut ea servare sibi proposuit, et exemplo suo idem nos facere docet. Ponit primo rationem cur exaudiri debeat,

quæ est ratio Evangelii : *Quærite et invenietis*, et *Omnis qui quærit invenit* (Luc., XI, 9-10). Scilicet, *In toto corde meo*, inquit, *exquisivi te*. Hæc est ratio exauditionis, *quia* exquisivit Dominum toto corde, id est, quæsivit gratiam ejus, et cupivit illi placere ejusque voluntatem adimplere.

1° *In toto corde exquisivi te*. Quam felix ! Utinam id de me cum omni veritate dicere possem ! Sed proh dolor ! qui vident me, qui audiunt me, credere coguntur me quærere in toto corde, non *creatorem* sed *creaturam* ; non *Deum*, sed *memetipsum*, me, inquam, tristissimum compositum nugarum et miseriarum. Et re quidem vera, *quærere Deum in toto corde*, est frequentissime de Deo cogitare, Deum piissimis cordis affectibus et desideriis invocare, ad Deum omni occasione recurrere, pro auxilio, pro consilio, pro lumine, pro consolatione ; Deo arctissime adhærere, et in eo omnem suam ponere spem et fiduciam. An hoc mihi est in more ?

Deum quærere in toto corde est, quotidie *instituere* diligenter *meditationem* de rebus divinis, non obiter neque molliter, sed serio et ardenter, et miscere cum eo et cum benedicta Matre ejus *intima* et *spontanea illa colloquia*, ex quibus nemo egreditur nisi totus inflammatus piissimis ardoribus et cœ-

lesti lætitia sanctisque deliciis perfusus. An hoc mihi est in more ?

2° *Ne repellas me a mandatis tuis.*

Hæc sane est mira petitio ; quasi Deus, qui *mandavit mandata sua custodiri nimis*, repellere velit aliquem a mandatis suis custodiendis ! Sed hic modus loquendi significat *necessitatem gratiæ*, quam illi soli *cognoscunt*, qui *cupiunt* mandata servare et virium suarum *imbecillitatem experiuntur*. Igitur, *Ne repellas me a mandatis tuis* hunc habet sensum : Ne deseras me *gratia tua ;* alioquin idem esset ac si repelleres me ab impletione mandatorum tuorum, cum *sine auxilio gratiæ* illa servari non possint.

Quam pauci sunt, qui, ut piissimus Rex, adeo desiderant Dei legibus obedire, ut timeant ne a legibus servandis impediantur ! E contrario, multi tanta laborant indifferentia ad Dei mandata servanda, ut potius indigeant *stimulo* quo continuo cogantur ; tales vero merito dicerent Deo : *Domine, adige me, impelle ad mandata tua implenda !*

III. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (Vers. 11.)

Tale in se experitur sanctus Rex *desiderium non peccandi*, ut statuerit *recordatione* continua eloquiorum Domini se in recta via continere ; et propterea hæc eloquia

Domini in corde suo abscondere voluit, ut non cessarent ante oculos ipsius obversari.

O si nobis esset tale desiderium non peccandi, major esset nostra vigilantia circa pericula peccandi, major ad ea amovenda labor et conatus, major ad hostium molitiones repellendas vis atque constantia.

Id plane intellexerat eximius ille animarum instructor, sanctus Ignatius, qui, singulari sapientia, ab initio sacrorum Exercitiorum exercitantes inducit ad renovandum in cordibus suis *peccati horrorem* ope recordationis illarum veritatum quas vocamus *magnas*. Videlicet vult S. Ignatius ut quisquis sibi proponit exercitia sacri secessus obire, non leviter consideret has veritates, sed serio et attentissima mente, ut alte animis impressæ, ibi aliquo modo agant radices. Nemo non videt quam mirifice hæc agendi ratio S. Ignatii respondeat effato Davidico : *In corde meo abscondi* eloquia Domini ut non peccem.

IV. *Benedictus es, Domine ; doce me justificationes tuas.* (Vers. 12).

Quanta cum reverentia, quanto cum affectu alloquitur Deum Propheta! Non ignorat enim conatus suos vanos fore, nisi Deus eos adjuvet omnipotenti sua benedictione ; quapropter implorat Deum

humili petitione. O mi Deus, quam grata quamque accepta tibi fuit talis servi tui petitio! Non miror te ipsum vocasse Davidem *virum secundum cor tuum*. Tanta tua est erga nos dilectio, tanta benignitas, ut non possis non delectari oratione simplici filiorum tuorum. Concede igitur mihi, tuo sacerdoti, iisdem uti verbis quibus usus est Vates regius. Utique benedictus es, qui ab omnibus rebus creatis benediceris; nam *imples omnia benedictione*, et inde vivunt et florent. Benediceris dum laudaris, benedicis dum beneficia præstas. Ergo Deus, tu, benedictus, *doce me justificationes tuas*.

V. In quatuor sequentibus versiculis (CXVIII, 13-16), ut observat Bellarminus, Propheta *amorem* suum erga legem Domini declarat; et hic amor intelligitur esse non solum *intelligens*, sed et *agens* et *mercede donatus*. Dicit enim se habere legem Dei in *ore*, in *voluntate*, in *intellectu* et *memoria*, in omnibus scilicet *partibus animæ*.

A) De *ore* dicit:

In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (v. 13). Id est, assidue locutus sum et prædico præcepta tua omnibus, qui audire volunt; et hæc judicia quæ aliis prædico, non sunt præcepta *humana*, sed *divina*, cum ex *ore Domini* prolata sint.

Vide, o sacerdos, num tantus sit tuus divinæ legis amor, ut cum *assiduitate* et cum *zelo* prædices eam, quotiescumque est eam prædicandi occasio. Vide etiam ne illa judicia prædicare soleas ut *tuos* conceptus, non ut conceptus ex ore divino elapsos.

B) De *voluntate* et *affectu* dicit :

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis (v. 14). Id est, delectat me ambulare in via testimoniorum tuorum, sicut delectantur avari de omni copia divitiarum.

Magnus sane affectus et rarus inter homines. Utinam tuus sit, o sacerdos, tuus, inquam, qui melius quam ceteri homines intellexisti jucunditatem et sapientiam legum divinarum.

C) De *intelligentia*, sive *cogitatione*, dicit :

In mandatis tuis exercebor et considerabo vias tuas (v. 15). Sensus est : In mandata tua ruminando et sæpe mecum submissa voce repetendo, et diligenter considerando, in hoc *exercebor*. Hinc conclude, o sacerdos, quam bona sit quamque laudabilis consuetudo christianorum qui quotidie semel vel bis, in precibus matutinis vel vespertinis, cum attentione et pietate decem mandata Decalogi recitant. An tibi cura est hanc

consuetudinem fidelibus tuis commendandi ?

Et hic, complectens omnes affectus et partes animæ, addit : *In justificationibus tuis meditabor* (v. 16). Interpretes Scripturarum observant pro voce *meditari* haberi in textu hebraico vocem *ludere* et *oblectare seipsum*, adeo ut sensus versiculi sit : *Delectabo meipsum ludendo* in *decantandis* justificationibus tuis. Ergo, o sacerdos, cum dicis ut Psalmista : *In justificationibus tuis meditabor*, non aliud dicis quam : *In præceptis decantandis* exercebor, ut inde delectationem animo percipiam, qualis jucunde ludendo percipitur.

D) De *memoria* dicit :

Non obliviscar sermones tuos (v. 16). Est veluti conclusio practica illorum quæ modo tanto cum affectu dixit Deo suo, scilicet, ex tam crebra meditatione et suavi decantatione fiet ut *sermones tuos*, id est, *legem tuam nunquam obliviscar*. Faxit Deus ut nos, qui ex vocatione et officio hos versiculos quotidie recitare tenemur, eos recitemus eodem cum affectu, eadem cum reverentia, eadem cum caritate quo affectu, qua reverentia, qua caritate eos conscripsit David, afflante Spiritu sancto ! Tunc experiemur quam vere dixerit optimus magister

noster Jesus : *Jugum meum suave est et onus meum leve.* (Matth., XI, 30.)

TERTIA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius tertius, Ghimel *(Versiculus 17-24).*

Postquam, in duplici octonario, David, magno cum affectu, pulchritudinem et suavitatem legis Domini mirabiliter exaltavit, suumque erga eam amorem igneis verbis testificatus est, quærit in præsenti octonario, quid se impedire posset quin eam fideliter custodiat, et statim menti ipsius se offerunt multa talia obstacula : quare simul ardenter orat Deum ut a se removeantur.

I. *Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos.* (Vers. 17.)

Primum impedimentum est *mors animæ ;* non enim possunt homines *mortui* servare *mandata vitæ*, eo modo quo oportet, ad vitam æternam acquirendam. David autem, etiamsi sperare poterat se esse *vivum*, seu in *statu gratiæ*, tamen *quia nemo scit utrum odio vel amore* dignus sit, et quia transfigurabat personas peccatorum in se, ideo pro se, vel pro aliis, orat et dicit : *Retribue*, etc. *Retribue*, juxta Bellarminum, idem sonat ac *tribue*, vel *redde ; vivifica me* idem est ac *ut vivam*, ita ut sensus versiculi sit : Tribue mihi, servo tuo, ut vivam, si forte fuerim in

statu peccati mortalis, et quasi *mortuus* tibi, o mi Deus. Et postquam me ad vitam reduxerit gratia tua, tunc potero iterum custodire sermones tuos, id est, legem tuam, quod prorsus intendo et volo.

Ex hac Prophetæ petitione intelligere est, o sacerdos, quam necesse tibi sit vitare statum peccati mortalis, et quidquid ad hunc tristissimum statum posset te sensim sine sensu perducere, ut est tepiditas, frequens orationis neglectus, propensio ad sensualia, levitas in agendo et in loquendo, incauta quorumdam librorum et ephemeridum lectio, et alia similia.

II. *Revela oculos meos; et considerabo mirabilia de lege tua.* (Vers. 18.)

Alterum impedimentum est *obscuratio* quædam et cæca *mentis caligo.* Hæc autem oriri solet ex *variis animi passionibus*, quales sunt amor, timor, desiderium, ira et similes perturbationes, quæ sæpe faciunt ut homo non recte judicet. Ideo dicit David : *Revela oculos meos*, id est, tolle per infusionem luminis tui velamen passionum ab oculis mentis meæ, et tunc, oculo interiore purificato, *considerabo mirabilia de lege tua*, id est mirabilem æquitatem, mirabilem sapientiam, mirabilem utilitatem, et alia id genus mirabilia, quæ de lege Dei emicant.

Attende hæc, o sacerdos, tu qui tanta laboras difficultate ad res Dei percipiendas, ut jam abstineas a meditatione et a lectione librorum qui de rebus ad vitam spiritualem pertinentibus tractant. Abstines, ais, ab iis rebus considerandis, quia tibi non nisi tædia pariunt et mentis fatigationem. Crede mihi, o frater, si te spiritualia legentem tædia invadunt, id provenit ex quadam obcæcatione mentis. Et unde tibi hæc mentis obcæcatio? Nonne ex eo quod, pluris faciens studium rerum profanarum vel politicarum quam rerum spiritualium, ita te iis profanis et politicis immergis, ut non nisi ægre aliquid demas de tempore quod istis impendis, pro consideratione rerum spiritualium? Nonne etiam ex eo quod mens tua libertate caret ad studium rerum spiritualium necessaria? Et caret libertate, quia aliquo laboras affectu inordinato, quo nunquam sincere studuisti te liberare. Pete igitur frequenter a Domino ut dignetur oculos tuos *revelare*, et sic valeas melius et jucundius quam antea *mirabilia de lege Dei* considerare.

III. *Incola ego sum in terra; non abscondas a me mandata tua.* (Vers. 19.)

Tertium impedimentum est *terrena peregrinatio;* nam, qua parte peregrinamur in

terra, *carnales* et *terreni* sumus, *lex autem tota spiritualis est*, ut dicit Apostolus : *Scimus enim quia lex spiritualis est ; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* (Rom., VII, 14.) Quare, nisi Deus per gratiam nos *spirituales efficiat*, legem spiritualem implere non possumus.

1° *Incola sum, in terra* habito, dum peregrinor a patria ; ideo peto, *ut non abscondas a me mandata tua :* id est, per gratiam tuam effice, ut capax fiam mandatorum tuorum.

Vides, o sacerdos, quam necessarium tibi sit, si cognoscere velis, intelligere, amare et totis animis amplecti mandata Domini, ut evadas *vir spiritualis.* Atqui monet nos S. Ignatius tantum nos profectum facturos esse in omnibus rebus spiritualibus, quantum exiverimus a proprio nostro amore, a propria nostra voluntate, a nostra commoditate propria. Quapropter exhortatur nos, qui volumus *insignes* nos exhibere in servitio nostri regis æterni ac Domini universalis, non solum ut offeramus ei nos totos ad laborem, sed etiam ut, *agendo* contra nostram propriam sensualitatem, et contra amorem nostrum carnalem et mundanum, oblationes ei faciamus majoris momenti, dicentes: *O æterne Domine rerum omnium, ego facio meam oblationem, cum tuo favore et*

auxilio, coram infinita Bonitate tua et in conspectu gloriosæ Matris tuæ, et omnium sanctorum et sanctarum curiæ cœlestis, attestantes quod ego volo et desidero imitari te in ferendis omnibus injuriis, et omni vituperio, et omni paupertate, si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem gradum vitæ spiritualis.

2° Verba Davidis possunt etiam intelligi hocce modo, juxta probatissimos Scripturarum interpretes : *Advena* ego sum et *peregrinus*. Peregrini autem et advenæ ignorantes sunt viarum, et facile decipiuntur a civibus regionis ad quam deveniunt. Petit igitur advena et peregrinus noster ut Deus illi viam bonam ostendat, ac dicit : *Non abscondas a me mandata tua*, id est, fac ut non me lateat via mandatorum tuorum, quæ sola est recta via *quæ ducit ad vitam.*

Non potes oblivisci, frater, etiam tibi, licet sacerdos sis et in terra sanctorum verseris, hunc mundum *locum esse deceptionis.* O quam multi sacerdotes decepti fuerunt, vel mundanis delectamentis, vel mundani honoris fuco, vel divitiarum fallaciis ! *Ergo orare* te oportet et *vigilare, ut non intres in tentationem.*

IV. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* (V. 20).

Quartum impedimentum est *imperfectio.* Pauci enim sunt viri *perfecti,* ii scilicet qui *toto corde* diligunt legem Dei et ex *amore justitiæ* operantur bona. Plurimi autem bonis desideriis tanguntur, sed *ultra* non proficiunt. In horum persona dicit David: Concupivit anima mea *desiderare* justificationes tuas in omni tempore. Non potuit dicere: Concupivit anima mea *implere* mandata tua; sed *imperfectionem suam* confessus, ait: *Concupivit desiderare,* et hæc ipsa imperfectionis confessio est petitio perfectionis, quam Deus jam concedere incipit, cum facit hominem ardenter *desiderare* custodiam mandatorum.

Perbelle id explicat S. Augustinus ope comparationis *ægroti* qui laborat inappetentia cibi: talis ægrotus concupiscit *desiderare cibum* et tamen non habet desiderium *cibi,* quia *concupiscentia desiderii* est in voluntate rationali; desiderium cibi deberet esse in faucibus et palato, ubi tamen non est, dum ibi manet inappetentia cibi. Intelligendum igitur est per *concupiscentiam desiderii* significari *imperfectum desiderium:* qui enim imperfecte desiderat, vult et non vult, cupit et non cupit; et ejusmodi sunt plurimi qui desiderant beatitudinem regni cœlorum, sed ita frigide

ac tenuiter ut inde nullus sequatur effectus.

Nonne, o sacerdos, merito timere debes te esse de numero desiderantium imperfecte mandatorum Dei custodiam? Ergo, cum Davide, imperfectum tuum desiderium in oratione Domino frequenter manifesta, ac dicito: *Concupivi desiderare justificationes tuas;* adjuva ut perfecte ardenterque desiderem, ut desiderium in opus transeat, et mandata tua custodiam omni tempore.

V. *Increpasti superbos; maledicti qui declinant a mandatis tuis.* (Vers. 21.)

Quintum impedimentum, omnium maximum, *superbia* est, quæ non sinit hominem collum suum jugo legis divinæ submittere.

Hoc quidem impedimentum in se David non agnoscebat neque in sui similibus, sed solum in *hostibus Dei;* ideo simpliciter illud exsecratur.

Ut ipsi hoc impedimentum exsecremur, consideremus quam severe increpuerit Deus superbos, qui videlicet *ex contemptu* mandata non servant.

Talis fuit initio mundi Lucifer, quem Deus increpatione sua ad inferos tanto impetu deturbavit, ut Dominus in Evangelio dicat: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* (Luc., x, 18.)

Talis fuit et Adam, qui ex superbia, qua

fieri voluit sicut Deus, Deo non obedivit, et a Domino increpatus tulit sententiam mortis, pro se et pro toto humano genere.

Superbos omnes terribili increpatione Deus in judicio feriet, et ideo subjungit David : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis*, nimirum qui declinant potissimum ex superbia et contemptu Legislatoris ; illis enim præcipue dicetur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* (Matth., XXV, 41.)

Caveat itaque sacerdos ne feriatur et ipse increpatione Domini, non quia non servaverit mandata Dei vel præcepta Ecclesiæ, sed quia non servat statuta diœcesana vel alia præscripta quæ inducta sunt a legitima quacumque auctoritate. Etenim omnis auctoritas bene instituta, a Domino est, et propterea qui resistit auctoritati resistit Deo. Amoveat igitur sedulo a se vel minimum contemptum, non solum *legislatoris summi, sed omnis* qui habet qualecumque jus leges ferendi. Audiatur Paulus : *Omnis anima*, ait, *potestatibus sublimioribus subdita sit ; non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* (Rom., XIII, 1, 2.)

VI. *Aufer a me opprobrium et con-*

temptum, quia testimonia tua exquisivi.

VII. *Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur ; servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* (V. 22,23.)

Sextum impedimentum, *respectus humanus* et *persecutio.*

Non raro in suis scriptis admonet nos S. Augustinus eas quæ sunt in Psalmis *imprecationes*, esse *prædictiones.* Adjuvat nos miro modo hæc S. Augustini observatio ad intelligentiam versiculorum quos hic consideramus. Sensus igitur est : Superbi non solum obedire Deo recusant, sed etiam contemnunt et contumeliis afficiunt eos qui obediunt ; sed tandem contemptus et opprobrium in eos recidet, ut hoc loco David *prædicit.*

Aufer a me opprobrium et contemptum ; id est : tempus erit cum auferes a me opprobrium et contemptum, et ea in superbos inobedientes rejicies ; *quia* ego *testimonia tua exquisivi*, quæ illi videlicet exquirere contempserint.

Declarat autem sequenti versiculo cur dixerit, *aufer a me opprobrium et contemptum*, dicens, *Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Principes enim superbi sederunt, vel congregati

in concilium, vel in thronis suis judicantes, vel quiescentes in divitiis et potentia sua; et adversum me loquebantur, exprobrantes obedientiam mandatorum Dei. *Ego autem servus tuus*, non respiciens ad minas vel opprobria eorum, *exercebar in justificationibus tuis*, videlicet considerandis, prædicandis et adimplendis.

Quam longe absunt ab hac Davidis agendi ratione innumeri christiani qui cedentes respectui humano, abstinent ab observatione mandatorum Dei, vel erubescunt vitæ perfectioris officia sectari, licet ad hæc amplectenda interiore stimulo adigi se sentiant. Utinam sacerdotes saltem omnes aliorum irrisionibus et judiciis se superiores ostenderent! Sed proh dolor! inveniuntur nonnulli qui viam sanctitatis arripere vellent et perfectionem sacerdotalem profiteri, sed dubitant, hæsitant, quia timent ne ab aliis irrideantur; et hoc sane turpe est.

VIII. *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ.*

Explicat quod dixit, *Exercebar in justificationibus tuis*. Dicit enim testimonia et justificationes Domini sibi fuisse loco *dulcis consolationis* in rebus adversis, in dubiis autem loco *fidelis consiliarii*. Hic igitur est sensus: *Testimonia tua*, id est lex tua, est

mihi dulcis exercitatio, unde *consolationem* accipio in rebus tristibus; et *consilium meum* justificationes tuæ, id est justificationes tuæ sunt quasi senatus meus, quem *consulo* in rebus dubiis.

Nullus sacerdos non intelliget quam mirifice nobis hic commendetur usus quotidianæ meditationis. Utinam quotidie sacerdos, ut alter David, se exerceret in considerandis justificationibus Domini ; esset illi hæc exercitatio fons maximarum consolationum, et ex justificationibus Dei bene intellectis illi oriretur robur et magnanimitas ad contemnendas aliorum exprobrationes et irrisiones. O vir Dei, utere hoc divino commercio cum Deo tuo, et toto mundo superiorem te experieris !

QUARTA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius quartus, Daleth *(Versiculus 25-32)*.

In quarto Octonario David humiliter confitetur coram Deo suam *miseriam ;* sed hæc suæ miseriæ cognitio minime ipsius in Deo fiduciam minuit. Cum simplicitate potentissimum implorat Dei auxilium, et suavissimum in corde accipit testimonium se a Deo suo misericordissime esse exauditum. Ergo ne miretur bonus sacerdos se identidem *naturalis suæ miseriæ* opprimi

pondere, neve propterea animum despondeat; sed, ut David, cum maxima humilitate se miserum esse declaret et ad ignaviam atque acediam quam maxime pronum: et hac declaratione facta, statim erigat se ad spem atque fiduciam. Advocet Deum suum in adjutorium, et mox lætabitur se misericorditer fuisse exauditum.

I. *Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum.* (Vers. 25.)

Ecce, non diffitetur Propheta se ex naturali concupiscentia retardari a perfecta mandatorum impletione; ast recurrit fiducialiter ad Deum, atque ab eo gratiam expetit qua superet hoc impedimentum et sic servare valeat mandata.

Adhæsit, inquit, *pavimento anima mea*, id est, *terræ* seu *terrenæ* substantiæ, per amoris inordinati affectum.

Vivifica me secundum verbum tuum, id est, da mihi vitam legi tuæ conformem, nam adhærendo terræ, factus sum *terrenus;* adhærendo carni, factus sum *carnalis:* sed si vixero secundum legem tuam, quæ spiritualis est, adhærebo Deo meo, et unus spiritus fiam cum eo. Vide, o sacerdos, qualis sis, num *terrenus*, num *carnalis*, num *spiritualis*. Si nimia tibi est sollicitudo circa bona temporalia, dixero te *terrenum;* si

blandiris plus minusve corpus tuum, exquisitione deliciarum, sive in potu sive in cibo, sive in vestitu, te dixero *carnalem ;* sed si video te vacantem diligenter rebus spiritualibus, præsertim quotidianæ meditationi et piorum librorum lectioni, te merito dixero *spiritualem.* Utinam hoc nomine se dignos probarent omnes sacerdotio initiati ! Quam *feliciores* essent, quam sibi et populo suo *utiliores !*

II. *Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas.* (Vers. 26.)

Pergit Propheta in confessione *miseriæ* suæ et petitione *gratiæ ;* et hæc duo semper conjungere, summa est prudentia. Quis ignorat humilem suæ miseriæ confessionem certissimam esse viam ad impetrationem gratiæ ?

Ego, inquit, *vias meas enuntiavi,* id est, actiones quæ propriæ meæ sunt, non erubui confiteri ; sed palam enuntiavi : et tu exaudisti me, parcens mihi solita misericordia tua.

Doce me justificationes tuas, id est, præcepta tua servare me facias. In hoc enim psalmo, ait Bellarminus, illi soli *doceri* intelliguntur, quibus ita persuadentur *ut faciant.*

Habes hic, o sacerdos, quod imiteris. In omni tua conversatione cum Deo, sive per

meditationem, sive per visitationem sanctissimi Sacramenti, sive per examinationem conscientiæ, libenter agnosce culpas tuas, tuasque miserias ; humilia te corde contrito, geme pectusque percute, et hac confessione facta, cum fiducia summa, in adjutorium voca Dei benignissimam misericordiam, ejusque implora potentissimum auxilium : et nunquam exsurges ex tali oratione, quin te experiaris illuminatum, confortatum et sanctis deliciis affluentem.

III. *Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.*

Hæc verba ardentissimum exprimunt proficiendi in via Domini desiderium. Instat regius psaltes magis et magis precibus *ut doceatur a Deo.* Non contentus est rem tam desiderabilem semel petivisse ; sed renovat suam piissimam petitionem. Utinam et nos id faceremus ! profecto et nos, sicut David exaudiremur efficacius uberioraque acciperemus mentis lumina et cordis consolationes.

Viam, inquit, *justificationum tuarum instrue me*, id est, diligentius doce me quæ sit via præceptorum tuorum ; quomodo videlicet ambulare debeam in lege tua.

Et exercebor in mirabilibus tuis, id est, in schola tua edoctus, exercebor in custodiendis *etiam* præceptis iis quæ *tam mirabilia*

sunt, ut præ altitudine vix per ea incedi posse videatur, qualia sunt, *Diliges Deum in toto corde tuo ;* et, *Non concupisces ;* et, *Diliges inimicos tuos*, et similia.

Non dubitandum quin eximios sacerdos referret fructus ex recitatione divini Officii, si, dum recitat psalmos quibus constat *Prima*, paulo lentius et attentius hunc, quem nunc meditamur, versiculum legeret. Non immerito commendant magistri vitæ spiritualis omnibus Breviarium recitantibus, ut scilicet seligant ex singulis Horis vel pauculos versiculos quos experti sunt magis excitare cordis affectum, et his, dum recitantur, aliquantulum inhæreant, lentius, ut diximus, et attentius eos recitando. Hæc agendi ratio mirifice adjuvat devotionem.

IV. *Dormitavit anima mea præ tædio ; confirma me in verbis tuis.* (Vers. 28.)

Ad nostram consolationem hæc scripsisse censendus est Propheta. Sincere iterum confitetur carnis suæ infirmitatem ; sed minime sinit se ad animi dejectionem dilabi. Recurrit autem ad orationem, instanterque postulat a Deo misericordiam. Quis non in se expertus est hanc, de qua dolet David, infirmitatem ? In hac enim peregrinatione vix invenitur qui non aliquando laxetur et præ tædio continuæ luctæ, quam habet

spiritus cum carne, quandoque non dormitet et tepidior fiat.

Dormitavit, inquit, *anima mea præ tædio*, dum videlicet tædet ambulare viam laboriosam, carne concupiscente adversus spiritum.

Confirma me in verbis tuis, id est, in præceptis tuis sectandis confirma me, addito fervore gratiæ tuæ, quo excitatus ambulare non cessem.

Ergo, dum tempore *desolationis* inclinat animus noster ad consistendum in via perfectionis, et ad res vitæ spiritualis negligentius peragendas, *pugnemus* strenue adversus ipsam desolationem, *fidelius* quam antea *peragendo omnia* quæ ex officio peragenda sunt, licet nullum sentiamus devotionis affectum, immo reluctante multiplici nostro amore proprio, carnali atque sensuali. Utique *vincenti dabitur manna absconditum*, ut promisit Spiritus sanctus. Igitur, o sacerdos, animo virili et constanti sustine hanc luctam spiritualem; et sine ullo dubio magnitudini desolationis respondebit magnitudo consolationis. Perge in via cœpta; nulla te procella, quantacumque fuerit, valeat in hac via vel per momentum retardare. Audacter dic cum Propheta: *In Deo meo transgrediar murum*! Et cum

divo Paulo : *Omnia possum in eo qui me confortat.*

V. *Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.* (Vers. 29.)

Quod modo dicebat uno verbo David : *Confirma me*, declarat nunc pluribus verbis.

Viam, inquit, *iniquitatis amove a me*, id est, fac per gratiam tuam ut longe recedam a via iniquitatis, quam ingredi incipiebam præ tædio ; et contra, *de lege tua miserere mei*, id est, misericorditer operare, ut ambulem per legem tuam, seu quod idem est : miserere mei, donando legem tuam.

Ergo, o sacerdos, ne per tædium vel per mentis fatigationem introducaris in viam tepiditatis, et per eam in viam iniquitatis seu peccati mortalis, recurre, ut David, ad *orationem humilem* et *ferventem*, atque postula a Domino gratiam manendi in adimpletione totius legis. Cave ne audire debeas aliquando hoc gravissimum Spiritus sancti verbum : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* (Jerem., XLVIII, 10) ; vel istud Apocalypseos : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

VI. *Viam veritatis elegi ; judicia tua non sum oblitus.* (Vers. 30.)

Postquam David confessus est suam miseriam et inclinationem ad viam pravam,

ostendit in tribus ultimis versiculis quid jam valeat propter præsentem gratiam quam sibi humili obtinuit prece. Quasi triumphans proclamat se, Deo opitulante, declinasse a *via mendacii*, et libera voluntate elegisse *viam veritatis*, ita ut a se nullum Dei judicium datum fuerit oblivioni, quamvis caro adversus spiritum vehementer concupisceret.

Forsan, o frater, ingemiscis, et, tristitiæ pressus pondere, conquereris quod longe verseris a Deo, siquidem nullum in te experiris amoris affectum, et non nisi tædia tibi pariunt quæcumque pertinent ad Dei famulatum. Attamen video te fidelem in omnibus; video te fungentem Officio divino reverenter, debito tempore et convenienti loco; video te ad altare divina mysteria peragentem cum decore, cum dignitate, servatis adamussim rubricis, et quæcumque circa cultum divinum præscripta sunt a Superioribus sedulo servantem; video te vacantem quodie meditationi et libros pie scriptos pervolutantem, necnon instituentem serio conscientiæ examina; video te præparantem accurate instructiones pro populo tuo; video te valde sollicitum circa munditiem tuæ ecclesiæ et circa ordinem cæremoniarum; video te assidue sedentem in

confessionali ad excipiendos pœnitentes ; video te promptum ad juvandos moribundos, ad visitandos ægrotos, ad docendos parvulos ; video te gravitate et modestia tua exhibere te semper et ubique *virum Dei*, semper paratum ad omnia facienda quæ pertinent ad tuam sublimem vocationem, non perfunctorie nec molliter, sed accurate et diligenter. O frater, gaude ; merces enim tua magna erit, et singulari circumdabit te gloria fidelitas tua, qua, quamvis tanta desolatione opprimaris, Deo tuo et animabus tibi commissis serviisti. Certe hæc tibi jucundissima verba a Judice tuo dicentur : *Euge*, SERVE BONE ET FIDELIS — *intra in gaudium Domini tui.*

VII. *Adhæsi testimoniis tuis, Domine ; noli me confundere.* (Vers. 31.)

Sensus est, ut exponit Bellarminus : *Ex me* adhæsi pavimento, sed *ex misericordia tua* adhæsi testimoniis tuis. Quamvis *carne* serviam legi peccati, tamen *mente* servio legi tuæ : et ideo noli me confundere ; quod certe fieret, si auxilio tuo me destitueres.

Hæc sint sensa cordis tui, o sacerdos, et minime confunderis.

VIII. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* (Vers. 32.)

Sensus est, exponente rursus Bellar-

mino : *Ex me* dormitavi præ tædio, sed *ex misericordia tua* viam mandatorum tuorum cucurri, id est : alacriter, expedite, cum delectatione legem tuam servavi, *cum dilatasti cor meum* per infusionem caritatis, quæ facit *jugum suave et onus leve.*

Intelliges igitur, o sacerdos, *gaudium cordis* singulariter nos juvare ad serviendum Domino. Gaude ergo, gaude semper, non quidem gaudio mundi, sed gaudio Domini. Iterum dico : Gaude, et gaudium tuum sit plenum ! Amen.

QUINTA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius quintus, He *(Versiculus 33-40).*

In quinto Octonario varia petit David a Domino, et hæc multiplex petitio ostendit quanti faciat legem Domini, quanto eam prosequatur amore, quantoque eam servandi desiderio urgeatur.

Petit igitur primo *desiderium* observandæ legis ; — deinde *lumen* ad eam intelligendam ; — tertio *gratiam* ad eam *implendam.* His non contentus, pergit in petendo ut obtineat etiam a Deo *remotionem contrariorum.*

Quis non videt hic sanctum Regem mirifice nos docere *ordinem* quem sequamur in acquisitione cujuscumque virtutis. Ete-

nim ante omnia excitare debemus in nobis *virtutis desiderium*, perpendendo, per meditationem et piorum librorum lectionem, virtutis *excellentiam*, ut sic sensim propellamur ad eam desiderandam; deinde attenta consideratione indaganda est virtutis *natura*, eaque probe intellecta, ad *nos* in ea *exercendos* virili conatu progrediendum est. Et quia sine divino auxilio frustra ad virtutes acquirendas insudaremus, necesse est ut frequenter a Deo, humili prece, efflagitemus hæc tria quæ tam ardenter a Dec suo expetit Propheta.

I. *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper.*

Expetit David a Domino ut non sinat se habere aliam legem quam legem divinam; rogat humiliter ut dignetur Deus eam sibi aliquo modo *imponere*: adeo de semetipso diffidit ille piissimus Rex. Utinam sic diffideremus et nos de nobismetipsis: frequentius utique ad Deum recurreremus pro consilio et pro auxilio, quod nunquam quis facit sine maximo animæ emolumento. Hanc veritatem edoctus sanctus Ignatius, tradit, in celeberrimo suo Exercitiorum libello, artem nosmetipsos adjuvandi ad quamcumque acquirendam virtutem. Ad exemplum proponit hominem, qui, perspecta

excellentia paupertatis evangelicæ, experitur in se *repugnantiam* ad eam amplectendam. « Consideret, ait, quod quando nos « sentimus affectos *contra* paupertatem « actualem, quando non sumus indifferentes « ad paupertatem, vel divitias, *multum juvat* « hominem ad exstinguendum talem affe- « ctum inordinatum, petere in colloquiis, « etiam si sit contra carnis sensum, *ut* « *Dominus eligat ipsum* ad paupertatem « actualem, et *protestari* se id velle, *petere* « et *supplicare*, dummodo sit servitium et « laus ejus Bonitatis. » Ceterum eo magis commendanda est hæc praxis, quod plerumque illud a quo illam sentimus *repugnantiam*, illud ipsum est quod a nobis Dominus requirit, ut ipsum *inveniamus in pace.*

Rogemus ergo Deum cum Davide, ut ponat nobis in corde desiderium solius legis suæ. Petamus ut nobis non placeat lex *peccati*, vel *mundi*, vel *carnis*, sed sola lex Dei. Cum Davide illam solam nobis in corde, in desiderio, in affectu poni cupiamus, et ideo cum ipso nobis sit propositum atque statutum *exquirere eam semper*, et in omni actione *quærere* quid jubeat lex divina.

II. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam ; et custodiam illam in toto corde meo.*

Quis non miretur sancti Psalmistæ humi-

litatem, dum ingenue confitetur se non habere sufficientem intellectum ad studium legis divinæ cum fructu instituendum ?

Hominem tantæ humilitatis non potest non benigno vultu aspicere Deus, eumque non plane exaudire. Forsan conquereris tu, o sacerdos, quod oratio tua carere videatur effectu : nonne Deus merito conqueritur quod tua oratio careat humilitate ? Stude ergo orare cum majori humilitate, et sine dubio majores consequetur effectus oratio tua.

Petit David intellectum ut *recte* legem Dei intelligat et ut scrutari possit ejus utilitatem, præstantiam, ac ceteras alias ejus dotes, idque *ut custodiat illam in toto corde suo ;* non enim cupit intelligere ad *curiositatem,* sed ad observantiam. — An talis est, o sacerdos, tua intentio in lectione et in studio rerum sacrarum ? Non potes oblivisci Dominum Jesum *stultum* vocare hominem qui contentus est nosse verbum Dei et illud intellexisse, sed qui minime juxta illud operatur.

III. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* (Vers. 35.)

Tertio jam postulat David gratiam implendi legem. Ne miremur eum in hoc longissimo psalmo rem eamdem sæpius repetere, sub variis verborum formis ; id

enim facit ad excitandum affectum et tollendum fastidium.

Hic utitur simplicissima comparatione *semitæ*, nam *Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum*, idem prorsus est quod esset *Fac me implere mandata tua*.

Perbelle ostendit Bellarminus quam merito vocentur *semitæ* Dei mandata. Etenim, ait, vocantur semitæ, quia semitæ sunt viæ angustæ, breves, rectæ, mundæ, per quas non solent incedere nisi homines pedites, non equi, non currus ; et talis omnino est lex Domini, si comparetur ad leges *carnis* et *mundi*, quæ sunt viæ latæ, sordidæ, obliquæ, et per eas animalia expertia rationis, id est homines animales et carnales incedunt. Et re quidem vera, quantum discrimen est, in modo vivendi, sacerdotem inter fidelem in observanda lege Domini et sacerdotem qui, lege divina oblivioni data, incedit per vias tenebrosas, tortas atque plenas sordibus, et id quidem diu ac noctu. O sane via peccatorum pessima, et corruptio optimi pessima. Utinam nullus sacerdos unquam per eam ambulasset!

Fac, o mi Deus, ut unicuique nostrum dicere liceat cum David : Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, *quia ipsam volui.*

Quam energicum istud *quia ipsam volui!* Ergo *velimus* et nos semitam mandatorum Dei, non quidem voluntate infirma, vaga, sine effectu, sed forti, absoluta atque virili. Talis enim voluntas non potest non sortiri optimum effectum; nam *qui dedit velle, dabit etiam perficere*, juxta promissionem Apostoli: *Qui operatur in vobis et velle et perficere.* (Phil., II, 13.)

IV. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* (Vers. 36.)

Jam postulat David a Deo *remotionem* illorum quibus retardari posset homo in impletione legis divinæ. Et primum quidem impedimentum est *avaritia.* — Rogat ergo Deum ut inclinet cor suum *in testimonia* ipsius, quasi dicat: Infunde cordi meo copiosam gratiam, per quam inclinetur in custodiam legis tuæ, et *non in avaritiam*, id est, non inclines cor meum in avaritiam. Dicitur autem Deus inclinare aliquem in malum, quando, destituendo eum aliqua gratia sua, sinit illum inclinari in malum. Et, ut docent theologi, isto modo loquendi Scriptura sancta demonstrat *potentiam gratiæ*, non autem quod Deus proprie inclinet ad malum. Similia, aiunt, sunt illa: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum* (Rom., I, 28), et *Quare errare nos fecisti,*

Domine, de viis tuis ? (Isaias, LXIII, 17.)

Quare igitur tam enixe petit a Deo David ut non inclinetur cor ipsius in avaritiam? Quia non ignorat dæmonem solitum esse servis Dei struere insidias, excitando in eis æstimationem et amorem divitiarum, ut per divitias impellat eos ad æstimationem et amorem dignitatum, et per dignitates et gloriam deducat eos ad superbiam, et per superbiam tandem aperiat eis viam ad omne flagitium.

Assuescat igitur sacerdos illum versiculum *singulari instantia* recitare, ut nunquam hujus sordidi vitii suspectus sit. Attente etiam consideret quæ de avaritia scripsere nonnulli Patres.

« Avaritia est immoderatus amor habendi ; et hæc immoderantia potest esse tripliciter : 1° in affectione ; 2° in retentione ; 3° in effectione. » (S. Antoninus, *Summa theologiæ*, p. II, tit. I, c. 1.)

« Avaritia cupiditas est, cupiditas porro improba voluntas est ; improba voluntas malorum omnium causa est. » (S. Augustinus, *de Lib. Arbit.*, lib. III, c. XVII.)

« Quid est avarus ? Sui homicida. Quid est avaritia ? Paupertatis timor semper in paupertate vivens. » (S. Bernard., *Epist. de cura et regimine rei fam.*)

« Avaritia enim non solum *pecuniæ*, sed etiam *altitudinis*. Recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. » (S. Greg. M., *Hom. 16 super Ev.*)

Avaritia insatiabilis est ebrietas ; sicut enim ebrii quanto plus vino se ingurgitant, tanto magis ad sitim inflammantur ; sic avari, quanto magis suas opes augeri vident, tanto et concupiscentia magis flagrant. (S. Chrysost., *Hom. 22 super Genes.*)

S. Basilius, avarum alloquens in homilia super *Destruam horrea mea* : Ut ii qui præ insania mente moti sunt, res ipsas non intuentur, sed ea ex quibus afficiuntur sibi animo fingunt, ita anima tua, ab avaritia possessa, cuncta aurum, cuncta argentum videt. Conspicias lubentius aurum quam solem.

O Domine, concede mihi gratiam semper a re tam turpi et tam periculosa abhorrendi in æternum !

V. *Averte oculos meos ne videant vanitatem ; in via tua vivifica me.* (Vers 37.)

Secundum *contrarium*, a quo sibi cavere intendit David, est *curiositas*. — Proinde petit ne oculi mentis suæ avertantur a lege Dei ad *vanitates*, id est, ne occupentur in cogitandis temporalibus rebus, quæ vanæ sunt ; sed potius effice, o Deus, inquit, ut totus intendam legi tuæ, et sic *in via tua*

vivifica me, id est, in via tua ambulantem seu legem tuam custodientem vivifica, refice, conserva. Hæc sit et nostra oratio.

VI. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* (Vers. 38.)

Tertium *contrarium* est *instabilitas*. — Equidem nonnulli significari existimant *per eloquium Domini* promissa Domini, et volunt sensum esse : Statue eloquium tuum, id est, imple promissa. Nos autem existimamus cum S. Augustino et Bellarmino per eloquium intelligi *legem*, et sensum esse Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo, id est, fac ut per sanctum timorem tuum statuatur, confirmetur, solidetur lex tua in servo tuo, ut immobiliter in illo hæreat et perseveret. Itaque respondet hic versiculus tertio versiculo hujus octonarii : ibi enim petitur gratia legis implendæ, hic petitur *remotio instabilitatis* et *gratia perseverantiæ*. Quam merito suadetur sacerdoti ut assuescat, dum recitat breviarium, hunc versiculum paulo lentius recitare, paulo attentius, et cum ardenti desiderio a Deo obtinendi donum perseverantiæ. Hæc petitio Prophetæ quadrat mirabiliter cum secunda oratione quam recitat sacerdos ante communionem in Missa.

VII. *Amputa opprobrium meum quod*

suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.

Quare tam ardenter petit David perseverantiam in lege Dei servanda? Quia timet opprobrium quod sequitur non perseverantes; nam magnum erit opprobrium in die judicii, et nunc est etiam in conspectu angelorum, non perseverasse in lege servanda, cum lex Domini non solum utilis, sed etiam suavis sit et jucunda.

VIII. *Ecce concupivi mandata tua; in æquitate tua vivifica me.* (Vers. 40.)

Hic versiculus est veluti conclusio quædam præcedentium. Nempe ex omnibus quæ modo petivit tanto cum fervore, existimat David luculenter apparere quod ex toto corde cupiat mandata servare. Propterea rogat Dominum ut *in æquitate sua*, id est, in ipsis mandatis suis seu in eorum observatione eum vivificet, augeat scilicet et conservet ei spiritualem vitam.

Procul dubio decet omnem sacerdotem, hoc nomine dignum, ita adimplere Dei mandata ut in omni conscientiæ examinatione Deo suo cum veritate dicere queat: Ecce concupivi mandata tua ex toto corde, et ita concupivi ut sit mihi hoc conscientiæ testimonium me nullum ex mandatis tuis voluntarie violasse, ideoque spero me novam accepturum vitam a te, o mi Deus, *Quoniam*

tu suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. (Ps. LXXXV, 5.)

SEXTA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius sextus, Vau *(Versiculus 41-48)*.

Sextus octonarius hoc habet speciale quod singuli versiculi, quibus constat, incipiunt a conjunctione *Et*. Hujus rei explicationem solide nobis præbet Bellarminus.

Apud Hebræos illud *et*, ait, nihil continuat, sed additur, ad initium librorum vel capitulorum, ornatus gratia. Sic enim incipit liber Levitici, liber Ruth, liber Ezechielis : sic incipiunt multa capitula, ut Isaiæ caput VII, *Et factum est*, et ejusdem caput VIII, *Et dixit Dominus*.

Ponit autem David hanc particulam ad singulos versiculos hujus octonarii, quia omnes debebant incipere par litteram *vau*, quae est sexta alphabeti hebraici, et quia fere nulla vocabula hebraica incipiunt per hanc litteram, nisi particula conjunctiva. Unde in versione latina omnes versiculi hujus octonarii incipiunt per vocem *et*.

Petit autem propheta initio hujus octonarii *misericordiam Dei*, ac deinde in reliquis versiculis declarat *effectus hujus misericordiæ* qui potissimum pertinent *ad legis*

divinæ custodiam, quem finem et quasi scopum totus psalmus respicit.

I. *Et veniat super me misericordia tua, Domine : salutare secundum eloquium tuum.*

Sensus est : Descendat ex alto gratia tua et misericordia tua super me. Declarat autem propheta quæ sit hæc misericordia, addens *salutare tuum secundum eloquium tuum*, id est salus tua, sive misericordia sanans animam, *secundum eloquium tuum*, quo promisisti misericordiam et salutem sperantibus in te.

Misericordia Dei celeriter exaudit nostra desideria, et solet vota nostra *antevertere*. Igitur *misericordia tua*, scilicet quæ petentis vota, voces et desideria antevertere solet, *veniat super me*.

Expressius habent eumdem sensum verba Isaiæ : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet ; clamabis, et dicet : Ecce adsum* (LVIII, 9). Itaque cum nondum ad finem oratio venerit, ipsum orationis filum interrumpet, et dicet : *Ecce adsum*. Præsto est Deus, velox occurrit, neque usque ad finem patitur protrahi orationem.

Id pulcherrime probat S. Ambrosius, explicans hæc verba sponsæ : *Vox dilecti mei ; ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* (Cant. II, 8.) Dormiens

sponsa quasi per somnium adventum sponsi desiderare cœpit ; ille vero vel somniantis vota irrita abire non patitur, sed statim adest. Sponsa eum optabat viam *segniter* capientem ; ille vero adest præcipiti cursu, instar cervi aut capreæ. Et *veniat* (inquit S. Ambrosius ad hunc locum) *super me misericordia tua. Cum invocaret igitur propheta, aderat, ut probaret illud : Quia adhuc loquentibus nobis dicit, Adsum.* Et paulo post : *Ecce,* inquit, *iste advenit. Adhuc ego eum quæro, et ille jam venit : adhuc ego suffragia capto, ut veniat, et ille jam proximus est. Ego suscitari mihi caritatem cupio, ego me vulnerari caritate peto, et ad me caritas ipsa festinat. Ego dixi : Veni ; ille salit et transilit.*

Hæc veritas, nam veritas est, singulariter nos, quotquot sumus sacerdotes, stimulare debet ad quærendum *spiritum orationis.* Qui hoc spiritu imbutus fuerit, potentissimus evadet ad omnia, etiam miracula, si necessaria fuerint, a misericordissimo Jesu obtinenda, qui dixit : *Petite et accipietis,* et : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* (Matth., XXI, 22), et : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* (Joann., XIV, 13), et : *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*

(Ibid. 14). O si haberemus fidem, si haberemus fiduciam ! O Maria, quæ vocaris *omnipotentia supplex*, utere hac tua omnipotentia ad nobis impetrandum a Filio tuo fidei augmentum atque fiduciæ !

II. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.* (V. 42).

Sensus est : Quia invocavit Deum suum misericordissimum, sentit in se nasci, fiduciam ad sufferendum inimicorum exprobrationes. Et re quidem vera S. Ambrosius, expendens hunc versum : *Quam bonum*, inquit, *est ferre convicium et convicium non referre. Deum præsulem acquirit, qui convicianti nescit irasci.* Et ibidem significat illa convicia quibus Christus Dominus petebatur, esse veluti quædam nutrimenta quibus ejus in Deum spes quodammodo alebatur. Quo enim majora probra ab hominibus audiebat, eo majora beneficia a Deo sperabat : idcirco illum comparat cum cervo qui veneno non deficit, sed proficit ; non tollitur, sed nutritur. *Quasi bonus cervus*, inquit, *nequaquam humanorum serpentium spiras et maledicorum venena metuebat; coluber illi non erat noxa, sed præda ; saginabatur venenatorum sermonibus. Illi sibila obtrectationum ora tollebant, et sermonibus odii circumdabant innocentem. Bonus cervus*

inter multos colubros positus non timebat. Fundebant obtrectationem; ego autem, inquit, orabam. Bonus cervus in medio viperarum innocuus pascebatur. Illi trisulcis ore linguis micabant; hunc autem sancta pascebat oratio.

Vides, o sacerdos, ut ex adversariorum maledicentia major ad Deum orandum confidentia oriatur? Et quomodo quem maledicorum linguæ tamquam viperæ venenant, eumdem ferventiores ad Deum preces, tamquam spirituales quædam dapes, non solum pascant, sed etiam saginent? Nemo igitur conviciis lacessitus animum abjiciat, sed potius in spem maximam erigatur, fore ut divinitus non solum sanetur, sed etiam recreetur. Ad hoc autem vitæ spiritualis principium recurrendi non rara nobis erit occasio. Quis ignorat bonum sacerdotem multis obnoxium esse oblocutionibus; et id quidem non solum ex parte fratrum suorum? Quam sapienter igitur agit ille qui, dum verbis, immo et conviciis impetitur, eadem premens silentio et contra dolos adversariorum pugnans tacendo, currit, quam primum potest, ad pedes Christi ejusque matris, et filiali colloquio orat pro maledicentibus! Non potest fieri ut non experiatur in se nescio quam pacem atque lætitiam, et simul concipiat sanctam auda-

ciam ad petenda quæcumque desiderat.

III. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis supersperavi.* (Vers. 43.)

Sensus est : Oro autem ut verbum veritatis, quo glorior adversus exprobrantes mihi, non auferas de ore meo, id est : Ne efficias, destituendo me gratia tua, ut non audeam hoc verbum loqui, et ne claudas ora de te confidentis, et promissa tua prædicantis ; vel si auferas ad modicum, ut probes me, ne auferas *usquequaque*, scilicet *omnino* vel *in æternum.*

Quia in judiciis tuis supersperavi : id est, quia in tua justitia et fidelitate *multum omnino* speravi.

Sanctus Augustinus refert hoc ad electos martyres qui, si ad tempus permissi sunt negare veritatem, non tamen *usquequaque* negare permissi sunt, sed post negationem fleverunt, et post confessionem coronam meruerunt, quales fuerunt S. Petrus, SS. Æmilius et Castus, et alii permulti.

Possumus etiam intelligere per *verbum veritatis* prædicationem ; hoc est, quando ad modicum justi silent propter errorem quempiam ipsis humanitus accidentem, vel etiam donum prophetiæ, si quod habent, ad exiguum tempus in illis impeditur. Sed ubi

in judiciis Dei supersperaverint, eos qu peccaverunt recipit propter pœnitentiam, et non amplius *usquequaque*, id est omnimodam subeunt doni privationem, sed illud recipiunt, ad semetipsos revertentes sibique advigilantes. Ergo nullus nostrum sinat se dilabi ad diffidentiam propter delicta sua, aut, quod pejus est, ad desperationem.

IV. *Et custodiam legem tuam semper et in seculum seculi.* (Vers. 44.)

S. Ambrosius observat hic pro *semper* in græco esse verbum quod non solum significat semper, sed etiam *per omnia*, ac si unico adverbio et *perpetuitas et universalitas* voti seu decreti significetur. Et subdit S. Doctor : *Sic per omnia legem custodiemus, si legitimam pueritiæ atque adolescentiæ disciplinam, juventutis conversationem, senectutis maturitatem, tramitemque singulis præscriptum ætatibus nequaquam vitæ nostræ usus excedat.* Felices igitur nimium sacerdotes qui nunquam desierint divinam legem observare ! Sed tamen animum ne despondeat qui aliquod suæ vitæ spatium non adeo sancte pertransierit. Ecce Magdalena post vitam peccaminosam speravit in Domino, et facta est sancta.

V. *Et ambulabam* [intellige *ambulabo*] *in latitudine, quia mandata tua exquisivi.*

VI. *Et loquebar* [intellige *loquar*] *in testimoniis tuis in conspectu regum : et non confundebar* [intellige *confundar*].

VII. *Et meditabar* [intellige *meditabor*] *in mandatis tuis quæ dilexi.*

VIII. *Et levavi* [intellige *levabo*] *manus meas ad mandata tua quæ dilexi; et exercebar* [intellige *exercebor*] *in justificationibus tuis.*

In quatuor ultimis versiculis (45-48) explicat propheta per partes, quæ sit perpetua legis custodia, quam in quarto versiculo *promisit.* Dicit igitur se corde, verbo, mente et opere in lege Domini semper *futurum.*

Et ambulabo [Omnia hic intelligenda sunt in futuro. Cf. s. Hieronymus et Beelen, *Boek der Psalmen*] *in latitudine*, id est, veniente misericordia Domini super me, jam ambulabo non in angustiis timoris, sed in latitudine dilectionis, scilicet *libenter, cum gaudio, magno affectu cordis* legem servabo, quia illam *exquisivi*, ut rem valde desideratam et amatam ; et *loquar* libere et sine timore de justitia sanctissimæ legis, etiam *coram regibus iniquis, et non confundar :* et assidue cum animo meo de ipsa lege cogitabo et ejus mysteria meditando considerabo : *et levabo manus meas* ad implenda mandata sublimia et excelsa, id est valde perfecta et ardua : vel, ut exponit S. Augustinus,

levabo manus *ad opera legis*, quia propter finem altissimum legem custodivi; qui enim propter mercedem *temporalem* legem custodiunt, non levant sed deprimunt manus dum operantur, neque dicere possunt, *ad mandata tua quæ dilexi:* non enim diligunt mandata qui legislatorem non diligunt. Denique his omnibus modis, id est corde, verbo, mente et opere *exercebor in justificationibus tuis.*

Miremur cum S. Ambrosio ordinem quo hic procedit propheta. *Pulcherrimus*, inquit S. Doctor, *iste ordo, ut primo meditemur, et eorum præceptorum quæ diligimus sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœlestium operis boni usus inolescit. Nam sicut meditationi verborum finis memoria est, ut quæ meditamur verba teneamus, sic meditationis præceptorum cœlestium intentio vel finis operatio est, actusque directus ad implenda præcepta divina. Quæ nisi quis diligat, implere non poterit; nec solum diligat, sed etiam nimis diligat. Ideo prius posuit: et meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis. Et subjecit: Et levavi manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis. Post meditationem enim bonum est levare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum caritate et gaudio, ut non ex*

necessitate sit bonum nostrum, non cum mœrore atque mœstitia, sed voluntarium; quia servus invitus facit, amicus voluntarius.

Ceterum hanc christianam meditandi exercitationem esse vehementer necessariam, vel ex eo potest intelligi, quod absque illa animus hospes est et peregrinus, non in cœlestibus modo rebus, quæ opertæ ut plurimum atque reconditæ, cogitantis mentis industriam agitationemque requirunt, verum etiam in muneris officiique sui ratione. Unde multos videre licet in divina œconomia cæcos, *sui ignaros*, dum in se penitus et in animi sui affectiones non sæpe ingrediuntur; *erga Deum minus reverentes*, de cujus formidabili majestate atque potentia vix cogitant; *in virtutis via dubios et palabundos*, de cujus necessitate atque præsidio ad beatam vitam parum solliciti sunt. Verum aliter sapiebat David, cujus vitam prope continuam fuisse meditationem accepimus, quique identidem hoc de seipso, ut hic, profitetur: *Meditabor in mandatis tuis.*

Merito igitur, qui fundamenta jecerunt Societatis quæ nomine *Unionis Apostolicæ* nuncupata est, inter statuta posuerunt quotidie a Sociis instituendam esse meditationem saltem per dimidiam horam. Et Deo sint laudes, vix jam invenire est sacerdotem,

suæ perfectionis sollicitum, qui a tam sancta exercitatione audeat abstinere.

SEPTIMA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius septimus, Zaïn *(Versiculus 49-56)*.

In hoc octonario quatuor proponit consideranda Propheta : æternam retributionem quam Deus legem servantibus repromisit ; suam, propter promissa Dei, fidelitatem in observanda lege ; consolationem quam ex hac fidelitate accepit, et tandem suum de iniquorum prævaricatione dolorem.

I. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* (Vers. 49.)

Quare audet David exhortari Deum ut in memoriam revocet id quod servo suo promisit ? Nonne hoc Dei injuria est, existimare Deum obnoxium esse oblivioni sicuti sunt mortales ? Certum est, Deum non posse aliquid oblivisci, vel voluntatem suam mutare, vel sententiam retractare ; sed per figuram quamdam *sermonis humani* dicitur Deus oblivisci, quando *differt* implere quod promisit, *quasi* promissi sui sit oblitus. Differt autem aliquando Deus implere promissa sua, non *oblivione*, sed *judicio ;* et, ut opportune animadvertunt theologi, quamvis facturus sit omnino Deus quod facere decrevit, *vult* tamen *rogari*

a fidelibus servis suis, et hæc oratio, aiunt, est unum ex *mediis* per quæ Deus promissa sua adimplere decrevit. Hinc conclude, o sacerdos, quam tibi necessarium sit recurrere ad orationem, si tibi videatur Deus id quod promisit, differre. Nonne Jesus hanc *legem orationis* statuit, ut obtineamus quidquid optamus obtinere? *Petite et accipietis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis.* Quid clarius? Nonne idem docet optimus Magister in parabola hominis petentis ab amico, jamjam dormituro, tres panes, et eos, post primam repulsam, renovata petitione obtinentis? Ergo ne desiste ab oratione, licet tibi videatur Deus concedere non velle quæ petis. Non *negat* petita, sed *differt* propter æquissimas rationes, quas forsan postea tibi notas faciet, ut gaudere valeas, videndo quanta bonitate, quanta sapientia suos filiolos duxerit Pater amantissimus per vias, nunc ignotas, sed in se vere mirabiles et divina suavitate refertas.

Orat igitur David in persona sua et aliorum fidelium, dicens: *Memor esto verbi tui*, id est, promissi tui, *in quo mihi spem dedisti*, cum dixisti servo tuo Abrahæ, et in illo omnibus filiis ejus: *Noli timere: ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* (Gen., xv, 1.)

Utinam, o mi Deus, hoc tuum promissum tantæ mercedis spem nostram in dies augeat nosque ad majorem impellat fidelitatem !

II. *Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.* Intellige : *Hoc* mihi solatio fuit *quod*...nam in lingua hebraica pro genere neutro ponitur femininum.

Omnes, quotquot sumus, merito confiteri possumus nos in *humilitate*, id est, in aliqua *afflictione* et *despectione* constitutos esse. Una enim tribulatione cessante, jam pulsat ad ostium cordis altera, ita ut, cum Apostolo dicere valeamus : *Quia propter te* mortificamur tota die. (Rom., VIII, 36.) Sed quam jucundum est pro certo habere nullam nostram tribulationem vacaturam mercede, immo compensandam esse *mercede magna* nimis ! Utique *multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.* (Ps. XXXIII, 20.) Cum Apostolo igitur et nos existimemus *quod non sunt condignæ passiones* hujus temporis ad *futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom., VIII, 18.) Profecto, o Domine, *eloquium tuum*, id est, promissio tua, *vivificavit me*, vitam et spiritum mihi tribuit vel roboravit et auxit.

Assuescat ergo bonus sacerdos qui se sentit aliqua pressum tribulatione, hunc versiculum pronuntiare ex toto corde ; et

continuo sentiet animam suam consolatione et sancto gaudio exsultantem.

III. *Superbi inique agebant usquequaque ; a lege autem tua non declinavi.* (Vers. 51.)

Hoc versiculo insinuat David suam agendi rationem et hanc quam habebat plenam simplicitate, spem promissæ retributionis superborum irrisionibus impetitam fuisse ; sed simul fatetur se in hac Dei promissione tantum invenisse vigorem et voluntatis firmitatem atque constantiam, ut, quamvis conviciis adversariorum urgeretur, minime a lege Dei observanda declinaverit.

Nonne, o mi frater, unus es ex iis sacerdotibus qui, propter timorem irrisionum a quibusdam pieatis operibus ad quæ se sentiunt Dei gratia impelli, quæque intelligunt maxime adjutura se ad progrediendum in via perfectionis, non sine remorsu conscientiæ, abstinent, et qui, ex quodam respectu humano fingunt se minus fideles, minus ferventes, quam esse vellent ? Et hoc profecto in sacerdote turpe est. Quanta tibi esset animi jucunditas, si, spreto irrisorum impetu, cum veritate dicere posses, ut David : Irriserunt simplicitati meæ usquequaque ; *a lege autem tua non declinavi.*

IV. *Memor fui judiciorum tuorum a seculo, Domine, et consolatus sum.* (Vers. 52.)

Sensus est : In humilitate et irrisionibus quibus me persequuntur adversarii, in mentem revocavi judicia quæ ab initio seculi exercuisti, *exaltans humiles* et *superbos reprimens*, reddens custodientibus legem tuam *præmia magna*, prævaricatoribus autem *magna supplicia*. Hæc sane recordatio singulariter lætificare debet bonum sacerdotem, medias inter aliorum oblocutiones et vituperia, eique tantas animi vires addere ut nulla injuria, nulla contemptus exhibitio, ipsius infringere valeat pietatem.

V. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* (Vers. 53.)

Illa recordatio judiciorum Dei non solum excitat Prophetam ad gaudendum de tanta mercede qua non dubitat remunerandam esse suam in lege servanda fidelitatem, sed provocat in eo sinceram animi compassionem erga illos qui negligunt Dei leges observare. Vox hebraica proprie significat horrorem, sive tremorem, ardorem sive æstum, adeo ut vox latina *defectio* hunc sensum habere videatur, Prophetæ tantum esse *horrorem* et *æstum* ut *defectionem* inducat. Absque dubio *magnæ caritatis* indicium est, contremiscere, ardere, deficere *ex misericordia erga peccatores*, vel ex *dolore* offensionis divinæ ; nam, ut observat Bellarmi-

nus, de utraque defectione versiculus potest exponi.

Decet utique sacerdotem hominum peccatorum misereri et sincerum concipere dolorem, videndo quantæ miseriæ se exponant divinam offendendo majestatem. Vix credibile est inveniri pastores qui, dum vident lupos gregem ipsorum invadentes ovesque mactantes crudeliter, minime commoveantur, nullam concipiant tristitiam, et tranquillo dormiant animo, quasi de sorte ovium suarum nullam haberent sollicitudinem. Tu, o mi Jesu, languidos et ægrotos conspiciens, dicebas: *Misereor super turbam;* et oculos conjiciens in civitatem Hierosolymitanam super sortem ipsius flere visus es. Fac, o mi Jesu, ut experiamur nos etiam sanctum tremorem et sinceram defectionem *pro peccatoribus* derelinquentibus *legem tuam!*

VI. *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* (Vers. 54.)

Conferens David sortem miseram eorum qui legem divinam transgrediuntur cum quiete, quam experiebatur in se, propter spem mercedis a Deo promissæ, quasi in canticum prorumpit jubilationis, cum mente pervolvit Dei justificationes seu divina præcepta. Hæc autem præcepta Dei usque

adeo dulcia et suavia erant, ut in hac peregrinatione qua peregrinamur a patria, dulce *canticum* essent. Et re quidem vera in Hebræo legimus : *Carmina mihi fuerunt præcepta tua ;* quare illud *cantabiles* significat leges divinas non fuisse *graves*, nec tales quæ cum dolore portandæ essent, sed *suaves, quæ instar carminum* oblectare possent.

Nonne merito ex hoc versiculo concludere quis posset *cantum* nos mirifice juvare ad exprimendos animi affectus, et sapienter Ecclesiam morem induxisse inter fideles *laudes Dei canendi ?* Optandum igitur est ut, intuitu ædificationis fidelium, et ad excitandam eorum pietatem, assuescant sacerdotes sollicitos se ostendere circa modum quo canitur in sua ecclesia, curando ut et *ipsi* res divinas cantare audiantur, non absurde, non frigide, sed *suaviter*, *recte* et ex toto corde, et ut illi quibus officium demandatum est Dei laudes cantandi, id faciant debito modo, et tanto cum decore tantaque cum suavitate ut ad officia divina populus alliciatur. Habent *cantica* sacra *suam eloquentiam*, et utinam ea uterentur omnes pastores ad animas Christo lucrandas !

VII. *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* (Vers. 55.)

Quis non miretur sancti Regis amorem erga Deum et in ipsius bonitate *fiduciam?* Illa beata spes tantæ promissionis, ait, non solum *interdiu*, sed etiam *noctu mihi nomen tuum in memoriam revocat, et ex affectu nominis tui*, id est, ex ardenti amore tuo, perseveravi in custodia legis tuæ. Quam beati sacerdotes qui hoc Dei amore flagrantes, ita nomen ejus venerantur atque diligunt ut, vel inter evigilandum de nocte, quasi ex filiali instinctu hoc amabile nomen invocent, quique ex illa invocatione singulares percipiunt delectationes! Mirum non est tales in servanda lege divina evadere insignes, et sua fidelitate sibi aperire viam ad uberrimas gratias atque Dei favores.

Intellige, o sacerdos, in hoc etiam versiculo nobis commendari piam sanctorum consuetudinem frequenter cor nostrum elevandi ad Deum ope *orationum*, ut vocant, *jaculatoriarum*. S. Franciscus Xaverius assidue, cum suavissimo animi affectu, exclamare audiebatur: O Sanctissima Trinitas! Et sancta Maria Magdalena de Pazzi in aliqua celebri visione intellexit sanctum Aloisium, in fine vitæ, cum propter acerbissimos capitis dolores, jussus abstinere ab omni oratione, unice posset brevissimis precibus uti, adeo illarum ope in via sancti-

tatis profecisse, ut vix credere posset tantam in cœlestibus esse gloriam quantam vidit esse gloriam Aloisii. Emittebat, ait, e corde *ignitas amore sagittas*, in Cor Jesu, unde ad cor Aloisii revertebantur maximis gratiis et donis onustæ. Profecto *cum simplicibus sermocinatio ejus!* Concede, o Jesu, nobis omnibus ut hac sanctorum simplicitate gaudeamus.

VIII. *Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.* (Vers. 56.)

Non est cur quæramus cum quibusdam interpretibus quid sit illud *hæc*, an hæc spes, an hæc lex, an hæc promissio, an quid aliud: nam apud Hebræos, ut paulo ante jam diximus, genus femininum est pro neutro, quo illi carent. Itaque, ut monet Bellarminus, sensus est: *Hoc totum*, nimirum ut promissiones Dei considerarem, et spem inde conciperem, et cetera bona, quæ inde nata sunt, hoc totum mihi evenit quia *justificationes tuas exquisivi.* Vult enim Propheta in hoc Psalmo, qui est encomium legis, omnia referre ad ipsam diligenter investigandam et amandam; ut hac ratione excitet homines ad considerationem, et impletionem legis.

Nos sacerdotes et quotquot ad recitandum divinum Officium adstringuntur, gra-

tias agere debemus Matri Ecclesiæ quod nos jusserit hoc legis encomium quotidie legere, ut et nos, non secus ac David, hanc legem summopere æstimemus, ardentissime diligamus atque fidelissime impleamus. Sit ergo hæc lex Dei nobis fons perennis beatitatis. Amen!

OCTAVA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius octavus, Heth *(Versiculus 57-64).*

In sequentibus versiculis, quos hic pro materia meditationis assumimus, vehementer commendatur piissimus *usus meditationis*. Etenim cum totus psalmus CXVIII sit quædam sancta legis divinæ *meditatio*, non possumus non mirari quomodo David *meditando* in corde suo excitaverit ardentissimos erga Deum affectus, et in mente conceperit firmissimum propositum amorem suum erga Deum ostendendi filiali legis observatione.

Quam merito dicere de se potuit David in ps. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Scilicet, dolens ex compassione fratris quem vidit tam graviter ægrotare, ut medicina correptionis nihil ei profutura videretur, ut patet ex v. 3° ejusdem psalmi, dicit ex dolore illo compassionis calefactum esse cor

suum dilectione, et inde meditari se cœpisse de miseria humana, de misericordia Dei, de ingratitudine hominum, de abundantia caritatis Dei erga ingratos et malos, et aliis id genus multis.

Et in meditatione mea exardescet ignis, ille, inquam ignis, ex quo dicebant illi duo discipuli apud Luc. XXIV : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Diligens enim et attenta meditatio via est ad *accendendum ignem* actualis caritatis Dei. Scio, ait Bellarminus, alios aliter exponere istum ignem ex meditatione exardescentem : exponunt videlicet de igne iracundiæ et indignationis ; sed nos S. Ambrosium secuti sumus et rationem connexionis et lectoris ædificationem.

Vergat igitur tota hæc nostra meditatio ad augendam in nobis æstimationem spiritualis exercitii adeo omni tempore et quidem a sanctissimis viris commendati.

I. *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.* (Vers. 57.)

Sunt qui putant sensum hujus versiculi esse : *Portio mea, o Domine*, erit *custodire legem tuam ;* tamen, juxta textum græcum, multo verius est sensum esse : *Portio mea* tu es, *Domine ;* estque id conforme aliis

locis, ut ps. XV : *Dominus pars hereditatis meæ;* et ps. LXXII : *Pars mea Deus in æternum;* et Thren., III : *Pars mea Dominus.*

Felix sane anima quæ vere dicere potest : *Portio mea tu es, Domine*, id est omnibus rebus creatis abrenuntio, nihil juris in eis habere cupio ; occupet ea quicumque voluerit ; mihi tu, Domine, solus sufficis, neque aliud requiro, aut requiram in æternum. Et quia, ut te aliquando possideam, tibi soli placere cupio, ideo *dixi*, statui, firmiter proposui *custodire legem tuam.*

Audiamus S. Paulinum in epist. ad Aprum id suavissime enuntiantem : *Sibi*, inquit, *habeant litteras suas oratores, sibi sapientiam suam philosophi, sibi divitias suas divites, sibi regna sua reges; nobis gloria et possessio et regnum Christus est : nobis sapientia in stultitia prædicationis, nobis virtus in infirmitate carnis, nobis gloria in crucis scandalo, quo mihi mundus occiditur, et ego mundo, ut vivam Deo, non autem jam ego, sed in me Christus.*

Quis sacerdos, qui hunc versiculum, dum fungitur divino officio, attenta mente et optimo corde recitat, non in memoriam reducit cum ingenti gaudio et cum animo grato, illud vitæ suæ momentum, quo manu episcopali ipsius capillum incidente, dixit

cum magno affectu : *Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei ; tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* Sit igitur hujus versiculi recitatio nobis occasio quotidie Deo gratias agendi pro nostra sublimi vocatione ad dignitatem sacerdotalem.

II. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo ; miserere mei secundum eloquium tuum.* (Vers. 58.)

Sentit se propheta ex propriis viribus imparem esse retinendæ tam admirabili animæ dispositioni ; propterea iterum recurrit ad orationem. Et *quomodo* has expetit a Deo gratias sibi tam necessarias ? Non frigide, non oscitanter, sed *ex toto corde.*

Recogita, o sacerdos, quænam sit tua orandi ratio. An fervens est tua precatio et procedens ex animo sanctis desideriis inflammato ? Forsan obstupescis et erubescis quod soles tam pigre, tam distracte alloqui Deum tuum ad obtinendas gratias quas tamen experiris tibi esse quam maxime necessarias. O si ferventius orares et attentius, citius impetrares quæ petis.

Ex verbis, quibus utitur David, existimare licet eum tanta animi recollectione et tam vivifica fide solitum fuisse cum Deo suo sermocinari, ut aliquomodo sibi vide-

retur Deum præsentem intueri ejusque divinam contemplari faciem.

Quam felices nos sacerdotes, si vel scintilla tantæ flammæ, qua David in suis sanctis exercitationibus incendebatur, in corda nostra orantium illaberetur! Ergo convenit ut unusquisque nostrum identidem aliquos adhibeat conatus, ut cum veritate dicere queat Deo : *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, et sine dubio *miserebitur* Deus noster *secundum eloquium* suum, id est secundum suam promissionem.

III. *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua.* (Vers. 59.)

Intellexit David non satis esse *Deum orare*, sed etiam oportere auxilio Dei *cooperari :* ideo posteaquam precatus est Deum, addit : *Cogitavi vias meas*, id est examinavi rectene an secus ambularem ; item consideravi actiones meas, an legi Dei conformes essent ; *et converti pedes meos in testimonia tua*, id est, converti affectus meos, a lege carnis et peccati, ad legem tuam, Domine, quæ sola est via recta.

Hic versiculus concordat cum primo versiculo ps. XXXVIII : *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

Sollicitus erat David de vero bono non amittendo ; ideo deliberavit et firmiter apud

se constituit magna circumspectione uti in omnibus actionibus, ut, si fieri posset, ne in verbo quidem offenderet, *quasi* audivisset ab Apostolo: *Videte quomodo caute ambuletis* (Ephes., v, 15) ; et a beato Jacobo (III, 2) : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Ait igitur : *dixi*, nimirum apud me statui, decrevi, legem mihi ipse posui, *ut custodiam vias meas*, ut cautissime ambulem in via vitæ hujus, et diligenter attendam ubi gressus ponam, ne in foveam cadam, vel offendam ad lapidem, vel certe deviem ab itinere recto. Et quoniam nihil est facilius, nihil periculosius quam verbo offendere, cum ex verbis inconsiderate prolatis oriantur rixæ, contentiones, jurgia et alia mala tam multa, ut S. Jacobus dixerit linguam esse universitatem iniquitatis (Jac., III, 6), ideo singulariter addit propheta : *ut non delinquam in lingua mea ;* sic enim infinita mala effugiam.

Beatus eris, o sacerdos, si sicut David, serio consideras vias tuas, ut convertas pedes tuos in viam virtutis et sanctitatis. Nam facienti quod in se est nunquam deerit Dei gratia et benevolentia.

Pulchre igitur hic nos docet propheta *artem meditandi.* Etenim, juxta optimos vitæ spiritualis magistros, quæcumque

meditatio non magnæ erit utilitatis, si tantum *speculativa* fuerit ; necesse est ut etiam *practica* sit et deveniat ad actionem. Ergo qui meditatur, intellecta aliqua veritate inter meditandum, redeat ad semetipsum, exquirens sincere an sua ratio judicandi, loquendi, agendi, huic veritati conformis sit et, juxta conscientiæ reponsum, proponat sibi corrigere corrigenda, perficere perficienda. Dein, ut propositum conceptum efficaciam suam sortiatur, de eo aliquantum colloquatur directe vel cum Deo, vel cum B. Virgine. Brevi, omnis meditatio tribus comprehenditur verbis : *considerare* veritatem, veritatem intellectam sibi *applicare*, proposita inde deducta ferventi prece *Deo commendare*. Quid simplicius? Nonne id fecit David?

IV. *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* (Vers. 60.)

Sensus est : Non solum legem custodire *decrevi*, sed promptus sum *statim* aggredi opus justum, et quidquid memetipsum examinando faciendum esse intellexi; neque ulla perturbatio me retardare poterit a custodia legis tuæ.

Nullum igitur tempus observandæ legis me imparatum inveniet ut festinare non possim, sed semper paratus sum et expe-

ditus ad opus *celeriter* implendum ; et nunquam sinam me ita turbari ut propterea moram me facere oporteat.

Quam longe alia est nostra agendi ratio! Inter contemplandum multa et optima quidem concipimus proposita, eaque forsan in *codicem propositorum* scripta referimus. Sed quam pauca inde in lucem edentur ! Utique bonum est concipere proposita ; sed parum est, si non ad praxim deducantur. Quis non confitebitur optatius esse concipere vel *unum* propositum quod statim detur exsecutioni, quam mille proposita, licet pulcherrima, quæ nunquam ad effectum pervenient ?

O mei fratres, cum David firmiter statuamus nos semper paratos exhibere ad faciendum sine ulla cunctatione quidquid intellexerimus Deo placiturum et ad vitandum quidquid nobis constiterit ipsi displiciturum. Nulla jam perturbatio, nulla tempestas, nulla hominum contradictio valeat nostram infringere animi firmitatem et nos impedire, quin fideliter et generose mandata Dei custodiamus.

V. *Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.* (V. 61.)

Fatetur propheta non defuisse sibi impedimenta ad servandam animi sui fir-

mitatem in custodienda lege Domini.

Sunt, ait, qui me perturbare et retardare conati sunt; nam *funes hominum peccatorum*, i. e. *laquei* sive *retia* variarum tentationum, *circumplexi sunt me;* sed adjutus gratia, quam a tua bonitate curavi postulare, *legem tuam non sum oblitus*, id est, facere non potuerunt tentationes illæ ut legis tuæ obliviscerer, et ab ipsa implenda retardarer.

Quis ignorat nostris præsertim temporibus innumeros funes peccatorum circumplecti sacerdotem? Tendit ipsi funes diabolus, tendit funes mundus, tendit funes proprium ipsius cor, vitio primi parentis depravatum. Ne igitur miremur S. Antonium aliquando vidisse, ut ipse fatetur, totum mundum retibus oppletum ad capiendos servos Dei. Caveat igitur sacerdos *semper* et *ubique* ab istis perfidis retibus. Atqui retia diabolica vocat S. Ignatius *æstimationem et amorem divitiarum; æstimationem et amorem dignitatum;* omnia denique per quæ diabolus conatur nos impellere ad *superbiam.* Docet autem idem sanctus ad hæc retia firmo pede conculcanda et destruenda, nihil esse melius quam se imbuere, juxta consilia divini Magistri, *æstimatione et amore paupertatis, æstimatione et amore humani contemptus et opprobriorum*, eaque

amplecti toto animo per quæ quis devenire possit, si velit, ad summam humilitatem. Quo pauperior sacerdos, quo humilior, eo erit ab insidiis peccatorum tutior!

VI. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.* (V.62.)

Connexio hujus versiculi cum præcedentibus hæc est: quia tu es, Domine, portio mea, non solum *interdiu*, sed etiam *noctu*, immo etiam media nocte, quando summa quies est in terris, vacavi legi tuæ considerandæ. *Surgebam* enim *media nocte ad confitendum tibi*, id est, ad te laudandum super justissima et sapientissima præcepta tua.

Quam admirabilis, o sancte David, tuus erga Deum amor! Quam admirabilis tua legum Dei tui sollicitudo! Utinam ego *sacerdos Dei*, Deum meum ut tu diligerem! Utinam ut tu Dei mei legem amarem! Sed proh dolor! forsan adeo frigidus sum in amando Deum, adeo indifferens ad meditandam legem Domini, ut non raro lectus me captivum teneat, dum, orto jam sole, campana vocor ad missam celebrandam, nulla facta oratione, nulla habita ad tantum munus præparatione. Forsan adeo parcus est meus erga te amor, o mi Deus, et erga filios tuos pauperes, ut renuerim surgere *paulo*

citius quam soleo, ad reficiendos sancta communione opifices et ancillas, qui enixe hoc a me petiverant. Vix credibile est id fieri posse, et tamen factum est.

VII. *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* (V. 63.)

Hoc deducitur ex prima illa propositione, *Portio mea Dominus; omnes* enim timentes Deum et custodientes mandata ejus, colliguntur tamquam membra viva in unum corpus *glutine caritatis*, quæ dicit: *Portio mea Dominus;* et hoc modo *singuli sunt participes omnium*, quia caritas facit omnia communia. *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*, ut ait Apostolus. (I Cor., XII, 26.)

Ex hac veritate capiet bonus sacerdos majorem fiduciam, ingens gaudium et novas ad laborandum et patiendum vires, cum sibi persuasum habuerit se neutiquam solum et quasi segregem laborare et pati, sed laboris sui et suæ passionis multos exsistere socios, quibuscum et ipse laborat et patitur, et sic sese partem habere mercedis quam singuli percipiunt a Deo, justissimo et benignissimo remuneratore. Dum nocte evigilas, o frater, nonne dulcis est et jucunda hæc tua cogitatio, eo momento Ecclesiæ jussu innume-

ros religiosos atque moniales laudes divinas decantare, et te, propter intentionem, hujus sancti operis esse participem? Utique, o Jesu, jugum tuum suave est et onus tuum leve.

VIII. *Misericordia tua, Domine, plena est terra; justificationes tuas doce me.* (V.62.)

Gaudens de gratia, qua particeps factus est omnium timentium Deum et custodientium mandata Dei, non potest non cogitare de immensa Dei *misericordia*, qua dignatus est ei hanc gratiam impertiri. Unde altius mente assurgens, videtur sibi cum grato animo contemplari universum mundum tamquam istius misericordiæ participem; quasi diceret: Ego quidem *particeps sum omnium timentium te*, sed misericordiæ tuæ participes etiam sunt omnes qui habitant in terra, boni et mali, homines et jumenta, animata et inanimata. Proinde miserere mei, *ut doceas me justificationes tuas;* hæc enim summa miseria est non scire legem tuam, ut sciunt qui illam implent. Hanc miseriam tollat a me misericordia tua, quia, hoc unum ambio, hoc concupisco, cum tu sis portio mea, Domine.

Profecto beati sacerdotes qui talia sensa in se experiuntur. O Domine, da mihi hanc beatitudinem. Amen!

NONA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius nonus, Teth *(Versiculus 65-72)*.

Sanctus propheta, attenta et assidua legis divinæ consideratione, tantum hujus legis concepit amorem, ut paratus sit omnem movere lapidem ad eam melius in dies cognoscendam, et perfectius implendam. Quapropter in hoc octonario expetit a Deo tria quæ judicat ad custodienda præcepta Domini necessaria esse, nempe *bonitatem*, *prudentiam* et *scientiam*.

Nullus sane diffitebitur hic nobis vastum præsterni utilissimarum considerationum campum.

1. *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* (Vers. 65.)

Hic versiculus nihil aliud est nisi *proœmium* quoddam ad postulandum a Deo quæ vehementer obtinere exoptat.

Sensus enim est : Bonitatem fecisti cum servo tuo, id est, *suavitatem* et *benignitatem*, sive *mansuetudinem* tuam, exhibuisti servo tuo. Non ignorat scilicet David *grati animi* exhibitionem etiam apud Deum valere ad comparanda sibi nova beneficia. Gratias igitur agit divino suo benefactori pro *bonitate qua semper usus est* erga servum suum, et addendo *secundum verbum tuum*

delicatissime insinuat et laudat Dei in promissis exsequendis fidelitatem. In his paucissimis verbis quam pulchra, quam suavia, quam Deo acceptissima exprimuntur cordis sensa! Felices nos nimium, si nobis, cum Deo loquentibus, ea sit simplicitas et fiducia qua utebatur regius psaltes in sua cum Deo conversatione. Sine ullo dubio, *filialis* cum Deo, qui optimus pater est, collocutio non potest non sortiri eximios effectus.

II. *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.* (V.66.)

Sensus est : *Sicut*, Domine, bonitatem sive suavitatem erga servum tuum ostendisti, *ita* rogo ut doceas me *eamdem bonitatem*, sive suavitatem, quam exhibeam proximis meis, ita ut nulli nocere, nullum decipere, nullum fraudare velim : hoc addas etiam ut doceas me *disciplinam*, id est prudentiam, ad cavendum a deceptoribus et fraudulentis. Proinde fac me ita habere suavitatem et bonitatem *columbæ*, ut non desit mihi consilium et prudentia *serpentis*. Denique post bonitatem et prudentiam peto etiam *scientiam*, qua agnoscam mysteria legis tuæ ; quæ scientia, sicut sine bonitate et prudentia *inflat*, ita habentibus bonitatem et prudentiam, utilissima est.

Quis non miretur quam recto ordine

postulet David primo *bonitatem*, deinde *prudentiam*, ultimo *scientiam?* Nos plerumque quærere videmur scientiam vel prudentiam, et de *bonitate* parum laborare. De hoc nostro errore doleamus, eumque deponamus.

Quare, o sanctissime rex, tanta cum fiducia hæc tria dona expetis a Deo tuo? Respondes: *Quia mandatis tuis credidi.* Videlicet credidisti promissionibus in mandatis Dei contentis: credidisti illa mandata *divina* esse, et proinde dignissima quæ diligentissime custodiantur. Unde persuasum habuisti Deo gratissimam fore tuam postulationem.

Quod credidit David, credamus et nos, et assuescamus verba istius versiculi quotidie recitare cum singulari affectu et cum vero desiderio hæc pretiosissima dona assequendi. Nullus non videt quam hæc tria, nempe bonitas, prudentia et scientia, necessaria sint omni sacerdoti qui cordi habeat, non solum propriam salutem et sanctificationem, sed et aliorum, quam plurimorum. Etenim si careat *bonitate*, neque sibi neque aliis proderit; quod si habeat bonitatem et careat *prudentia*, aliquem certe fructum colliget ex labore suo, sed sæpe sæpius pessum dabitur ille fructus, vel prorsus impe-

dietur ex imprudentia verborum vel actionum. Si bonus sit et prudens, sed careat rerum sacrarum *scientia*, fructus laboris nunquam respondebit exspectationi. O Domine Jesu, da Ecclesiæ tuæ sacerdotes bonos, prudentes et doctos quam plurimos. An ego inter tales mereor connumerari? Tu scis, Domine.

III. *Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium suum custodivi.* (V. 67).

Pulchra inter hæc et præcedentia connexio est. Etenim petierat David in præcedenti versiculo tria dona ad custodiendam divinam legem necessaria, et in hoc versiculo reddit suæ petitionis rationem. Peto bonitatem, prudentiam et scientiam, ait, quia his absentibus deliqui, et propter delicta mea mihi immisit Deus tribulationes unde mihi nata est humiliatio. Declarat igitur pius rex se fuisse tribulatum et humiliatum, quia deliquit, et se deliquisse ex defectu illorum donorum quæ humili nunc prece expostulat.

Miremur simplicitatem atque sinceritatem qua agnoscit piissimus rex se merito a Deo humiliatum fuisse. Quam longe absumus nos ab illa agendi ratione, qui propter minimam humiliationem animo dejicimur, questus edimus et remissiores evadi-

mus in adimplendis quæ sanctissima nostra vocatio a nobis requirit. Fortiori certe animo ageremus, si nobis, sicuti David, persuasum esset nos priusquam humiliaremur deliquisse, et proinde *merito* nobis obvenisse humiliationes nostras.

Propterea eloquium tuum custodivi. Est hæc sapiens prophetæ conclusio : experientia meæ miseriæ edoctus, deinceps attentius custodivi legem. Sit et hæc nostra conclusio.

IV. *Bonus es tu : et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* (Vers. 68.)

Hæc verba conjungenda sunt iis quæ modo præcedunt, et hunc habent sensum : Mihi propositum est attentius custodire legem tuam, ut consequar *legis scientiam ;* sed sine te, o mi Deus, nihil possum. Ergo dignare *tu, qui bonus es* et suavis et infinite sapiens, dignare, inquam, tu ipse me hanc docere scientiam, ut non amplius delinquam. Et hæc sit etiam nostra precatio, precatio quidem frequens et fervens.

V. *Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* (Vers. 69.)

Hic significatur necessitas alterius doni, scilicet prudentiæ. Etenim: *Multiplicata est super me iniquitas superborum ;* id est, su-

perbi prævaricatores multiplicarunt super me *mendacia* sua, ut me ad transgressionem legis tuæ adducerent. Unde intellexi prudentiam mihi esse quam maxime necessariam. Hoc dono adjutus, in toto corde, non frigide aut tepide, scrutabor mandata tua. *Multiplicata est super me iniquitas.* Ex superbia, inquit, multa adversum me iniquitate utuntur ; sed ego ad vindictam non moveor, mandatis tuis directus.

Caveas et tu, o sacerdos, ab illo fratre, qui minus recte ambulans in via fidelitatis, liberioremque ducens vitam, conatur suis irrisionibus te a perfectionis tramite abducere. Sine illum irridere tuæ simplicitati, et imitare prudentiam serpentis salvando caput, scilicet tua exercitia spiritualia, præsertim meditationem et conscientiæ examinationem quotidianam. Minime propter irrisiones aliorum omittenda sunt ea ad quæ te impellit conscientia, gratia Dei inspirante.

VI. *Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuamm editatus sum.* (V. 70.)

Sensus est : Superbi illi induratum cor habent, sicut induratur caseus ex lacte coagulato confectus ; ideo, illis dimissis, legi tuæ meditandæ vacavi.

Illud autem *coagulatum* simile est isti,

Induratum est cor Pharaonis (Exod., VII, 22), et *Incrassatum est cor populi hujus* (Matth., XIII, 15). Id est : Illi quidem cor refractarium habuerunt ; ego autem meditationi legis tuæ animum adjeci.

VII. *Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.* (Vers. 71.)

Hæ voces sunt grati animi et hominis in omnibus etiam adversis divinam providentiam agnoscentis, quemadmodum Paulus, qui in infirmitatibus et contumeliis gaudebat. Quando enim impugnati fuerimus, exsultamus ; et gaudium quod in tribulationibus collegimus, illud in rebus prosperis dissolvimus.

Afflictionibus enim improbi indurantur, probi emendantur. Nonnulli ante superbiam quidem strenui erant et corde simplici atque potabili, ita ut cor eorum cum lacte delicatissimo compararetur ; postquam superbiam induerunt, omnes indurati sunt et quasi e lacte in caseum transmutati.

S. Bernardus (*Serm. 34 in Cant.*) pulcherrime hæc verba : *bonum mihi quia humiliasti me*, sic interpretatur : Non ait David, *patienter* tuli quod humiliasti me, sed *bonum mihi*, id est, jucundum et gratum fuit mihi *quod humiliasti me*. Sed quid inde emolumenti ? *Ut discam justificationes tuas*, id est, abdita

mysteriorum tuorum tenui et opere mandata tua sum exsecutus. En tibi in quantum apicem evehitur, quia *lubens* humilis est. Vides quia *humilitas* justificat, et non *humiliatio.* Quanti humiliantur et humiles non sunt! Alii cum *rancore* humiliantur, alii *patienter*, alii *libenter.* Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. *Humilibus* enim Deus *dat gratiam.* (Jac., IV, 6.) Non ait humiliatis, sed humilibus ; id est, eis qui patienter ferunt et *amant* humiliari, his uberem gratiam Deus instillat.

Talis fuit rex David, cui hoc beneficium majus omnibus visum est. De hoc amplissime gratias agens: *Bonum mihi*, inquit, quia humiliasti me. Dixerit Joseph suo Pharaoni, Bonum mihi quia exaltasti me; dixerit Ruth suo Booz, Bonum mihi quia ditasti me ; dixerit Esther conjugi regio, Bonum mihi quia coronasti me ; dixerit Mardocheus Assuero, Bonum mihi quia honorasti me ; dixerit Tobias angelo, Bonum mihi quia illuminasti me ; dixerit Naaman Eliseo, Bonum mihi quia mundasti me ; dixerit claudus Petro, Bonum mihi quia sanasti me ; dixerit Lazarus Christo, Bonum mihi quia ad vitam revocasti me : at rex David inter maxima beneficia reponens, *Bonum*, inquit, *mihi quia humiliasti me.* Bonum mihi, bonum omnino;

nam hoc mihi longe utilius, ideo et carius, quam si aureos a te montes accepissem. Cur hoc, obsecro, huic regi tam bonum? *Ut discam justificationes tuas.* Jure merito itaque David maximas refert gratias, non quod ditatus et exaltatus, sed quod humiliatus sit. Humiliatio siquidem et afflictio homini longe utilissima est : hæc fortitudinem et fidelitatem, hæc commiserationem et abstinentiam, hæc orationem et mortificationem, hæc prudentiam et modestiam exacte docet, ut verum sit illud : *Quæ nocent docent ;* quod Græci tam breviter quam eleganter : *pathemata mathemata.*

VIII. *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.* (Vers. 72.)

Ex abundantia primi doni, quod jam consecutus erat, dicit : *Bonum mihi quia humiliasti me;* neque enim id dicere potest nisi homo vere mitis et humilis corde, ac per hoc vere bonus, qui per experientiam judicium de bono ferre potest. Existimat is, qui vere bonus est, magnum donum humiliationem ex tribulatione venientem, quoniam causa est custodiæ legis, quæ, quantum sit bonum, explicatur in præsenti versiculo : *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti ;* et vere ita est, quoniam per custodiam legis acquiritur

vita æterna, cui nulli thesauri comparari possunt.

DECIMA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus, Jod *(Versiculus 73-80).*

Hic octonarius totus est admirabilis quædam precatio qua David, novis nitens argumentis, conatur obtinere a Deo gratiam legis custodiendæ. Rationes autem, quibus nititur *ejus* tantæ gratiæ petitio, sunt: necessitas Deo suo obediendi, — ædificatio bonorum, — propriæ culpæ humilis confessio, — iniquorum confusio.

Hæc argumenta, solidissima sane, singularem accipiunt vim ex affectu quo exprimuntur. Beatus sacerdos qui, dum Deum precatur, solet ad eum mittere non frigida verba, sed sagittas e corde æstuanti profectas. Taliter precantibus libenter annuit Deus, qui totus quantus caritas est.

I. *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me; da mihi intellectum, et discam mandata tua.*

Poscit primum gratiam legis custodiendæ ex eo quod, *cum sit figmentum manuum Domini*, debet illi summam obedientiam. — *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me*, id est, ait Bellarminus, potentia tua et sapientia tua, *quasi duæ manus tuæ, fecerunt*

me, cum non essem, et *plasmaverunt* me, ordinantes membra et potentias, cum essem initio quasi massa luti; vel, ut alii volunt, *fecerunt* me, quoad *animam*, et *plasmaverunt* me, quoad *corpus*. Ideo cum totus sim tuus, debeamque tibi summam obedientiam, peto ut des mihi *intellectum*, ut discam mandata tua, non ut solum *sciam*, sed etiam *faciam*. Pro *da mihi intellectum* in Hebræo et Græco est una vox tantum, quæ significat *intelligentem facere*. Itaque illud, *da mihi intellectum*, non significat, da mihi vim intelligendi, quasi sine ea formatus essem, sed, da mihi *lumen divinum*, quo mens mea perfecte discat mandata tua, et sibi persuadeat optimum esse illa complere. Sed ulterius progredi possumus.

David enim, licet die ac nocte in lege Dei meditaretur, hic tamen *intellectum* tamquam facultatem quamdam petit, significans hominis studium laboremque in divinis Litteris perscrutandis nihil prodesse, nisi Dei auxilium accedat, qui *clausa* reseret et aperiat. Unde prudenter Cassiodorus (Præfatione Lib. I. De divinis lectionibus): *Oremus*, inquit, *ut nobis aperiantur illa quæ clausa sunt, et a studio legendi nullatenus abscedamus. Nam et David, cum esset in lege Domini jugiter occupatus, tamen*

clamabat ad Dominum, dicens: Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Jungatur itaque humanus labor cum gratia divina, et nostri studii imbecillitas divini auxilii basi nitatur; alioquin ruet, nosque ingenti exitio obruet atque sepeliet.

Haud dubie miræ humilitatis est illa frequentissima *intellectus* petitio: testatur enim Davidem minime sibimetipsi fidere cum agitur de sui ipsius cognitione. Quamobrem tamquam parvulus clamat: *Da mihi intellectum;* ita ut non modo cognitionem petat, sed *ipsam potentiam* seu facultatem quæ quasi instrumentum sit ad acquirendam cognitionem. Non igitur immerito, hunc locum explicans, S. Ambrosius dixit: *Intellectum petit, ut ipse se noverit et naturæ suæ possit scire rationem. At illi qui de rerum natura disputant, cœli scrutantur plagas; qui seipsos scire non possunt, putant intelligentiam sine Dei dono posse concedi. Unde et nos humilitatem debemus sumere, ne extollamur.*

Ergo, licet forsan docti nos videamur esse in rebus etiam spiritualibus et homines nostram mirenter scientiam, putemus tamen nos, dum agitur de nostra ipsorum cognitione, rudes esse et veluti sine intellectu amentes. Non minus igitur ardenter dicamus sæpissime et quidem cum vera humi-

litate : *Domine, da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

II. *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi.* (V. 74)

Hæc est secunda ratio, sumiturque *ab ædificatione proximorum.* — *Qui timent te*, nempe veri et fideles servi tui, videntes me servantem mandata tua, *lætabuntur*, inprimis *propter Deum*, cujus amore flagrant cujusque vehementer exoptant gloriam, quæ necessario ex fideli observatione mandatorum ipsius oritur, deinde *propter me*, quem diligunt vera caritate, quemque vident in via felicitatis, quæ est via mandatorum, ambulantem.

Sicut homo malus ac durus, qui nunquam in virtutem pronus est, quasi ex solo justi aspectu, propter onus conscientiæ contristatur et dolet, sic qui virtuti studet ex aspectu justi maxime lætatur, sive quod viæ socium ac ducem, quo incitetur, invenerit, sive quod virtutis lineamenta in ejus ore videns in illius amorem accendatur. S. Bernardus (*Serm. 14 in Cant.*) ingenue fatetur, se, cum aliquando in virtutis studio frigesceret ac torperet, solo viri alicujus spiritualis aspectu ad perfectionem vehementer incensum et inflammatum fuisse.

O si omnes id intelligerent sacerdotes !

Sine ullo dubio magis contenderent acquirere virtutes statui suo proprias et satagerent acquirere perfectionem atque sanctitatem, ex desiderio vere sacerdotali et apostolico impellendi omnes suos parochianos ad exercitium virtutis et perfectionis christianæ. Conarentur utique esse in omnibus, semper et ubique *forma gregis ex animo* (I Pet., v, 3).

Considera, o sacerdos, mentes fidelium qui curæ tuæ commissi sunt, totidem esse chartas photographicas quibus vivide imprimitur facies sui pastoris et quidquid ad ipsius formam pertinet exteriorem. Modestus sit pastor, moderatus, pius, pacificus, in cibo potuque temperans, patiens laboris, diligens in opere, in adversitatibus fortis, comis et suavis in conversatione, omnibus omnia factus : et paulatim plures parochiani iisdem virtutibus instructi videbuntur, et tota parœcia brevi speciem præbebit paradisi terrestris. Quod si levior apparuerit pastor, garrulus, dissipatus mente, immoderatus in usu creaturarum, impatiens, indevotus, incuriosus suorum officiorum, ordinis negligens : procul dubio multos sui imitatores habebit, et brevi non sine dolore intelliget se totam parœciam ad pessimum statum deduxisse.

III. *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.*

Tertia ratio desumitur *ex confessione propriæ culpæ.* — *Cognovi*, inquit, *quia æquitas judicia tua*, id est quod judicia tua justissima sunt: et, siquando *me humiliasti* destituens gratia tua, *in veritate*, id est in justitia tua fecisti, quia ita commerui ; ideo non conqueror de tua justitia, sed ad misericordiam tuam confugio, et dico :

IV. *Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.* (V. 76.)

Misericordiam quærit qui se in miseriis et ærumnis esse cogitat ; sed in quem finem? An ut a tribulationibus liberetur et a pressuris ? Minime ; sed cur ? Ipsemet exponit cum subdit : *ut consoletur me.* Quam fortis, quam prudens ! Non quærit ut prementia Deus mala auferat, sed *solamen* postulat et refrigerium. Id eleganter expendit S. Ambrosius ad hunc locum : *Egregiam*, inquit, *et singularem Prophetæ spectato virtutem. Alius enim, humiliatus ærumnis, posceret ut circa eum tentamenta desinerent, et sedare Dominus adversa dignaretur, ne tribulationum procella in eum sæviret; iste autem quasi athleta fortis et patiens, qui exerceri et angi animam suam tribulationibus nosset, non tristia dimovere, non impugnantia decli*

nare desiderat, sed magis in tempore laboris sui adversus tentationum procellas dari sibi verbum consolationis exposcit, ut possit forti quæ ingruunt mente tolerare.

Cum itaque adversa nos premunt et in nos desæviunt, *virili fortique animo omnia ferenda* sunt, non *fugienda;* et divinum auxilium ac supernum quærendum solamen. Fac igitur, o Jesu, ut hunc versiculum, quem quotidie jubemur recitare, recitemus deinceps attentius, cum majori affectu et cum voluntate seria omnia quæ nobis dignaberis immittere adversa, imperturbato animo tolerandi.

V. *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam; quia lex tua meditatio mea est.* (V. 77.)

Hic propheta iterum tamquam generosus athleta, et qui quæcumque evenerint ferre didicerit, rogat, non ut auferantur ea quæ ipsum affligunt, sed ut in tempore tentationum detur illi potens verbum consolationis, quod vires illi suggerat ad id quod evenerit cum omni alacritate et absque perturbatione ferendum. In hoc enim, inquit, miserere mei, ut fiat mihi solatium et consolatio.

Antea petit gratiam servandæ legis, ut *consolationem* acciperet; explicat nunc quæ sit *vera consolatio* quam desiderat. *Veniant*

mihi miserationes tuæ et vivam, id est misere mei secundum multitudinem miserationum tuarum, ut acquiram *veram vitam*, quæ sola est *vita beata et sempiterna*. Recte enim monet S. Augustinus, ubi sine addito ponitur nomen *vitæ*, ut plurimum intelligi vitam æternam, quæ sola est *simpliciter vita*. Sic Joan. I : *In ipso vita erat.* Joan. V : *In resurrectionem vitæ.* Matth. XIX : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Igitur vitam petit David ac si non viveret, qui tamen loquebatur ; vivebat, sed *hac vita*, quæ morti similior est quam vitæ. Merito sperabat se victurum per miserationes Dei, vera scilicet vita quæ æterna, quæ beata.

Sapiens sacerdos et ipse, multis miseriis circumdatus, adspirare discat ad vitam æternam, ne immoderatius vitæ præsenti adhærere credatur. Ingeminet frequenter cum S. Ignatio : *Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio !* Et sibi dicta putet hæc Pauli : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (Col., III, 1 et 2).

Quia lex tua meditatio mea est. — Hæc est ratio cur audeat petere misericordias Domini ; decet enim ut Deus misericorditer respiciat in eum qui assidue meditatur in lege.

Pulchre explicat S. Augustinus *qualis* meditatio divinam soleat conciliare misericordiam. *Hæc meditatio*, ait, *nisi esset in fide quæ per dilectionem operatur, nunquam propter eam posset ad illam vitam quispiam pervenire. Hoc dicendum putavi, ne quispiam, cum totam legem memoriæ mandaverit, eamque creberrima recordatione cantaverit, arbitretur se fecisse quod legit: Quia lex tua meditatio mea est; et hinc se adepturum existimet quod verbis superioribus propter hoc meritum postulavit, ubi dictum est: Veniant super me miserationes tuæ et vivam. Hæc meditatio amantis est cogitatio, et tantum amantis ut caritas non frigescat hujus meditationis suæ, quantalibet abundantia constipetur iniquitatis alienæ.*

Opta, o sacerdos, ut quod dixit S. Augustinus de *meditatione* Davidis, qua quotidie scrutabatur legem Dei, dici queat de *tua quotidiana* ejusdem meditationis *recitatione*, cum Psalmus CXVIII ex quo confectæ sunt parvæ horæ, ipsa sit ista piissima sancti regis meditatio.

VI. *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem exercebor in mandatis tuis.* (Vers. 78.)

Quarta ratio ad obtinendam gratiam servandæ legis sumitur a *confusione iniquorum*,

sicut secunda sumebatur ab ædificatione piorum. — *Confundantur superbi*, id est, da mihi gratiam, per quam perfecte leges tuas custodiam, ut hinc confundantur superbi prævaricatores, qui vexando et persequendo me injuste, efficere conantur ut etiam alii prævaricentur. Interim autem, dum illi confunduntur et erubescunt, ego multo alacrius exercebor in mandatis tuis cogitandis et implendis. Illud *injuste* significat superbos iniquitatem fecisse scienter et studiose, non casu, non ex ignorantia, non ex inadvertentia, unde ab iniquitate immunes videri possent.

Habemus hic egregium exemplum quod imitemur, nos sacerdotes, iis præsertim temporibus, quibus adversarii nostri omnes intendunt nervos ad vexandos nos, ad perturbanda opera nostra, ad impediendos sancti officii nostri labores. Videant nos impigros in operibus nostræ sanctificationis ; videant nos invicto sustinentes animo eorum impiissimos conatus ; videant nos paratissimos ad instruendos parvulos, ad visitandos ægrotos, ad excolendas fidelium mentes doctrina et pietate ; videant nos totos utilitati traditos populi nostri, omnibus omnia factos, non parcentes labori, non parcentes sudori, non hæsitantes dare pro ovibus animas nostras.

Profecto confundentur, tabescent, dolebunt incassum se servos Dei vexasse et a divino servitio impedire voluisse. Ergo sciamus malum vincere bono.

VII. *Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.* (Vers. 79.)

Hortatur propheta pios, ut si qui sunt qui a prævaricatoribus decepti ad illos respicere cœperint, ad se redeant et cum ipso jungantur.

Convertantur mihi, id est convertantur ad me, ut, mecum juncti, legem Dei custodiant, illi qui timorem Dei et scientiam legis habent.

Nonne stimulos addit hoc piissimum Davidis desiderium iis omnibus sacerdotibus qui multis in locis societatem constituerunt, ut conjunctis viribus alacrius perfungi valeant sanctissimæ suæ vocationis muneribus et certius pervenire ad sacerdotalem perfectionem? Ii sciunt dulcissima experientia quam bonum quamque jucundum sit habitare fratres in unum. Utinam per totum terrarum orbem hæc saluberrima consociatio mirifice a S. Sede laudata atque commendata melius in dies cognoscatur, innumerosque adjuvare queat sacerdotes qui cordi habent non solum consequi salutem, sed etiam adipisci sanctitatem! *Moveat*

eos,ait S.P. LeoXIII, *haud obscurum divinæ Providentiæ placitum, quæ nunc denuo suscitavit hoc Institutum in Ecclesiæ suæ laborantis subsidium. Moveant cœlestes benedictiones, quibus inter gravissimas difficultates brevi hujus Operis incrementa mirabiliter provecta fuerunt. Moveant Episcoporum plausus, constantes Apostolicæ hujus Sedis laudes, fructus jam parti; quos semper uberiores propagatio ipsa Consociationis merito spondet.* (Breve datum die 31ª maii 1880.)

VIII. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.*

Concludit David, petens gratiam sæpe ac sæpius postulatam, qua corde perfecto mandata divina custodiat, ut neque in hoc seculo, neque in futuro judicio, confusionis opprobrium timere debeat. Sit etiam hæc nostra conclusio.

UNDECIMA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius undecimus, Caph *(Versiculus 81-88).*

I. *Defecit in salutare tuum anima mea et in verbum tuum supersperavi.* (Vers. 81.)

S. Augustinus totum hunc octonarium Ecclesiæ Christum exspectanti, et sanctis martyribus accommodat, *pie* omnino et *vere*, ait Bellarminus; sed, quia totus Psalmus *ad legis custodiam* commendandam pertinet,

ideo etiam hunc octonarium ad litteram de legis custodia possumus explicare.

Hic induit David personam mandata servare cupientis quidem, sed tamen inter tentationes graviter laborantis atque auxilium de cœlo miserabiliter postulantis.

Et re quidem vera *Deficere in salutare* quid aliud est nisi exspectando et desiderando salutem, laborare, languere, deficere? *Et in verbum tuum supersperavi*, id est : et ego tamen *valde speravi* in verbum promissionis tuæ. Itaque *dilatio* salutis *deficere* facit, sed *spes* firmæ promissionis *erigit* et *confortat*.

Considera, o sacerdos, vim istius vocis *supersperavi*. Videtur fiducia sancti Regis crevisse cum multitudine tribulationum. Quod dixit Sponsus in libro Canticorum de sua *caritate*, dicere potest David de sua *fiducia* in Deo : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem; nec flumina obruent illam.* (Cant., VIII, 7.) Utiam tanta sit nostra in Dei misericordia spes et fiducia ut nulla res adversa eam unquam infringere valeat! Immo eam potius augeat, ita ut, crescente contrarietate, crescat et fiducia!

II. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ?* (V. 82.)

Forsan, o sacerdos, hæc videbitur tibi

mira Prophetæ locutio, quæ oculis officium aurium et linguæ tribuit; hæc tamen locutio rectissima est et verissima. Agitur videlicet non de sensibus *corporeis*, sed de sensibus interioribus : atqui *oculi* interiores et *aures* interiores et *lingua* interior idem sunt ; *intellectus* enim videt, audit, loquitur.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, idem est ac : *Mens mea*, attendendo auxilium promissum, dum diutius illud differtur, *defecit* præ desiderio, quo modo deficiunt oculi corporales, cum nimis diu respiciunt ad locum unde persona desiderata ventura speratur. *Quando consolaberis me ?* Videtur dicere debuisse Propheta secundum leges grammaticæ : Quando consolaberis *nos?* Sed quia oculi sunt instrumenta animæ, de qua dictum erat : *defecit anima mea*, ideo *per oculos* quæritur consolatio, non tam oculorum quam animæ, quæ per illos respicit. Est igitur sensus : Quando consolaberis animam meam, cujus oculi deficiunt attendendo et exspectando ? Noli mirari, o sacerdos, quod Deus non tam cito quam desideras, concedit consolationem speratam, petitam et, ut tibi videtur, aliquo modo tibi debitam propter fidelitatem et sanctos tuos conatus : sic enim agere solet Deus erga optimos suos et fidelissimos servos et ami-

cos ; et ratio ita agendi est sine ullo dubio, quod majus ipsis obventurum est bonum ex patienti exspectatione quam ex ipsa consolatione. Assuescamus Deo nostro *servire gratis*, quin exigere videamur ab ipso servitii nostri remunerationem, qualis est spiritualis consolatio. Quam sapienter dixit idem David in Ps. XXVI, 14: *Exspecta Dominum, viriliter age ; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

III. *Quia factus sum sicut uter in pruina ; justificationes tuas non sum oblitus.* (V. 83.)

Explicat David causam propter quam adeo anhelat ad consolationem ; quia scilicet præ desolatione et angustiis tentationum factus sit aridus, destitutus humore gratiæ consolantis, ut est uter tempore frigidissimo in medio pruinæ constitutus. Sed quamquam tanta spiritus ariditate laborem, ait, *tamen justificationes tuas*, id est præcepta tua, *non sum oblitus.*

Nonne mirabilis Propheta qui, licet subjaceat tantæ desolationi, nihil remittit de sua fidelitate in faciendo Dei sui voluntatem ? Hæc igitur nostra sit agendi ratio, quotiescumque prememur aliqua desolatione et ariditate in exercitiis sanctis. Dicamus Deo cum simplicitate, tamquam patri, ea quæ patimur mala. Petamus etiam promptis-

simam ab eis liberationem ; sed interea ita parati maneamus ad accipiendum id quod vult Deus, ut, sicut pro ipsissima liberatione, gratias agamus ex toto corde. Nonne sic egit optimus Magister noster in horto ?

IV. *Quot sunt dies servi tui ? Quando facies de persequentibus me judicium?* (V. 84.)

Audet propheta instare eidem petitioni : adeo vehementer exoptat consolationem et liberationem a tentationibus. Non quidem curiose quærit quot anni supersint, aut vitæ suæ, aut durationis mundi, sed explicat his verbis *desiderium æternæ vitæ*, quando omnes impii, ad inferos detrusi, cessabunt vexare pios, pii autem, summa atque æterna pace fruentes, in sanctitate et justitia Domino servient sine ullo timore cadendi.

Docet te propheta, o sacerdos, minime Deo displicere, si sæpius tentas obtinere ab ipso quod frustra hucusque petivisti. Nonne Jesus in suo Evangelio excitat nos ad instandum precibus nostris, etiam si videatur optimus pater velle filiis suis negare quæ petunt ? Nunquam obliviscamur trium panum prius negatorum amico et postea concessorum propter importunitatem petentis (Luc., XI, 5). Et tu ipse, o Jesu, nonne in horto dixisti ad Patrem *ter eumdem sermonem ?* O quam bonus est Dominus

diligentibus se et in se confidentibus!

V. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.* (Vers. 85.)

Fatetur David se maxime cupere ab iniquorum consortio liberari, quoniam iniqui, tentantes pios, narrant *delectationes mundi*, quæ sunt mere *fabulæ*, id est, delectationes sordidæ, fugaces, magis confictæ quam veræ.

Fatetur etiam nihil eas habere simile cum lege Domini, quæ, pie custodita, delectationes *stabiles* et *solidas* adfert. Quam bene concordat hoc Davidis de mundo judicium cum illo quod postea enuntiabit ipsius filius Salomon, dicens: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas!* Quam recte etiam idem profert judicium S. Ignatius, qui aspiciens astra, exclamare auditus est: *Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio!*

Fac, o Jesu, ut nos, sacerdotes, idem sentiamus, et spretis mundi deliciis ad gaudia quorum lex tua fons est, toto animo anhelemus.

VI. *Omnia mandata tua veritas; inique persecuti sunt me, adjuva me.* (Vers. 86.)

Confirmat David quæ modo de lege Dei pronuntiabat. Quasi dicat: Utique, magnum intercedit legem tuam inter et fabulationes iniquorum discrimen; vanæ enim sunt

delectationes quas portendunt isti, dum veræ sunt quas mihi suppeditat lex tua. Illæ nituntur falsitate et mendaciis ; lex tua nititur veritate.

Hinc conclude, o sacerdos, ad officium tuum pertinere ut, tamquam bonus pastor, oves tuas admoneas frequenter, ne adeant pascua mundanorum : sunt enim venenata; sed potius ea pascua quærant ad quæ lex Dei eas suaviter invitat.

Adeo detestatur David gaudia mundanorum, ut illos qui homines ad hæc gaudia gustanda alliciunt, consideret tamquam justorum persecutores pessimæ notæ. Propterea rogat Deum ut dignetur servum suum ab eorum illecebris liberare, dicens : *Inique persecuti sunt me, adjuva me.*

Abhorreamus et nos a mundanorum conversatione ; caveamus et nos ab illecebris quibus identidem sacerdotes incautos attrahere conantur ad quædam convivia aut conventicula frivola plenaque periculis.

VII. *Paulo minus consummaverunt me in terra ; ego autem non dereliqui mandata tua.* (Vers. 87.)

Tam gravis fuit persecutio injustorum, qui, per dulces sermones, me subvertere nitebantur, ut pene me perdiderint in terra et ego pene ad cœlum adspirare nequirem ;

tamen non obtinuerunt, quoniam *non dereliqui mandata tua.*

Quanta cum jucunditate et cordis lætitia dicit Deo suo David, se non victum fuisse insidiis inimicorum, sed firmiter se stetisse in mandatorum observatione! O sacerdos, fortius, virilius et majore cum generositate cuicumque tentationi resisteres, si tibi persuasum esset nihil suavius esse nihilque majorem parere animi voluptatem, quam conscientiæ testimonium, nos pro amore Dei de inimici molitionibus triumphasse. Profecto experientia scires vere suave esse jugum Domini ejusque onus leve.

VIII. *Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.*

Redit ad primam petitionem propheta et concludit octonarium, dicens: *Secundum misericordiam tuam vivifica me.*

Quamnam vitam petit propheta? Vitam beatam et *sempiternam;* nam tunc jam nullum periculum erit transgrediendi legem divinam. Possumus tamen hoc etiam intelligere de *vita gratiæ,* per quam mandata Dei custodiuntur.

Nonne miraris, o sacerdos, quomodo omnia prophetæ verba quæ hucusque meditati sumus, admirabili eloquentia testificentur, una ea parte ipsius legis Dei æsti-

mationem et amorem voluntatemque eam observandi fidelissime; et ex altera parte filialem ejus fiduciam in suavissima Dei misericordia?

O si attentius hunc psalmum recitaremus quotidie, sine dubio et nos sentiremus de Deo in bonitate, ut David, et legem ejus ardentius diligeremus, atque majori diligentia eam observaremus.

Fac, o Jesu, ut omnes sacerdotes tui hæc animi sensa in semetipsis experiantur. Amen.

DUODECIMA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius duodecimus, Lamed *(Versiculus 89-96)*.

Ut magis ac magis se excitet Propheta ad servandam legem Dei, considerat, cum singulari affectu, divinarum promissionum *firmitatem*.

I. *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.*

Per *verbum* Domini sine ullo dubio intelligit divinas promissiones. Confitetur se firmiter credere *firmitati promissionum Dei*. Addit autem *in cœlo*; nam etiam si in terris videatur non permanere, dum justi opprimuntur et injusti exaltantur, tamen *in cœlo* apud Deum omnino permanet. Deus enim

quod *promisit, adimplebit.* Faciet enim ut breves justi tribulationes vertantur in gaudium sempiternum, et brevis gloria impiorum vertatur in opprobrium et supplicium sine fine duraturum.

O bone sacerdos, tu qui forsan transire videris per continuas contrarietates ; qui fere nunquam in tota vita tua aliquo successu gloriari potuisti ; quique inter fratres semper ultimum tenuisti locum : noli inde aliquam concipere tristitiam vel animi dejectionem ; sed potius *gaude in Domino semper.* Transibit enim *momentanea* et *levis* pressura ; transibit labor, transibit humiliatio, et sola *merces* tibi manebit *in æternum.* Nonne dixit Dominus per Psalmistam, *multas esse tribulationes justorum,* seque eos ab illis liberaturum esse ?

II. *In generationem et generationem veritas tua ; fundasti terram et permanet.*

Idem repetit David, dum addit : *In generationem et generationem veritas tua ;* sensus enim est : Veritas tua *ab initio ad finem permanet,* quod idem est ac dicere : *in æternum.*

Hanc promissionum divinarum *firmitatem* probat Propheta a *stabilitate* divinarum *ordinationum.*

Quænam sunt istæ divinæ ordinationes ?

Innumeræ sunt, sed duas tantum affert David, ordinationem Dei circa *terram*, et ordinationem Dei circa *diem*.

Fundasti terram et permanet. Sensus est : Fundasti terram immobilem, et semper manet immobilis, ut ordinationi tuæ obediat.

Altera ordinatio quam adducit David ut *exemplum firmitatis et stabilitatis* est *dies*, ut mox sequitur.

III. *Ordinatione tua perseverat dies ; quoniam omnia serviunt tibi.* (Vers. 91.)

Ordinavit Deus ut *cœlum* sive *sol* videretur e contrario *moveri semper* et motu suo diem efficeret, et sic *semper* ordinatione divina perseveraret dies. Ratio hujus tantæ perseverantiæ est, quod sequitur: *Quoniam omnia serviunt tibi ;* nihil enim est in rebus creatis quod Deo Creatori ad nutum non pareat.

Ex his merito concludet pius sacerdos *se etiam* debere *semper*, *ubique* et in *omnibus* ad nutum Dei parere, et in hac submissione filiali *perseverare. Qui enim perseveraverit usque in finem*, ait Dominus, *hic salvus erit.* Ex altera parte habemus omnes, quotquot sumus, unde erubescamus, videndo quam raro in bene cœptis perseverare soleamus. Quam multi pervenissent ad sanctitatem, si *constantiores* fuissent in exsequendis propo-

sitis quæ tanto cum ardore in exercitiis sacri secessus conceperant! Faxit igitur Deus ut vel in *una re* firmi et constantes inveniamur! Hæc proinde sæpe sit nostra oratio: O Domine, qui dedisti *velle*, da et *perficere!* Qui dedisti *incipere*, da et *consummare!*

IV. *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.*

Sensus est: Nisi in lege tua *assidue* meditatus fuissem, ubi veritatem promissionum tuarum didici, forte periissem in afflictione mea, tentationibus adversariorum devictus.

Pro voce *meditatio*, ait Bellarminus, legitur in hebræo *delectatio;* ex quo intelligimus hic agi de *dulci* meditatione, quæ solet valde recreare animum hominis in tribulatione constituti, dum promissa divina ob oculos interiores ponit et cordi intime infigit. Per *humilitatem* hoc loco non sane significatur *virtus humilitatis*, sed afflictio, sive *pressura*, ut sanctus Hieronymus ex hebræo transtulit.

In hoc versiculo iterum nobis pulcherrime insinuat David *quotidianæ meditationis* excellentiam atque virtutem. Hanc excellentiam meditationis et virtutem propria experientia didicerat sancta Theresia, et

propterea omni utebatur occasione ad exhortandos sacerdotes, religiosos, immo et laicos viros, ad meditandum quotidie, asserens eos innumera inde percepturos esse emolumenta pro sua salute atque sanctificatione. Non igitur mirum est dæmonem omni quo potest modo efficere ut a meditatione facienda *impediatur* sacerdos ; et non raro, de quo summopere dolendum est, nonnullos adeo facit fastidire saluberrimum exercitium, ut ab eo prorsus *abstineant*. — O sancta Theresia, tu per octodecem annos hanc dæmonis tentationem sustinuisti ; et quia viriliter et constanter inimici superasti insidias, tibi apertum est cœlum, et ad divinas contemplationes admissa fuisti. Utinam omnes sacerdotes tuam imitentur constantiam animique fortitudinem !

Merito quis dixerit quotidianam meditationem *barometrum* esse vitæ sacerdotalis. Et re quidem vera, si quotidie sacerdos et diligenter instituit meditationem, anima ejus similis erit *cœlo sereno* atque *splendido (beau fixe)*. Si aliquoties, plus minusve culpabiliter, omittit meditationem, ipsius anima similis erit sereno, sed absque splendore *(beau)*. Si fuerit modo fidelis in meditando, modo negligens, anima ejus modo cœlum erit serenum, modo nubibus obdu-

ctum *(variable)*. Quod si rarius meditatus fuerit, erit ipsi pluvia tristitiæ et ventus tentationum *(pluie et vent)*. Si omnino meditationem neglexeris, o sacerdos, cave a procella, cave a naufragio! *(Tempête.)*

V. *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*

His verbis profecto nobis dat exemplum David *egregiæ erga Deum gratitudinis*. Quis ignorat hanc esse legem, quæ etiam valet apud Deum, ut scilicet pro beneficiis acceptis homo exhibeat grates benefactori? Triplex autem gratitudinis modus: primus est non dare oblivioni benefactorem ejusque beneficia; secundus modus est verbis, occasione data, benefactori suam gratitudinem manifestare; tertius modus est, omnium perfectissimus, rependere, pro modulo, beneficia illi a quo quis beneficia accepit. Nonne hic Psalmus, totus quantus, est veluti continua quædam gratiarum actio erga divinam Majestatem pro beneficio legis? Optandum est ut tota nostra vita hujus triplicis gratitudinis exhibitio sit erga illum qui non cessat suos sacerdotes cumulare innumeris maximisque beneficiis. Assuesce, igitur, o sacerdos, magno cum affectu et cum singulari fervore recitare quotidie sublimem hymnum *Te Deum laudamus*, quem reci-

tandum dat Ecclesia quotidie omni sacerdoti, et illud canticum admirabile quo animum suum gratum testificata est Beatissima Virgo Maria, dicens : *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

In eodem versiculo eloquentissime nobis insinuat David legem Dei sibi fuisse fontem inexhaustum maximarum gratiarum, immo fontem *vitæ* præsentis et futuræ, dum dicit : *Quia in ipsis vivificasti me.* Concedat nobis Deus ut in nobismetipsis idem experiri valeamus !

VI. *Tuus sum ego, salvum me fac : quoniam justificationes tuas exquisivi.* (Vers. 94.)

Quanta simplicitate, quanta sinceritate, quanta vi dicit David : *Tuus sum ego !* Profecto talia verba Deo fuerunt gratissima.

Scriptum est in Psalmo XXIII : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo ;* ego tamen proprie *tuus sum*, quia *agnosco* me *tuum esse*, et volo tuum esse, et nullius alterius Domini volo esse, cum nulli cupiditati servire decreverim. Ideo recte peto ut me salvum facias, id est, *rem tuam conserves*, ut non pereat. *Quoniam justificationes tuas exquisivi*, id est, quoniam tuus sum, et tamquam tui

solius mancipium, nihil aliud quæro nisi mandata tua, ut illa perficiam.

Vere, ait Bellarminus, pauci sunt qui di ere possint, *Tuus sum ego;* quia pauci sunt qui per affectum nulli rei serviunt nisi Deo. Essemus nos de hoc numero paucorum, si animo generoso acciperemus conditionem quam Rex noster Jesus requirit ab illis qui statuerunt ipsum sequi, dicens : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me.* (Matth., XVI, 24.)

VII. *Me exspectaverunt peccatores ut perderent me; testimonia tua intellexi.* (V. 95.)

Reddit rationem David propter quam modo expetebat a Deo ut ipsum salvum faceret. Timuit *insidias peccatorum*, qui in loco opportuno ad eum capiendum, eum exspectaverunt ut eum tentationi consentire facerent et sic perderent eum. Sed, ait, ego, gratia tua adjutus, testimonia tua intellexi, id est, intellexi quid lex tua in tali articulo præciperet, quid promitteret, quid minaretur.

Non raro evenit ut ipse sacerdos videat se obnoxium insidiis amicorum qui sub vario prætextu ejus tentant fidelitatem, eum inducendo ad quædam facienda quæ potius ad vitam laicorum pertinent quam ad vitam hominum Deo consecratorum. Has insidias

sine magno labore superabit sacerdos, si fideliter instituit meditationem, et nunquam omittit conscientiæ examinationem.

VIII. *Omnis consummationis vidi finem ; latum mandatum tuum nimis.* (Vers. 96.)

Ex testimoniis divinis intellexerat David quænam sit omnium rerum consummationis finis, nempe *novissimum judicium ;* in hoc enim judicio, consummatis jam *meritis bonis et malis*, reddentur præmia bonis et supplicia malis. Vere igitur *latum mandatum tuum nimis ;* id est, vere amplum et fecundum est mandatum tuum sive lex tua, cum in ea conspiciantur *regulæ bene vivendi* et *præmia* custodientium legem, et contra *regulæ declinandi a vitio* et *supplicia* prævaricatorum.

Quam sæpe nobis sacerdotibus occasio est vires sumendi et consolationem ex prævisione ultimi judicii ; tunc enim omnes scient quid de *nobis* et de *nostris operibus* judicandum sit.

Quam miseri essemus, si sors nostra a judiciis penderet humanis ! Gaudeamus igitur et erigamus nos in spem firmam, siquidem *qui judicat nos Dominus est*, et nullum hominum judicium influere potest in judicium Dei. A solo igitur Deo determinabitur sors nostra æterna.

DECIMA TERTIA MEDITATIO DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus tertius, Mem *(Versiculus 97-104).*

Ignis vero nunquam dicit: Sufficit, ait S. Scriptura, et semper quærit inflammare quidquid inflammandum occurrit. Nonne quis merito id applicuerit amori quo flagrare intelleximus Davidem erga legem divinam? In hoc, quem meditandum suscepimus, psalmo, multiplici jam modo suum testificatus est amorem legis divinæ eamque variis et summis extulit laudibus. His autem non contentus, in præsenti octonario redit ad ejus encomium, eamque nunc laudat a *maxima utilitate* et *delectatione* quam secum affert.

Utinam in dies cresceret *noster* erga divinam legem affectus! Utinam affectum hunc testaretur *modus* Officium divinum recitandi *magis ac magis devotus!* Cresceret etiam sine dubio in cordibus nostris cum fervore *sancta delectatio*. Sed eheu! sæpe accidit nobis contrarium. Etenim propter consuetudinem recitandi eadem, nulla jam est ad verborum sensum attentio, et quasi ex repugnantia quadam atque tædio *absolvere festinamus* officium quo Angeli et sancti in cœlo sine intermissione dele-

ctantur. Fac, o Jesu, ut *scintilla* illius amoris quo inflammabatur tuus Propheta, corda nostra plerumque tam frigida, invadat atque *ardere* faciat !

I. *Quomodo dilexi legem tuam, Domine ! Tota die meditatio mea est.* (Vers. 97.)

Ipsum Deum testem constituit David sui erga legem divinam amoris. Hæc certe interrogatio, ad Deum directa, indicat amoris vehementiam, et ipsa interrogatio non est nisi firmissima assertio se legem Dei diligere ardentissime. Et quamnam affert hujus dilectionis probationem ? *Tota die meditatio mea est*, id est, adeo eam diligo ut jam nihil aliud loqui valeam, nihil aliud agere. Utique indubitatum signum est amoris, continua conversatio cum re amata.

Extende, o sacerdos, hanc amorem probandi rationem *ad ipsum Deum*. Scilicet *cogita* frequenter de Deo, frequenter de Deo *loquere ;* assuesce die ac nocte *mentem* ad Deum *elevare*, et, qui mos est Sanctorum, e corde tuo *frequentes emitte sagittas* ad cor Dei directas, unde ad cor tuum redibunt gratiis donisque eximiis graves. O quam felix sacerdos est quamque Deo gratus, qui dicere potuerit cum veritate : O mi Deus, amo te ex toto corde ; *tota enim die tu meditatio mea es !*

II. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.* (Vers. 98.)

Hæc est *prima utilitas* legis, quia diligenter considerata et factis adimpleta, *prudentem* facit hominem, ut sciat *quid*, et *quomodo*, et *quando*, et *ubi* debeat loqui et agere, vel silere et quiescere. Hanc prudentiam non habent prævaricatores, qui *regulam hanc* rectissimam inter loquendum et agendum non respiciunt. Merito igitur *super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo*, id est, *per mandatum* tuum, dum illud assidue meditor et adimpleo.

Quia in æternum mihi est idem sonat ac *quia* perpetuo mihi adest ante oculos mentis, neque unquam illius obliviscor.

Nobis sacerdotibus non sufficit ut superemus prudentia *inimicos* nostros ; necesse est ut etiam superemus et quidem longe superemus prudentia *nostras oves*. Sapiens autem pastor intelligit se non ex alio fonte posse suam prudentiam haurire quam ex fonte ex quo se fatetur David suam prudentiam hausisse. Hausit autem eam ex *continua cum Deo conversatione*, et ex *frequenti* legis divinæ *consideratione*. Quod si populus tuus, o sacerdos, persuasum habeat te esse *virum orationis*, et si videat te frequenter

adeuntem Tabernaculum, ibique cum Deo tuo familiariter agentem ; si te videat *pie* et *tempestive* recitantem Officium divinum et coronam B. M. V. ; si videat te libenter commorantem in presbyterio, ibique non confabulationibus vanis terentem tempus, sed studio rerum sacrarum vacantem, seduloque conciones atque catecheseos explanationem parantem ; si videat te pauperum casas perlustrantem, ad infirmos, qui ibi sunt, consolandos ; si videat te tempore statuto scholas visitantem parvulorum, et tua præsentia recreantem atque stimulantem magistros ; uno verbo, si populus tuus videat te totum esse in omnibus quæ pertinent ad tuam parochialem sollicitudinem, profecto fidet tuæ prudentiæ, fidet tuæ sapientiæ, libenterque expetet a te consilium atque directionem. Quod si viderit te frequenter abesse a presbyterio ; si viderit rarissime te adire ecclesiam ; si viderit te imparatum ascendere pulpitum pro concione, dubitabit de tua prudentia, dubitabit de tua sapientia, et a vicinis sacerdotibus potius expetet consilium quam a suo proprio pastore. Faciat igitur te Deus prudentem mandato suo, dum illud assidue meditaris atque adimples, siquidem in æternum tibi est : id est, perpetuo tibi adest ante oculos

mentis, neque unquam illius oblivisceris.

III. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.*

IV. *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.* (Vers. 99, 100.)

Hæc est *altera utilitas* legis ; nempe, si meditatione continua consideretur atque factis adimpleatur, non solum *prudentiam*, sed etiam *sapientiam* gignit.

Poterit forsan nonnullis videri David *nimium* sibi tribuisse, anteponendo suam sapientiam sapientiæ omnium qui illum præcesserunt, in quibus erant Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyses, Samuel et alii ; et propterea putat sanctus Augustinus hæc dici in *persona Christi*, qui, cum esset annorum duodecim, et videretur quasi *discipulus* audiens legis doctores et seniores, tamen *super omnes docentes se* intelligebat. Sanctus Ambrosius hæc dici existimat in *persona populi christiani.* Putamus tamen cum Bellarmino fortasse non esse necessarium ad ista confugere. Nam, ait doctus ille vir, possumus per *omnes docentes* intelligere eos solos qui Davidem puerum vel adolescentem docuerunt, parentes videlicet ejus et pædagogos ejus familiares. Quamvis enim non sit discipulus super magistrum, dum discipulus est, potest

tamen is, qui discipulus fuit, diligentia et studio superare eum qui magister ipsius aliquando fuerat. Sic David facile sapientia magistros suos vicit, *propter continuam meditationem in lege Domini.*

Idem etiam intelligimus de *senibus.* Non enim voluit David dicere se sapientem fuisse super *omnes* senes qui fuerunt ab initio mundi; sed se adhuc juvenem sapientiorem fuisse multis senibus, *ob studium suum assiduum* in lege Domini meditandi.

Quidquid sit de hac Bellarmini interpretatione, ex verbis sancti Prophetæ eruere debet sacerdos se suam prudentiam et sapientiam quærere debere ex *scientia sanctorum* potius quam ex alia quacumque scientia; et ipsam sanctorum scientiam se inventurum sciat *apud Deum* potius quam apud homines. Hinc constat quam sit necessarium ut sacerdos cognoscatur tamquam vir qui sancta fruitur familiaritate cum Deo, qui in sua oratione de necessitatibus ovium suarum agit cum illo qui infinite sapiens, infinite bonus est atque omnipotens. Talis certissime facile sibi suorum parochianorum amorem vindicabit atque summam fiduciam. Quam beata parochia cujus pastor præ se ferre videtur *angeli* speciem potius quam *hominis!* Non poterit fieri ut talis parochia

non evadat paulatim in paradisum quemdam terrestrem. Faxit Deus ut in Ecclesia sua multæ inveniantur parœciæ tantæ felicitatis!

V. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* (Vers. 101.)

His verbis indicat David *tertiam* legis *utilitatem.* Hæc autem utilitas est quod multa *facit vitare peccata.*

Ingenue fatetur Propheta se declinasse a via peccatorum, *propterea quod voluerit servare mandata* Dei sui. Cavit ergo ne ambularet per vias iniquorum, qui pro lege habent cupiditatem suam, quæ est lex carnis et peccati.

O sacerdos, si potuit David *solo legis servandæ intuitu* se expedire ab innumeris, quibus circumdabatur mundanorum illecebris, quanto magis id tu poteris, si *memoria* tenueris non tantum legem Dei, sed etiam omnia quæ sapienter statuerunt concilia et superiores nostri ecclesiastici *circa honestatem clericorum.* Hæc statuendo nihil aliud intendebant, quam ut caverent ne sacerdos, qui vitam sanctam tenetur ducere atque exemplarem, se implicaret rebus mundanorum eorumque delectamentis. Convenit ergo ut horum statutorum ratio habeatur, et ad memoriam revocentur frequenti eorum lectione atque seria consideratione. Quod si

fecerit sacerdos, merito poterit et ipse dicere: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.*

VI. *A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.* (Vers. 102.)

Fere idem dicit in hoc versiculo David quod in præcedenti, nam per *judicia* Dei intelligit *Dei verba, Dei mandata.*

Affirmat se ab iis judiciis non declinasse; verum id non tribuit suis meritis, sed bonitati Dei, qui dignatus est *ipsi imponere legem.* Cum *grato* igitur *animo* agnoscit se hanc legem accepisse a Deo tamquam *donum maximum.* Sensus verborum, quibus utitur David, est: *A judiciis tuis non declinavi, quia* hanc sanctam legem *tu,* qui Dominus meus es, mihi dedisti; sive, ut exponit S. Augustinus, *quia* tu legem in corde meo posuisti, et fecisti per Spiritum tuum, ut legem sanctam ex intimo corde meo diligerem.

Quam longe distat ab hac admirabili Davidis dispositione nostra agendi ratio, qui omnem fere legem a superiore quovis nobis impositam, ut ingratam, injucundam et nimis gravem habere videmur, cum potius ut *beneficium magnum* eam suscipere deberemus. Profecto suo loquendi modo de mandatis Dei, improbat David tristissimam

quorumdam sacerdotum consuetudinem persequendi oblocutionibus atque crisi quidquid a superioribus ipsorum ordinatum fuerit. Rogemus Deum ut nobis concedat gratiam *omnia statuta omnemque legem* a legitima auctoritate profectam pro beneficio habendi, eaque utendi ad recte ambulandum in via sanctissimæ nostræ vocationis.

VII. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo !* (Vers. 103.)

Quanto affectu quantaque cum voluptate indicat hic Propheta *quartam* legis divinæ *utilitatem*, videlicet *jucunditatem* quam se custodientibus affert.

Utique, o mi Deus, eloquia tua dulciora sint faucibus *animæ*, quam mel faucibus corporis! Nihil jucundius *bona conscientia et spe supernæ* beatitudinis, quam parit observantia legis divinæ.

Merito, o bone sacerdos, desideras aliquid invenire levaminis, aliquid consolationis in mediis tuis laboribus atque ærumnis, et conquereris id tibi rarius concessum fuisse. Sed ex quo, quæso, fonte hanc consolationem petivisti ? Forsan eam emendicasti ab hominibus, et homines hanc tibi dare non potuerunt. Forsan eam petivisti a quibusdam humanis oblectamentis, et eam ab istis non obtinuisti. Sola lex Dei, lex Dei amata, lex

Dei operibus adimpleta, hanc, quam quæris, consolationem poterit tibi, et quidem abundanter suppeditare. Crede Paulo dicenti : *Gaudete in Domino semper ; iterum dico, gaudete !* (Phil., IV, 4.)

VIII. *A mandatis tuis intellexi ; propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

Sæpe jam confessus est David, et modo idem fecit in versiculo præcedenti, ex lege Domini magnam voluptatem se percepisse, eo quod lex Domini *bonam conscientiam* pariat. Nunc *A mandatis tuis intellexi*, inquit, id est, a mandatis tuis eruditus, *prudens* et *sapiens* factus sum ; et sic ex hac prudentia et sapientia acquisita et ex assidua meditatione legis, non solum abstinui a peccatis, sed etiam *magnum odium concepi adversus omnes iniquas actiones.*

O felix odium! Mirifice adjuvat hominem ad conservandam animi puritatem et sanctitatem, et gignit præterea magnam in Deo fiduciam, *unde oritur ineffabile gaudium*, pax et tranquillitas omnibus thesauris et voluptatibus anteponenda. Non mirum est vitæ spiritualis magistros omnes in suis scriptis enixe commendare omnibus, qui sunt salutis suæ suæque felicitatis solliciti, ut omni ope atque conatu studeant *odium* peccati in cordibus suis excitare, conser-

vare et in dies ampliare, adeo ut istud odium aliquo modo transeat in *odium naturale*: unde fiet ut ad *quodvis peccati periculum* contremiscat homo et abhorreat, sicuti contremiscere et abhorrere solet apprehenso aliquo *mortis periculo.*

Ex hoc etiam intelligere est quare sanctus Ignatius in suo Exercitiorum libello præscripserit ut ille qui facit exercitia minime omittat meditationem instituere de *peccato mortali* et de *inferno*, licet forsan *valde pius*, immo et *sanctus* habeatur exercitans. Experientia constat illum qui non habuerit solidum peccati horrorem, in peccatorum barathrum identidem proruere. Quod in æternum avertat a suis sacerdotibus benignissimus Deus! Amen.

MEDITATIO DECIMA QUARTA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus quartus, Nun *(Versiculus 105-112)*.

1. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*

In præcedenti octonario laudavit Propheta legem Domini ex multiplici ipsius utilitate quam fideliter eam custodientibus solet afferre. Inter omnes utilitates eminet hæc quod lex Domini sit nobis in via vitæ hujus instar *lucernæ* ambulantibus *in tene-*

bris. Lex enim *peccati*, quæ est *cupiditas*, *excæcat* homines *maximasque* eis *tenebras* offundit. Hinc fit ut ii qui hanc legem sequuntur, animi passionibus se rapi sinentes, in varia præcipitia ruant; sed lex Dei has tenebras dissipat, et *vera bona* ac *vera mala* demonstrat. Ideo qui eam sequuntur, neque cæcutiunt, neque errant, sed *recto tramite* ad cœlestem patriam iter faciunt.

Quam igitur nobis pretiosa apparere debet hæc lex splendidissima, quæ, instar lucernæ, illuminat semitas per quas nobis incedendum est, atque ambulantium in viis Domini dirigit pedes!

O bone sacerdos, qui flagras ardenti zelo animarum quas tuæ pastorali sollicitudini salvandas committit divina Providentia, quique merito luges et gemis videndo quot abripiantur animæ in abyssum perditionis æternæ, *prædica* opportune, importune, cum omni patientia, *legem Domini*, ita ut nullus sit inter parochianos tuos, qui non *cognoscat* et probe *intelligat mandata Dei Ecclesiæque præcepta*. Tua prædicatione efficies ut toti familiæ, tibi a Deo concreditæ, lex Dei sit *lucerna lucidissima*, quæ ita dirigat omnium gressus ut nullus eorum venturus sit ad æternam perniciem.

Non pauci inveniuntur sacerdotes qui,

dum concionem habent coram fidelibus, toti sunt in irascendo, in objurgando, in persequendo verbis vehementissimis *peccatores*, *qui absunt*, et qui *præsentes oves* sine cibo spirituali relinquunt. Utilius profecto et jucundius agerent, si in instructionibus et in doctrinæ christianæ explicatione, *notam* facerent populo suo *totam legem Domini*, ejusque ostenderent *excellentiam* et *utilitatem*. Hac certe ratione omnium animos amore inflammarent hujus legis sanctissimæ. Dignetur Dominus omnibus sacerdotibus concedere ut et *ipsi* huic legi sedulo studeant, eam toto corde amplectantur eamque omni fidelitate custodire curent!

II. *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* (Vers. 106.)

Hic versiculus est veluti *conclusio* fluens ex iis quæ dixit Propheta in versiculo præcedenti. Sensus igitur est: Quia lex tua, o mi Deus, *lux* est ac *lucerna*, ac proinde res optima et utilissima, *juravi et statui firmissime* eam custodire, et hanc tuam legem voco *judicia justitiæ*, id est *judicia justissima*.

Quis nostrum non exoptet sibi hanc sanctissimam animi dispositionem? Quantos faceremus progressus in via sanctitatis, si, quotiescumque defecimus vel peccavimus,

provolveremus nos ad pedes confessarii, sincere et ex toto pectore dicentes : *Juravi* et *statui deinceps* custodire judicia justitiæ ! Talis confessio, licet brevissima sit, non potest non consequi fructus uberrimos.

III. *Humiliatus sum usquequaque, Domine ; vivifica me secundum verbum tuum.*

Ecce, modo dicebas, o sancte David, te adeo diligere legem Dei, ut *juraveris* et *statueris* firmissime eam custodire, et hæc dicendo, nobis videbaris summa frui lætitia cordis atque consolatione : unde igitur nunc subito hæc tanta animi mutatio, ut declarare cogaris te humiliatum usquequaque et veluti ad nihilum redactum ? Sacerdos qui habet aliquam rerum spiritualium notitiam et experientiam, minime mirabitur Davidi accidisse quod ipse novit accidisse fere omnibus Sanctis. Solet enim Deus servos suos variis probare tribulationibus, ut inveniantur *fideles* et *liberi* ab omni affectu humano, adeo ut nulli jam rei creatæ adhærere videantur. Nonne et te ipsum, o sacerdos, Dominus duxit per *suas vias*, tibi *ignotas* et apparenter *invias*, sed semper *admirabiles* et *misericordia* atque *bonitate* plenas ? Ecce quæ *heri* tibi arridebant, *hodie* contraria sunt. *Heri* te exaltabant homines, *hodie* te pedibus conculcant ; *heri* optima

fruebaris valetudine, *hodie* prostratus jaces infirmitate ; *heri* consolationes cor tuum perfundebant, *hodie* omnia tibi nigrescunt. In omni igitur tribulatione dicas cum Davide : « Humiliatus sum, afflictus et vexatus valde occasione legis servandæ, *quia omnes qui volunt pie vivere in Domino, persecutionem patientur ;* sed tu, Domine, *vivifica me*, veramque vitam, quæ malis omnibus libera erit, mihi aliquando tribue, secundum hanc promissionem tuam : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* »

Juxta Bellarminum, posset etiam hic locus exponi de *virtute humilitatis.* Qui enim humiliant seipsos, ut jugo legis se omnino subjiciant, illi secundum promissionem, merentur exaltari ad vitam beatam et sempiternam. Ergo *libenter* nosmetipsos humiliemus, plene nos subjiciendo legi Domini, et sine ullo dubio *nos vivificabit* Dominus secundum verbum suum.

IV. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me.* (V. 108.)

Nonnulli referunt *hæc voluntaria* ad *sacrificia votiva* ovium et hircorum ; alii ad *sacrificium laudis et confessionis.* Sed continuatio psalmi videtur requirere ut per *voluntaria* intelligamus *spontaneum juramentum legis observandæ.* Sensus igitur

versiculi est : Quod *juravi* et *statui* custodire legem, non obstante qualibet persecutione, hoc est *voluntarium sacrificium oris mei.* Hoc igitur voluntarium sacrificium meum oro ut *tibi* sit *beneplacitum ;* et, *quia ex se* id non meretur, *tu,* Domine, *fac* illud beneplacitum, dum benigne ex gratia tua illud approbare dignaris. Et ut *rite* hoc sacrificium offeram, *doce me judicia tua,* seu doce me perfecte legem tuam observare.

Ex his, o sacerdos, disce facere quod facis pro Deo, *plena voluntate* et cum *magno desiderio Deo placendi.* Ex altera parte disce non tuis desideriis et bonis cordis tui affectibus fidere ; sed *humiliter roga* Deum, ut quod facis, ipse *sibi* faciat *placitum.*

V. *Anima mea in manibus meis semper ; et legem tuam non sum oblitus.* (Vers. 109.)

Non pauci sancti Patres, inter quos Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Hieronymus, dicunt in plerisque libris legi, « Anima mea in manibus *tuis* semper, » et judicant veriorem esse hanc lectionem ; et revera sensus hic optimus est et verissimus, *animas nostras in manu Dei esse,* a quo pendet vita nostra, et in cujus potestate est ut vivamus vel moriamur.

Sententiam his verbis expressam, libenter accipiamus frequenterque ad memoriam

revocemus ; est enim aptissima ad nos consolandos atque confortandos in omni animæ pressura, et in variis vitæ periculis et angustiis. Idem sonat ac illud Psalmi XXX : *In manibus tuis sortes meæ ;* et illud Psalmi XXII : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit ; in loco pascuæ ibi me collocavit ;* et illud Psalmi XXVI: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum ; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

Attamen in hebræo textu aperte est « In manibus *meis*, » ut in Vulgata legimns, et S. Hieronymus, non solum in sua versione posuit « In manu *mea*, » sed et dicit, in epistola sua ad Sunniam et Fretelam, Septuaginta Interpretes et omnes veteres græcos tractatores intellexisse, *Anima mea in manibus* meis *est semper.* Convenit sane ut huic lectioni adhæreamus. Igitur sensus versiculi, quem meditamur, est: Quam serio juraverim et statuerim custodire legem tuam, et hoc tibi sacrificium sponte oblatum, ex hoc intelligi potest quod quotidie *de vita periclitor*, propter legis custodiam, et tamen *ipsam legem non sum oblitus.* Ergo

illud *Anima mea in manibus meis est*, idem est ac : *in periculo sum*. Quod enim, ait Bellarminus, in manibus tenetur, facile potest cadere, vel eripi, nisi fortiter custodiatur et defendatur ; et sic intelligitur illud Judic., XII, 3 : *Posui animam meam in manibus meis* (hoc enim dicit Jephte, dum ad prœlium valde periculosum pergit), et illud I Reg., XIX, 5, de Davide : *Posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistæum.*

Itaque ex textu sic intellecto possumus nos sacerdotes eximiam deducere conclusionem, nempe, ita nos debere adhærere servitio divino, ut singulis momentis parati inveniamur *ad moriendum* pro Dei gloria et pro salute fratrum nostrorum. Possumus dicere cum sancto Bernardo : *Cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa.* Nonne, o mei Fratres, omnia trepidatione plena sunt ? Adeo mala sunt nostra tempora ut multi timeant ne, ut in initio Ecclesiæ, ad salvandam societatem, sanguis fidelium exigatur. Corda igitur nostra præparemus ad martyrium. Saltem assuescamus pro gloria Dei et pro salute animarum quæcumque ardua, quæcumque injucunda invicto animo sustinere. Ne degeneremus ab excelsis cogitationibus patrum nostrorum !

VI. *Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.* (Vers. 110.)

Alludit sanctissimus Rex ad ea quæ contigit ipsi pati ex parte Saülis, ut legitur in lib. I Reg., xx. Quærebatur a Saüle ad mortem, et tamen ipse David semel et iterum, cum facile posset Saülem occidere, seque ab omni periculo liberare, noluit id facere, ne peccaret in Deum. Ex his patet sensus versiculi: « Non sine causa dixi, animam meam semper in manibus meis fuisse, quia scilicet peccatores *posuerunt* laqueum mihi, ut me caperent et occiderent, et tamen *ego de mandatis* tuis non aberravi. » Nonne optandum est ut tam egregium exemplum fidelitatis et generositatis erga adversarios imitemur? Præsens igitur sit semper menti nostræ hoc pulcherrimum verbum sancti Augustini loquentis de passione Domini: « Contra dolos inimicorum dimicavit *tacendo.* » Scimus sanctum Ambrosium hoc silentium Christi vocasse *silentium triumphale.* Det nobis benignissimus Salvator gratiam *hocce silentio* innumeras et splendidissimas referendi palmas!

VII. *Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt.*

Hoc loco reddit Propheta rationem propter quam non aberravit a mandatis Dei.

Causa est quia *hereditate* acquisivit testimonia Domini in æternum, quasi dicat: Elegi mihi hereditatem æternam *ipsam legem tuam*, quia jucundissima mihi est et dulcissima, et summæ delectationis et exsultationis causa.

Eligamus et nos legem Domini pro hereditate, et quidem in æternum. Ipsa nos donabit acquisitionem *regni*, quod *ante omnia* nobis quærendum esse dixit Dominus Jesus.

Utinam suavi experientia discamus quam verum sit quod dicit Ecclesia: *Servire Deo regnare est!*

VIII. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* (Vers. 112.)

Forsan quis mirabitur quod David *tanta cum liberalitate se totum tradiderit legi divinæ*, ut eam habere voluerit pro sua hereditate æterna. Porro causa talis liberalitatis est *merces copiosissima quam secum affert legis custodia.* Sentiebat se David ab una parte *trahi lege peccati*, et *lege divina* ab altera. *Ego* autem, ait, *inclinavi cor meum*, tamquam *staterem* aut *bilancem*, ad tuam legem faciendam, *propter retributionem*, quia videlicet consideravi *stipendium legis tuæ* esse vitam sempiternam. Alliciat et nos

ad servandam legem Dei splendidissima quæ promittitur retributio. Amen.

MEDITATIO DECIMA QUINTA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus quintus, Samech *(Versiculus 113-120).*

I. *Iniquos odio habui et legem tuam dilexi.* In hoc octonario detestatur David *prævaricatores* legis divinæ et se contrarium eis esse demonstrat. Monet autem sanctus Augustinus Davidem non dixisse in primo versiculo : *Iniquitatem* odio habui, et legem tuam dilexi, ut videbatur requirere ordo verborum, sed dixisse · *Iniquos* odio habui et legem tuam dilexi, ut ostenderet se non solum *iniquitatem*, sed etiam iniquos odisse ; et rursum, non dixisse : Iniquos odio habui et *justos dilexi*, sed : Et *legem dilexi ;* ut indicaret se non odisse iniquos, nisi *quia contrarii sunt legi divinæ*, quam dilexit.

Itaque odio habuit iniquos, non ratione *naturæ*, sed ratione *iniquitatis ;* sicut contra diligebat *inimicos*, et per hoc *iniquos*, non ratione *iniquitatis*, sed ratione *naturæ*.

Hæc mirifice concordant cum doctrina Theologorum de *dilectione inimicorum*, et cum distinctione quam posuit Dominus

Jesus inter *personam* eorum qui sedebant in cathedra, et eorum *vivendi rationem.* Aiebat enim : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere* (Matth., XXIII, 1-3). *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Matth., V, 44).

Ergo, o sacerdos, argue, improba, increpa, damna quæ ab inimicis perperam fiunt aut dicuntur; ipsos inimicos dilige, et redde bonum pro malo.

Hanc obligationem diligendi inimicos, quam sæpe Christus inculcavit, eo sensu intelligendam esse docent probati Theologi, quod eos a *generalitate dilectionis proximi* excludere non licet. Ideo, o frater, animus tuus paratus esse debet ad inimicos tuos et adversarios *in necessitate* juvandos, perinde ac tenemur quoslibet in pari necessitate juvare.

Quod autem, præter articulum *necessitis*, inimicis *particularia beneficia* vel *dilectionis signa* præstantur, id ad *perfectionem caritatis* pertinere asserit Doctor angelicus (2^a $2^{æ}$, q. 25, a. 8 et 9). Hinc teneris etiam inimicis exhibere *signa communia* caritatis;

specialia vero non teneris, nisi aliunde ratio obligationis accedat. *Communia* autem caritatis signa censentur esse ea quæ ab omnibus hominibus talis conditionis invicem exhiberi solent, puta a vicino vicinis, a patre filio, a pastore ovibus. Tu autem sacerdos cum sis, et *alter Christus* esse credaris, noli intra limites strictæ obligationis te concludere, sed tuam extende caritatem erga inimicos eo usque ut simillima evadat caritati Christi qui, dum cruci affigeretur, auditus est implorare a Patre suo veniam crucifigentibus se.

II. *Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.* (Vers. 114.)

His verbis dicere videtur Propheta Deo: « Ut non timeam inimicos quos odi, et adimpleam legem tuam, quam dilexi, necesse habeo ut congruum inveniam auxilium atque tutamentum. Sed frustra id ab hominibus expeterem: plerumque enim dicere cogor cum sancto Job: *Verbosi amici mei; ad te, Domine, stillat oculus meus* (cf. Job., XVI, 21). Ergo *tu*, o Deus, *adjutor meus et susceptor meus* esto; adjutor in lege custodienda, susceptor in evadenda persecutione inimicorum. Ego vicissim in verbum promissionis tuæ *valde sperabo.*

Tu quoque, sacerdos, qui nimium te sen-

tis adversariorum vexationibus exagitatum, noli confidere subsidiis *humanis*, noli facilius credere promissionibus amicorum ; sed recurre cum maxima fiducia ad Deum tuum, cum Davide dicendo : *Mihi autem adhærere Deo bonum est ; ponere in Domino Deo spem meam* (Ps. LXXII, 28). Recurre ad Mariam, veram afflictorum consolatricem et certissimum auxilium christianorum ; est enim Maria *omnipotentia supplex*. « Quod Deus imperio, tu prece, Virgo, potes ! »

III. *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.* (Vers. 115.)

Una ex causis cur odio habeat propheta iniquos, est, quia eorum consortium valde impedit meditationem verbi divini, quæ quietem et pacem animi desiderat. Ideo cupit eos a se recedere, ut muscas molestissimas.

Nonne, o mei fratres, hæc Davidis tanta sollicitudo de quærenda solitudine ut quietius vacare posset orationi et rerum divinarum contemplationi, nos sacerdotes pudore debet implere, qui tam facile nos abripi sinimus conversatione vana et inutili, visitationibus laicorum inopportunis et ephemeridum lectione, ita ut vix locus sit conversationi cum Deo et studio rerum ad nostram sanctam vocationem spectantium ?

Liceat mihi hac uti occasione ad ponendum ante oculos sacerdotum admirabile

EXEMPLUM CONVERSATIONIS CUM LAICIS.

Hoc conversationis exemplum nobis dignatus est dare ipse Dominus noster Jesus Christus, dum in terris versatus est cum hominibus.

1° *Raro* cum hominibus conversabatur, neque *diu* cum ipsis manebat ; tam diu scilicet quam *utilitas* eorum id requirere videbatur.

2° Semper in loquendo et in agendo maxima utebatur *prudentia.*

3° Non diffitebatur se in deliciis habere *solitudinem* et *silentium.* Attamen nullum poterat ipsi esse periculum ex commercio hominum. Ecce triginta fere annos longe a conspectu hominum vixit, et tres tantum dedit vitæ publicæ. Et etiam illi tempori, quo cum hominibus conversatus est, subripere voluit plures horas ad conversandum cum Patre suo et cum Angelis. Et dimissa turba, *ascendit in montem solus orare* (Matth., XIV, 23). *Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat* (Marc., I, 35). *Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare* (Ibid., VI, 46). *Et erat pernoctans in oratione Dei* (Luc., VI, 12).

Hinc disce, o sacerdos, vitare conversa-

tionem cum hominibus *non necessariam.* Sæpe conversatio caret utilitate, non caret periculo. Si frequentior, si nimium producta, parit mirationem, parit non raro scandalum, maxime si instituitur cum femineo sexu. Ergo, o sacerdos, sint tibi, ut Jesu, in deliciis *solitudo et silentium. — Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet* (Imit., I, 20).

4° Ipsi non erat *acceptio personarum.* Cum omnibus agebat libenter, sed *libentius* cum *simplicibus* et *pauperibus*, secundum illud Scripturæ : *Et cum simplicibus sermocinatio ejus* (Prov., III, 32). *Pauperes evangelizantur* (Matth., XI, 5).

5° Nunquam loquebatur de rebus frivolis, vanis aut scurrilibus, nec de negotiis mundanorum ; sed de *regno Dei* et de justitia ejus (Act., I, 3).

6° Non patiebatur coram se dici mala, indecora vel proximo nociva.

7° Aliorum defectus mira cum patientia tolerabat. Si quid reprehensibile proponebatur, id *sincere*, *suaviter* et *paterne* increpabat.

8° Sua *modestia* et *amabilitate* omnium sibi vindicabat corda.

9° *Semper* et *ubique* dulcissimam præ se ferebat *gravitatem*, et in loquendo tantam habebat *gratiam*, ut omnes qui eum audie-

bant, ex ipsius ore viderentur pendere.

10° Non loquebatur nisi cum rectissima intentione, nempe ad gloriam Patris et ad salutem animarum. Si identidem visus est producere aliquam sermocinationem, non ex voluptate quadam id faciebat, sed unice ad utilitatem audientium et ad implendam voluntatem divinam.

11° Nonnunquam dignatus est mensæ assidere laicorum, eorum scilicet qui virtute et pietate præstabant; et id quidem eis concedebat ut virtus et pietas eorum aliis commendarentur. Non dedignatus est aliquoties cibum sumere in mensa peccatorum et publicanorum, et hac occasione uti solebat ad mentes instruendas convivarum et ad inflammanda corda eorum.

12° Singulorum se accommodabat indoli, ita ut omnibus se faceret omnia. *Omnes mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius* (Luc., IV, 22).

Fac, o Deus, ut *noster modus apparendi inter homines* non nimium discrepet ab egregio exemplari quod nobis divinitus demonstratum est (1).

1. Hæc nostra monita valde opportunam et simul maximi momenti confirmationem accipiunt ex recentissima Epistola encyclica sanctissimi Domini Leonis XIII, quæ incipit *Graves de communi* (18 januarii 1901). Sequentia

IV. *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea.* (Vers. 116.)

Hæc est connexio præcedentem inter et præsentem versiculum : Sicut cupio iniquos a me recedere, ita cupio ut tu, Domine, ad me accedas, et me in sinum tuum suscipias, secundum eloquium promissionum tuarum; et tum verissime vivam, cum tibi, qui *vita* es, conjunctus ero. Et quia de benignitate tua, non de meritis meis, id exspecto, *non confundas me ab exspectatione mea.* Scimus ex Scriptura sacra Davidem tanto ardore hoc cupivisse intimum cum Deo suo commercium, ut ardentia hæc scripserit verba : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam !* (Ps. LIV, 7.)

---

enim ibi leguntur : « Prodire in populum in eoque saluta-riter versari opportunum esse, prout res sunt ac tempora, non semel Nobis, homines e clero allocutis, visum est affirmare. Sæpius autem per litteras ad Episcopos aliosve sacri ordinis viros, etiam proximis annis datas, hanc ipsam amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse diximus utriusque ordinis clericorum. Qui tamen in ejus officiis explendis *caute admodum prudenterque faciant*, ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper et humilis, ille calamitosorum pater Vincentius a Paulo, alii in omni Ecclesiæ memoria complures, assiduas curas in populum *sic temperare consueverunt, ut non plus æquo distenti* neque immemores sui, *contentione pari* suum ipsi animum *ad perfectionem virtutis omnis* excolerent. »

Stude et tu, o sacerdos, ardens in tuo corde excitare desiderium *vivendi* in sancta et intima *familiaritate* illius cujus conversatio tædium non habet, sed plena est suavitate atque miris deliciis. Exclama frequenter: *Veni*, Domine Jesu, *veni et noli* tardare; cupio enim dissolvi et esse tecum. O Domine, *quando veniam*, et apparebo ante faciem tuam, et vivam *vera vita*, quæ in te solo potest inveniri?

V. *Adjuva me, et salvus ero; et meditabor in justificationibus tuis semper.* (Vers. 117.)

Idem, ait Bellarminus, aliis verbis repetit; idem enim sunt: *Suscipe me et vivam*, et *Adjuva me et salvus ero. Fructus* autem hujus susceptionis erit, ut sine impedimento semper meditari valeat in lege Domini. Patet igitur iterum *quanti faciat* David gratiam *conversandi* cum Deo *ope meditationis.*

Regina Saba proclamabat beatos servos et familiares Salomonis, ex eo quod ipsis datum esset *stare coram Rege suo semper et audire sapientiam ejus* (III Reg., x, 8): nonne erubescere debemus nos, quibus datum est stare quotidie, non coram rege terreno, sed coram Rege æterno, et audire non verba humana sed divina, et qui tamen *parvi facere* videmur et pro minimo impe-

dimento omittere istud aureum exercitium quotidianæ meditationis ?

VI. *Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.* (V. 118.)

Ostendit nunc Propheta, ait Bellarminus, quod, si ipse odio habet iniquos et a se recedere cupit, id facit *exemplo Dei*, qui iniquos justissime exsecratur. *Sprevisti*, inquit, tamquam rem nullius momenti, *omnes discedentes* a judiciis tuis, id est, omnes iniquos qui discedunt a via legis divinæ. Quare ? *Quia injusta cogitatio eorum*, id est, quia ipsi cogitant se non debere subdi legi Dei, nec ab ea pendere : qua cogitatione nihil iniquius esse potest, cum *omnis creatura* summo jure *Creatori* subjici debeat. Hæc fuit cogitatio Luciferi, qui similis esse Altissimo, non autem ei subditus esse, voluit. Eadem fuit cogitatio primorum parentum, qui cupierunt esse sicut Dii. Eadem est cogitatio omnium superborum, qui dicunt in corde suo : *Quis noster Dominus est ?* (Ps. xi, 4.) Hos igitur spernit Deus, et ipsi pereunt in æternum.

O sacerdos, cave et tu ne Dei incurras contemptum, transgrediendo, non solum mandata Dei et præcepta Ecclesiæ, sed etiam jussa cujuscumque superioris legitima auctoritate constituti. *Qui se existimat*

stare, videat ne cadat! clamat Apostolus (I Cor., x, 12).

VII. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.*

Movet hoc loco magnam quæstionem sanctus Augustinus. Quomodo, ait, *omnis* peccator *prævaricator* dici potest, cum Apostolus dicat : *Ubi non est lex, nec prævaricatio* (Rom., IV, 15) ; et rursum : *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (Rom., II, 12). Respondet sanctus Doctor : illud, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, intelligi de *lege in universum ;* illud autem, *Quicumque sine lege peccaverunt*, intelligi de *lege scripta* tantum : proinde *omnes peccatores* dicendi sunt *prævaricatores*, quia *omnes prævaricantur legem naturalem scriptam in cordibus.*

Sed cur Propheta hoc dicit ? Ut ostendat *peccatum*, quod est maximum malorum, non aliunde nobis accidere, *nisi ex prævaricatione legis.* Subjicit David : *Ideo dilexi testimonia tua*, id est, *ut tam magnum malum effugiam*, diligere volui legem tuam.

Ex his poterit concludere sacerdos quomodo necesse sit ut diligat totam legem divinam, non solum *affectu*, sed etiam *actu ;* secus, deficiente legis amore, erit legis prævaricatio, et per legis prævaricationem com-

mittetur *peccatum*. Ex timore peccati cavebit bonus sacerdos non solum a violatione mandatorum Dei vel præceptorum Ecclesiæ, sed etiam a violatione omnis alius legis, quæ manat ab Episcopo, vel ab Ordine suo, si religiosus sit.

VIII. *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* (Vers. 120.)

Postulat David in fine *confirmationem* in timore Dei, ut in custodia legis per istum timorem perseverare valeat.

Confige, inquit, quasi *clavis*, *timore tuo carnes meas*, id est *cupiditates* meas, ut se commovere non possint, juxta illud Apostoli : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal., v, 24).

A judiciis enim tuis timui, id est, quoniam jam cœpi timere a judiciis tuis, *pœnas horribiles* comminantibus, ideo cupio stabiliri in hoc sancto timore, ut ab eo nunquam divellar.

Efflagitemus nos etiam Dei timorem, et talem qualem habuit sanctissimus Rex, nempe timorem salutarem, timorem cum maxima fiducia in Deo inseparabiliter conjunctum. Amen.

MEDITATIO DECIMA SEXTA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus sextus, Ain *(Versiculus 121-128).*

I. *Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me.*

Hic octonarius totus est ad gratiam petendam *liberationis* a calumniatoribus, et *auxilium* ad legem perfecte adimplendam.

Sincere et merito confitetur David *fecisse* se judicium et justitiam, reddendo unicuique suum ; et propterea sperat fore ut, opitulante Deo, a calumniantium vexationibus liberetur.

Quinam sunt isti calumniatores quorum timet malitiam ? Calumniatores nostri perpetui, dæmones sunt, quibus tradimur a Deo, quando permittimur tentari ab illis, vel potius, quando culpa nostra, Deo deserente, superamur et tentationibus consentimus.

Quam jucundum esset nobis, si possemus, ut David, dicere Deo nos *fecisse judicium et justitiam*, scilicet nos in omnibus egisse *rationabiliter* et unicuique, Deo et proximo, *suum reddidisse !* Tunc utique in angustiis nostris recurreremus ad Deum, cum omni spe nos de quantacumque tentatione relaturos triumphum.

Animadverte, o sacerdos, quomodo Propheta, tametsi profecisset et ideo evasisset injurias calumniatorum, adhuc se declaret opus habere misericordia Dei. Omnis enim qui in terra est, indiget misericordia Dei, cum in medio laqueorum et supra spinas ambulet. Semper opportunum erit hoc Apostoli monitum : *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (I Cor., x, 12).

II. *Suscipe servum tuum in bonum ; non calumnientur me superbi.* (Vers. 122.)

Clarior videtur textus hebraicus, ubi habetur : *Dirige*, sive *ordina* et *apta* servum tuum *ad bonum*, ut semper placeat illi bonum ; et hinc fiet ut non calumnientur me superbi, sive homines sive dæmones. Qui enim, ait Bellarminus, *bene* confirmatus est *in bono*, et ita bene *aptatus* ut *ubique et semper* bonum ei placeat, ille perseveranter bene agit, adeo ut nihil sit cur timeat calumniatores, cum illis nullam calumniandi ansam præbeat.

Non injucunde hunc versiculum explicat Origenes, dum dicit : « Qui pœnitentiam egit et ab obsidentibus ipsum egressus est et a captivitate liberatus, ait : *Excipe servum tuum in bonum.* Hi enim me in malum exceperant. Nam nisi me servum tuum ab inimicis subactum exceperis, superbæ illæ

virtutes adversariæ calumnias mihi struent. Quomodo autem calumniantur? Nempe cum me ad peccatum instigaverint et ut illud committerem persuaserint, illæ ipsæ me accusant, totam causam peccatorum in me refundentes. »

III. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum; et in eloquium justitiæ tuæ.* (Vers. 123.)

Non pauci hunc versiculum exponunt quasi ex jugi et intensissima auxilii exspectatione Prophetæ oculi extabuerint. Sed altiori sensu sanctus Hilarius : « Propheta, inquit, *animæ* suæ oculos *in Dei salutare* defixit, id est, *Jesum*. Quasi nimirum, oculis aspicientibus Christum, non dignaretur aliud aspicere : ac si Christi pulchritudine oculi capti ad alia videnda defecerint, et quasi inutiles ac cæci facti sint. » Pergit sanctus Ambrosius, atque hujus rei rationem reddens, ait : « In eo enim quem diligimus totis oculis occupamur, nec quidquam aliud videre delectat ; ita ut, qui rei cujuspiam pulchritudine captus est, ad alia videnda integros oculos non habeat. »

Igitur confirmat Propheta se valde ardenter desiderare *perfectam* illam *directionem* ad bonum quæ in vita æterna dabitur electis, quasi dicat : *Oculi* mei defecerunt præ desiderio, respicientes assidue in salu-

tem tuam, quæ de cælo nobis adveniet, *et in eloquium justitiæ tuæ*, id est in promissionem tuam fidelissimam.

Ergo et nos, sursum aspiciamus ad salutare Dei et ad Verbum ejus, omnes spes nostras ad hæc erigentes, rogantesque liberari ab his qui saluti nostræ invident.

IV. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.* Quam humilis et quam suavis est hæc Davidis precatio! Petit ut Dominus operetur secum, non secundum *merita ipsius*, sed secundum *misericordiam suam*, quæ in eo potissimum consistit, ut *doceat justificationes suas.* Petit ut ipsi *intime* persuadeat bonum esse implere et custodire legem Domini, atque hoc modo doceat eum non tam *scire* quam *facere.* Id autem, ait Bellarminus, fit quando Deus infundit *magnam caritatem*, non quando solam donat *scientiam*, quæ sine caritate inflat, non ædificat.

Utinam frequentissime in labiis nostris sit hæc dulcissima, filialis et efficacissima precatio : Fac, o Deus, cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et non secundum mea merita, quæ nulla sunt! De tali oratione dicitur in Officio S. Raphaelis: « Oratio justi clavis est cœli. Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. »

Quam merito dicit sanctus Bonaventura: « Qui orat, debet *clamare*, sicut clamat parvulus qui vult ubera ; sicut clamat catulus, cum sentit verbera, et sicut clamat populus, cum videt pericula. Oratio est sicut *armatura* militem ornans, sicut lucerna viam demonstrans, et sicut columba olivam portans » (Diæt. tit. II, cap. 5).

V. *Servus tuus sum ego : da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* (Vers. 125.)

Ista tam frequens petitio ejusdem rei signum est *magni desiderii.*

Quanta cum sinceritate, quanta cum veritate, quantaque cum fiducia et suavitate profitetur, *se* David *esse servum Dei !* Ex hoc autem quod sit servus Dei, concludit se teneri mandatis Dei obedire ; sed ut ea possit adimplere, necesse est ut cognoscat ea : atqui solus Deus potest hanc dare cognitionem, et propterea eam a Deo expetit cum magna humilitate.

Quod desideravit, quod petivit, quod obtinuit precando David, desideremus et nos ; petamus, et humili prece sine ullo dubio obtinebimus.

Ad hunc locum psalmi apte scripsit Origenes : Nullus servus *peccati*, servus est *Dei.* Qui igitur servit ei, in omni actione ac cogitatione, faciens omnia secundum ver-

bum ejus, hic dicat: *Servus tuus sum ego.* Talis cum esset Propheta, in mercedem servitutis suæ postulat illud: *Da mihi intellectum.* Est enim intellectus ille a Deo donatus, qui apud Deum quasi in thesauri custodia deponitur. *Spiritus* enim *sapientiæ et intellectus* et cetera bonorum dona requiescent super eum (cf. Is., XI, 2).

VI. *Tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam.* (Vers. 126.)

Duplex est modus explicandi hunc versiculum. Unus pertinet magis ad expositionem *litteralem*, alter ad expositionem *mysticam.* Priorem sequuntur Græci, posteriorem Latini et recentiores. Utraque expositio, ait Bellarminus, bona est, et utriusque consideratio multiplicem habet utilitatem.

1° Græci igitur Patres versiculum exponunt de *punitione sceleratorum*, ut sensus sit: Tempus est, Domine, ut facias judicium adversus *impios*, eosque punias, quoniam *dissipaverunt* legem tuam, id est, non solum utcumque eam violaverunt, sed illam penitus dissipaverunt et pessumdederunt.

Et nos, sacerdotes, dum videmus ea quæ fiunt impie fere ubique terrarum, quomodo non ad lacrimas usque commoveamur, ita ut, si nobis verus est amor Dei, si vera nobis de salute animarum cura atque solli-

citudo, clamemus et nos frequenter ad Deum, eum enixe deprecantes cum Ecclesia, ut « Satanam aliosque spiritus malignos qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrudat. »

2° Latini Patres versiculum exponunt de *gratia Salvatoris*, ut sensus sit: O Domine, jam tempus est *faciendi*, qui satis docuisti *verbis*, satis mandasti; nunc tempus est ut *facias*, ut *exemplo* doceas, ut carnem sumas, ut obedientiam usque ad mortem crucis exhibeas, ut gratiam dones, qua justificatio legis impleri possit a nobis; nam dissipaverunt legem tuam Judæi, quibus data erat.

In hunc sensum sanctus Ambrosius pulchre ait: « *Tempus est faciendi*, ut si ingravescente ægritudine alicujus incommodi curras ad medicum, ut citius veniat, ne postea subvenire non possit. Medicus tunc amplius desideratur, cum gravis incubuerit ægritudo languentis. Ergo cum videat in Spiritu sancto propheta prævaricationes populi, luxuriam, delicias, dolos, fraudes, avaritiam, temulentiam, et quasi pro nobis interveniat, currit ad Christum, quem solum tantis sciebat subvenire posse peccatis. Urget ut veniat, nec patitur fieri moras. Tempus faciendi, inquit, Domine, hoc est,

ut pro nobis crucem ascendas, mortem subeas. Totus in periculum ultimum mundus urgetur : veni ut tollas peccata mundi. Veniat vita morientibus, veniat resurrectio jam sepultis ; veniat *factum* tuum, quoniam nec præcepta prodesse potuerunt. »

Tamquam vates igitur in spiritu canens, agit David de hoc tempore quod etiam Isaias prædicit et Apostolus exponit. Isaias quidem ait hoc modo : *In tempore placito exaudivi te et in die salutis auxiliatus sum tui* (Is., XLIX, 8). Et Apostolus hanc sententiam exponens, subjungit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II Cor., VI, 2).

Cogitet pius sacerdos sibi vicissim a Deo dictum esse : O sacerdos, serve bone et fidelis, tempus faciendi, tempus probandi *operibus* pia tua desideria, pia tua proposita. Amor enim non consistit tantum in *affectu* aut in *verbis*, sed in *opere*. Opere tandem proba quæ tam sæpe inter meditandum agere proposuisti : non verba volo, sed opera. Et tu, o frater, cum magno affectu Deo responde : Dixi, Nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ Excelsi (Ps. LXXVI, 11).

VII. *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.* (Vers. 127.)

VIII. *Propterea ad omnia mandata tua*

dirigebar ; omnem viam iniquam odio habui.

Perversitas illorum qui dissipaverunt legem Dei impellit prophetam ad majorem fidelitatem legi divinæ exhibendam. Egregia sane est hæc Davidis conclusio. Ergo, ait, *quia* multi dissipaverunt legem tuam, et ob hoc video illis gravissimum imminere supplicium, ideo *ego* ex adverso magis incensus sum amore legis tuæ, et pluris illam facio quam aurum et lapillos pretiosos. Ideo etiam, non solum legem diligebam, sed insuper eam custodire satagebam. *Dirigebar* enim ad omnia mandata tua, non declinans ad dexteram vel sinistram ; immo *omnem viam iniquitatis*, id est, omnem legem carnis et peccati, odio habui et declinavi.

Exemplum sanctissimi regis imitemur, nos saltem sacerdotes. Ecce omnes conquerimur tempora nostra mala esse, iniquitate plena, plena scandalis, etiam ex parte nonnullorum sacerdotum et religiosorum. Quid nobis concludendum est ex hoc tristissimo spectaculo ? An despondebimus animos ? Ignavia esset viro apostolico indigna. Quin potius accendimur novo ardore et advolamus in auxilium errantium, ut saltem per nos, adjutores Christi, lex Dei melius cognita magis æstimetur, ardentius diligatur, generosius adimpleatur. Amen.

MEDITATIO DECIMA SEPTIMA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus septimus, Phe *(Versiculus 129-136)*.

I. *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.*

1° Ex multiplici legis divinæ consideratione hausit Propheta tantam hujus legis æstimationem, tantum amorem, ut non possit non prorumpere in verba singularis admirationis, exclamans : *Mirabilia testimonia tua !*

Quæ quidem verba egregie explanat Origenes, dum in persona Davidis dicit : « Cum magna sint et uberem sensum habeant testimonia tua, *admirabilia* exsistunt; idcirco non quomodolibet iis attendo, sed *anima mea studiose* illa perscrutatur. Dum enim ea contemplatus fuero, meipsum video plurimum ab eorumdem cognitione defecisse, et iterum iis animum adjicio ; deinde cernens me vix in eorumdem introductione versari, denuo concessam mihi inquisitionem intendo, donec exactissimam cognitionis eorum veritatem obtineam. »

Non minori claritate explicat Didymus vocem *mirabilia*. « Quomodo, ait, non mirabilia sint, in quibus omnem speciem *virtutis* edocemur ; quamlibet malitiam discimus

aversari ; quales tandem in iis *retributiones* sint, erudimur ? Animam igitur hortatur David ad illa perscrutanda, ne vel minimum iis defraudetur, sed integra lucretur, integra perdiscat, etiam illa quæcumque primo intuitu scrutantem latuerant. »

O si nobis esset ille ardor, qui fuit Prophetæ, ad scrutandam legem Domini, profecto et nos, in legis admirationem rapti, ex ejus assidua consideratione majores in dies perciperemus animi consolationes. Faxit Deus ut saltem, dum recitamus Officium divinum, hunc versiculum attentius assuescamus recitare, lentius et majori cum affectu !

2° Petit hic aliquis pius scriptor quare dicatur *mirabilis* lex Dei, cum in Deuteronomio (XXX, 11) scriptum sit : Mandatum hoc non supra te est ; et in Hebræo habeatur : Mandatum hoc non mirabile est. Respondet egregie : Leges Domini, sive *morales*, sive *judiciales*, sive *cæremoniales*, non esse mirabiles, quod attinet ad *sensum litteralem ;* nam apertæ sunt et faciles, et qui eas non servant, non possunt excusari ab ignorantia, et hoc affirmat Moses in Deuteronomio. At quod attinet ad mysticos sensus, præsertim legum cæremonialium, *mirabiles* et *obscurissimæ* sunt, cum per illas

figurentur omnia mysteria christianæ religionis ; atque hoc videtur Propheta significare voluisse.

Præterea Decalogus, quo lex Domini potissimum continetur, hoc ipso valde *admirabilis* est, quod tam claris et apertis sententiis conscriptus sit, cum tamen in *summa brevitate* complectatur *omnia principia justitiæ* ad quæ reducuntur omnes leges quæ factæ sunt et quæ fient. Omnes enim aliæ leges, quæ sunt innumerabiles et ingentia volumina repleverunt et deinceps replebunt, omnes, inquam, sunt vel *conclusiones* vel *determinationes* legum Decalogi. Itaque sicut parva semina mirabilia sunt, quia *virtute* continent magnas arbores, sic Decalogus admirabilis est, quia *virtute* continet omnes leges totius mundi.

II. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* (V. 130.)

1° Igitur dicit David Dei testimonia esse mirabilia non solum in se, sed etiam mirabilia ex eo quod, si *declarentur* vel ab ipso Deo, per infusionem luminis divini, vel ab aliquo perito doctore, mirifice mentem illustrant.

Declaratur autem lex, tum quando aperiuntur mysteria *figurarum* quæ in lege *cæremoniali* continentur; tum quando dedu-

cuntur conclusiones ex lege *morali;* tum denique quando decreta legis *judicialis* ad facta particularia applicantur.

2° Quid significat id quod sequitur : *Et intellectum dat parvulis?* Profecto significat legis declarationem parvulis esse necessariam. Et quinam sunt isti parvuli ? *Simplices*, aiunt interpretes Scripturarum, et *ignorantes.* Sanctus autem Augustinus non immerito per parvulos intelligit *humiles;* isti enim facilius res divinas addiscunt, juxta illud Matthæi (XI, 25): *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis;* iis videlicet qui non sunt in oculis suis sapientes nec prudentes.

O mei fratres, quare nonnullis sacerdotibus difficile videtur aureum exercitium quotidianæ meditationis, et conqueruntur ex eo vix se aliquem fructum posse percipere ? Nonne quia non sunt coram Deo *sicuti parvuli*, sed quia sunt propriis oculis sapientes et prudentes, confidentes non Dei gratiæ sed viribus suis atque conatibus suis humanis ? *Humiles* nos exhibeamus Deo et *simplices*, et sine dubio mentes nostras rerum divinarum intelligentia illuminabit Spiritus sanctus, cordaque nostra suavissimis sui amoris deliciis lætificabit. *Gustate*

et videte quoniam suavis est Dominus (Ps. XXXIII, 9).

III. *Os meum aperui, et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.* (Vers. 131.)

Ecce, David tamquam unus ex his parvulis fatetur se aperuisse os suum, orando, petendo, et attraxisse spiritum, spiritum scientiæ et pietatis, quo mandata et intelligere et implere posset, quod unice desiderabat.

Dicendo, *Os meum aperui*, certe intelligit Propheta *os cordis*, et eleganti similitudine *vim desiderii* sui exprimit, dum ait tantum ardorem atque æstum esse animi Deum appetentis et sempiternam felicitatem, ut interclusus prope suffocetur, et sit necesse ad refrigerandum eum, spiritum attrahere. Cor igitur aperiebat identidem David ad tuendam vitam in se divinam ; cujus rei causam refert in inflammatum et perenne desiderium suum : *Quia mandata tua desiderabam.*

Disce, o sacerdos, et tu attrahere spiritum pietatis et amoris, os cordis aperiendo frequenti et ardenti ad cœlestia aspiratione. Hic mos est Sanctorum ; eum sequere, et quibus fruuntur deliciis Sancti, et tu frueris.

IV. *Aspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.*

Eorum qui *Dei misericordiam* consequuntur, alii quidem eam consequuntur per *pœnitentiam*, dum recens a peccatis recedunt et peccata confitentur; alii vero misericordiæ Dei experimentum capiunt, quia *proficientes* ad ipsum virtutis apicem contendunt. Rogat autem Propheta ut misericordiam adipiscatur, non secundum morem eorum qui agunt pœnitentiam, sed eorum qui diligunt nomen Domini. Persona enim quæ hoc dicit, est ex illis qui in virtute et scientia veritatis plurimum profecerunt. Quapropter etiam confidenter petit apparere Deo: *Aspice*, inquit, *in me*, et necessario tuâ in me misericordia sequetur.

Quis non mirabitur simplicitatem, familiaritatem, fiduciam singularem qua utitur David in suo cœlesti cum Deo commercio? Ecce, tanta est orantis fides ut veluti oculis præsentem aspiciat Deum quocum loquitur. Tamquam parvulus, amantissimum rogat Patrem ut dignetur filiolum suum aspicere vultu benigno, vultu paternæ pietatis. Non enim ignorat cum simplicibus ipsius esse sermocinationem.

Vide, o sacerdos, cui classi misericordiam Dei consequentium jam adscriptus videaris. Si in prima, contende ad altiorem ascendere, et quidem sine mora: tempus

enim breve est et mors stat in limine.

V. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis injustitia.*

Hic versiculus intimam habet cum præcedenti connexionem. Etenim dixerat David ad Deum : *Aspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum;* atqui, pergit, *in hoc misereberis* mei, si direxeris gressus meos secundum eloquium tuum, nempe si per gratiam tuam feceris ut ego rectam viam ingrediar, ambulans secundum directionem legis tuæ, et sic non dominetur mei omnis injustitia. Intellexerat piissimus rex non posse se recte ambulare per viam virtutis, nisi ambulantem dirigeret ipse Deus. Propterea fatetur se inter maxima Dei dona ponere hanc benignissimam *directionem*, eamque ferventissima prece expetit.

Idem faciat sacerdos quotidie, non solum dum inter recitandum divinum Officium hæc recitat verba Davidis, sed etiam dum parat se ad Missæ sacrificium celebrandum. Assuescat sacerdos attente recitare piissimam oratiunculam : *Ego volo celebrare Missam*, etc., in cujus fine ante oculos nostros vivide exponitur illa *pretiosa via* per quam solet Deus dilectos suos dirigere sacerdotes. Hæc igitur legat *lente* et cum

pausis, ad singula commata paululum subsistendo : *Gaudium cum pace... emendationem vitæ...gratiam et consolationem sancti Spiritus...perseverantiam in bonis operibus.. atque felicem vitæ consummationem...tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.*

VI. *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.* (Vers. 134.)

Petit Propheta a Deo ut tunc potissimum velit ipsius gressus dirigere, cum periculum est ne, *perturbatus calumniis*, declinet a recta via. Et re quidem vera affirmat Ecclesiastes (VII, 7) *calumniam perturbare sapientem et perdere robur cordis.* Merito igitur dicit David Deo : *Redime me a calumniis hominum*, id est, *libera* me a calumniis hominum, ut animo tranquillo mandata tua custodire valeam.

Quam triste est videre sacerdotes nonnullos incaute carpentes dicta et facta fratrum suorum, et imprudenti crisi eos avertere conantes a sanctis operibus quæ pro gloria Dei et pro salute animarum susceperant ! Vidimus non semel ingenia præstantissima et quæ magna portendebant, veluti ad nihilum redacta aliqua malitiosa vel saltem inopportuna vituperatione. O mei fratres, saltem nos sacerdotes a crisi tamquam a peste abhorreamus !

VII. *Faciem tuam illumina super servum tuum: et doce me justificationes tuas.* (V. 135).

Quod supra dixerat regius Vates, *Aspice in me*, idem aliis verbis repetit, dicens: *Faciem tuam illumina super servum tuum.*

Sicut enim sol, ait Bellarminus, cum interpositione nubium obscuratur, privat nos calore et lumine; ita Deus, cum nos gratia sua non adjuvat, videtur abscondere faciem suam vel tenebris cooperire, et contra, cum nos gratiæ suæ lumine collustrat, videtur nubium obstacula dissipare et nobis serenam faciem ostendere. Ait igitur, *Faciem tuam illumina super servum tuum*, id est, sereno me vultu respice, et, lumine ad me transfuso, *doce me justificationes tuas*, doce scilicet intelligere et servare legem tuam.

Sanctus Athanasius hunc versiculum exponens, putat Davidem dicendo: *Faciem tuam illumina super servum tuum*, exprimere desiderium *videndi præsentiam Christi Domini;* Dominus enim Jesus est figura Patris. Idem sentit Theodoretus, dum scribit: Salvatoris adventum videre desiderans, rogat pro eo ad Patrem dicens: *Faciem tuam*, Domine, *illumina*, quam qui videt, videt et Patrem. Ipse enim de semetipso ait: *Qui videt me, videt et Patrem* (Jo., XIV, 9).

Non carebit fructu, non carebit consolatione frequens hujus versiculi usurpatio, tempore præsertim quo pius sacerdos contemplationi vacat vitæ Christi Domini. Dicendo enim : *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas*, obtinere contendit ut perfecte Salvatorem suum cognoscat, ardentius eum diligat atque fidelius eum imitetur. Hæc autem petitio piissima Christo accepta est, sacerdoti utilissima atque nunquam non exaudita.

VIII. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

Quam vehementer David legem Dei dilexerit, ostendit hactenus tot precibus toties repetitis pro gratia servandæ legis ; nunc idem demonstrat ex magno dolore quem concepit ob prævaricationem. Non enim dicit se unam vel alteram lacrimam fudisse, sed rivos aquarum, id est, lacrimarum, ex oculis quasi ex fontibus deduxisse. Tametsi enim *peccatum*, id est transgressio legis, procedit a *voluntate* sive a *corde*, nihilominus instrumenta peccati nunc sunt oculi, nunc lingua, nunc manus. Peccati autem gravissimi, quod David aliquando commisit, et pro quo lavabat per singulas noctes lectum suum, instrumentum fuerunt oculi. Vidit enim nimis curiose mulierem, cum ipsa se

lavaret ; inde exarsit in concupiscentiam ; inde processit ad adulterium et homicidium.

Nonnulli Græci et recentiores interpretes dicunt Davidem flevisse peccata aliorum, et sic exponunt illud : *Quia non custodierunt legem tuam*, sed latini Patres constanter affirmant Davidem loqui de peccato suo, non de alieno.

O si contingeret nos identidem aliquid lacrimarum effundere ad recordationem peccatorum nostrorum ! Quam gratum acceptumque id esset Deo, quam utile nobis ipsis, cum dictum sit a Domino Jesu beatos esse qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur!

MEDITATIO DECIMA OCTAVA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus octavus, Tsade (*Versiculus 137-144*).

In meditando admirabili Psalmo de lege Domini, processimus gradatim, assumendo pro materia uniuscujusque meditationis octo versiculos. Cum jam pergat Psalmista ad finem psalmi, et in ultimis versiculis ea quæ toties dixit, summatim jam ad mentem revocet, paucisque exprimat quæ sub multiplici forma dixerat profusius, reliquos versiculos brevissimis verbis perstringemus, ut ad aliam jam ædificationis nostræ partem properare possimus.

I. *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* (Vers. 137.)

In hoc octonario laudatur lex Domini a summa *rectitudine* et *justitia.*

Et primo quidem legem Dei esse *justissimam*, demonstrat David ex eo quod habeat *auctorem* justissimum, in quem injustitia cadere non potest. Ait igitur : *Justus es, Domine*, id est, justus per antonomasiam, et *solus* justus ea justitia cum qua admisceri injustitia nequeat, juxta illud : *Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ* (1 Jo., I, 5). *Et rectum judicium tuum*, id est, et *consequenter* rectum ac justum est judicium, decretum, mandatum tuum.

Utinam, o mi Deus, tanta loquar et agam sinceritate et sapientia, ut omnis qui me noverit merito dicere possit mihi : Justus es et rectum judicium tuum !

II. *Mandasti justitiam testimonia tua et veritatem tuam nimis.* (Vers. 138.)

Hic versiculus pulchram constituit gradationem. Etenim dicendo: *Mandasti justitiam testimonia tua et veritatem tuam nimis*, ostendit David legem Dei non solum esse justam, quia procedit a Deo justo, sed etiam quia *continet* ipsam justitiam ; nam sensus verborum est : Præcepisti nobis testimonia tua, *quæ sunt ipsa justititia*, et sunt *ipsa*

veritas. Sanctus Thomas (1ª 2æ, q. 100, art. 8) ex hoc principio colligit legem Decalogi esse omnino indispensabilem, quia continet *ipsum* ordinem justitiæ, quemadmodum, si quis juberet ut nullus peccet, vel ut nemo sit iniquus, lex esset omnino indispensabilis, quia non potest dari casus in quo liceat peccare vel iniquum esse.

III. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* (V. 139.)

Sensus est : Cum tanta sit æquitas legis tuæ, o mi Deus, non potui non affici dolore, ita ut etiam tabescerem et languerem præ zelo, cum viderem homines, etiamsi inimicos meos, oblivisci præceptorum tuorum tam utilium.

Nonne, o mei fratres, nos pudere debet, si aspiciamus tot homines quorum salus nobis commissa est, vivere extra considerationem legis divinæ, quin afficiamur dolore et tristitia, quin, ut David, præ zelo tabescamus ?

IV. *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* (Vers. 140.)

Iterum docet Propheta legem Dei esse justissimam et *purissimam*, ex similitudine ad *aurum igne probatum*. Dicitur enim eloquium Dei *ignitum vehementer*, quia similis est lex Dei auro in fornace ignis

constituto, ubi non læditur, quia purum est ab omni sorde.

Simile habetur in Psalmo XI, 7 : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Immo, in Deuteronomio XXXIII, 2, dicitur lex Domini ignea : *In dextera ejus ignea lex ;* tum quia instar ignis illuminat et purificat, tum quia finis ejus est caritas, quæ est ignis divinus.

Unde sequitur ut eadem lex summo amore diligenda sit. Quare merito David adjungit : *Et servus tuus dilexit illud.*

Fac, o mi Jesu, ut et ego, sacerdos tuus, hanc tuam eamdem legem summopere diligam, fidelissimaque ejusdem observatione hunc meum probem amorem !

V. *Adolescentulus sum ego et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.* (V. 141.)

Sanctus Ambrosius et sanctus Augustinus hunc versiculum exponunt mystice de *populo christiano*, qui est frater junior respectu fratris senioris, populi judaici, et ab illo quidem fuit contemptus, sed a Deo magis dilectus, quia *justificationes Domini non est oblitus*, quas populus judaicus oblitus est.

Juxta Theodoretum hæc etiam *secundum historiam* ad Davidem referri possunt, ita ut illa de semetipso dicat ; minimus enim

erat omnium Jesse filiorum, quin etiam contemptus. Omnibus igitur fratribus ejus ad epulum quod Samueli præparatum erat a patre, accitis, David inter oves patris versabatur, ad convivium minime adhibitus. Nihilominus, licet junior esset et contemptus, Dei tamen ipsius suffragio regnum obtinuit, quandoquidem justificationes Dei minime fuerat oblitus.

Memor sis, o sacerdos, verborum quæ dixit Dominus ad Samuelem : *Non juxta intuitum hominis ego judico ; homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Quanta inde consolatio, fiducia et securitas illorum qui obnoxios se vident suspicionibus, oblocutionibus, falsis testimoniis et injuriis, dum in semetipsis experiuntur testimonium conscientiæ rectæ et Deo placentis. Nunquam elabantur ex nostra memoria verbi divi Pauli scribentis ad Corinthios : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die... Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo* (I Cor., II, 3-5).

Gaudete igitur, o vos qui persecutionem patimini propter justitiam ; immo, ait Domi-

nus Jesus, *beatos* vos existimate, *cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo* (Matth., v, 11, 12).

VI. *Justitia tua, justitia in æternum: et lex tua, veritas.* (Vers. 142.)

Hæc est declaratio eorum quæ dixit superius. Justitia enim Domini, nempe justissima lex, est simul *justitia æterna*, quia immutabilis est et indispensabilis, et simul est *veritas*, quia nihil falsi continet : promissiones enim ejus et comminationes omnino impleri debent.

Est sane hæc doctrina stimulus valde urgens nos ad æstimandam, ad amandam, ad fideliter custodiendam legem divinam.

VII. *Tribulatio et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.* (V. 143.)

Sensus est : Quotiescumque me sentio tribulatum, angustiatum, id remedii accipio ut mediter et oblecter in mandatis tuis considerandis. Et hoc facio, ductus ea ratione quam modo enuntiavi, in lege tua videlicet omnia plena esse justitia et veritate.

Quam sapienter agerent sacerdotes, quos contingit subire vitæ ærumnas et contrarietates cujusvis generis, si levamen quæ-

rerent, solamen et auxilium, non apud homines, qui plerumque et ipsi indigent consolatore, sed apud Deum, orando, meditando, cordis sensa in ipsius sinum misericordissimum conjiciendo ! Nonne dixit Dominus Jesus hæc suavissima verba : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ?* Ego, inquam, qui diligo vos infinito amore, ego qui, infinite sapiens, scio quid vobis conveniat; ego qui, præditus cum sim infinita potentia, habeo unde vobis feram efficacissimum auxilium ! Confidite ; ego sum, nolite timere.

VIII. *Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, et vivam.* (V. 144.) Idem aliis verbis dicit David quod in præcedentibus versiculis, adeo ut sensus sit : Præcepta tua sunt æterna justitia, quia semper justissima sunt, et ideo peto ut des mihi intelligentiam præceptorum tuorum, utque ea custodiendo vivam, quia, si ea non custodirem, continuo morerer.

Hæc petitio tam ardenter expressa, et sane piissima, non potest non singulariter placere Deo, et nunquam suo carebit fructu. Optandum igitur ut omnis sacerdos qui suæ sanctificationi suæque consolationi consulere velit, iisdem utatur verbis quibus sanctissimus rex utebatur.

MEDITATIO DECIMA NONA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius decimus nonus, Coph *(Versiculus 145-152).*

I. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine; justificationes tuas requiram.*

II. *Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam mandata tua.*

III. *Prævèni in maturitate, et clamavi: quia in verba tua supersperavi.*

IV. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.*

In his quatuor versiculis Propheta desiderium suum erga divinam legem *ardenti oratione* demonstrat; ac in primo quidem et secundo versiculo exprimit *vehementiam* desiderii per *clamorem*, in tertio et quarto per *horam intempestivam.*

Clamavi, inquit, in toto corde meo, id est, toto affectu totisque viribus clamavi; ideo *exaudi me, Domine.* Sicut enim vocem corporalem *submissam* non facile exaudimus, ait Bellarminus, clamorem autem non possumus non exaudire, ita Deus orationem frigidam et *remissam*, quasi non exaudierit, non admittit; ardentem autem et *magno desiderio emissam*, quasi non possit non audire, facile admittit.

Justificationes tuas requiram idem est ac

si dicat : exaudi me, *ut* justificationes tuas diligenter requiram.

Sensus tertii versiculi est : *Præveni* tempus surgendi, et in hac mea acceleratione et festinatione, antequam dies illucesceret, cum adhuc tempus dormiendi esset, ego anticipavi vigilias, et in oratione mea clamavi, quia valde speravi in verba promissionum tuarum.

Idem repetit in quarto versiculo. *Prævenerunt*, inquit, oculi mei tempus vigilandi, et diluculo, id est, valde mane, ante ortum solis, ad te respicere cœperunt, ut, gratia tua adjuvante, meditarer eloquia tua.

In his igitur quatuor versiculis nobis significat piissimus Rex se recurrere quotidie, et quidem summo mane ad *meditationem*, ut, remotis curis temporalibus, in magno silentio rerum omnium mundanarum, cum Deo suo possit attentissimo animo conversari, et in hoc divino commercio invenire quod frustra expetiverat ab aulicis suis, pacem et cordis libertatem atque lætitiam. Intelleximus, dum hæc meditabamur, quantopere nobis sacerdotibus æstimandum sit exercitium *quotidianæ meditationis*.

Quis non maximis laudibus extulerit hanc Davidis diligentiam ad meditandam legem

Dei! Ecce, quotidie surgebat summo mane, ante lucem, contempta somni suavitate aliisque neglectis commodis quibus circum se fruebantur aulici, idque ut animi vires in suavissimis cum Deo colloquiis reficeret. Et nos quam tardi forsan ad surgendum! quam pigri ad orandum! et tamen sumus *sacerdotes*, tot gratiis præventi, tot auxiliis circumdati, tanto lumine collustrati! O sanctissime David, obtine nobis a Deo, cujus legem tam ardenter dilexisti, ut saltem a longe te imitari valeamus.

V. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: et secundum judicium tuum vivifica me.* (Vers. 149.)

Quanto cum affectu, quanta cum fiducia, quanta cum simplicitate alloquitur Deum, dum dicit: *Vocem meam audi*, non secundum merita mea, quæ nulla sunt, sed *secundum* solitam *misericordiam tuam*, et *secundum judicium* quo reddis quæ promisisti. Et urget suam petitionem, dicendo: *Vivifica me*, conservans et augens vitam spiritualem, quam dedisti, et in futuro seculo perficiens et consummans, ut amplius mori non possim.

O sacerdos, si forsan tibi videaris ita cecidisse a primo fervore, vel per multitudinem laborum, vel per neglectum exerci-

tiorum spiritualium, vel per funestissimam animarum lepram, tepiditatem, ut vix sentias te vivere vita spirituali : ut propheta, *clama ad Dominum*, et roga eum enixe *ut audiat vocem tuam secundum suam misericordiam*, et te vivificet, addendo lumen menti tuæ, et tuæ voluntari robur et constantiam : miraberis quam efficax sit talis expetitio.

VI. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati ; a lege autem tua longe facti sunt.* (Vers. 150.)

Quare tam ardenter petivit David a Deo ut ipsum vivificaret ? Quoniam non deerant persecutores, qui tentationibus assiduis eum mortificare satagebant. Hi autem persecutores erant vel homines, vel dæmones. *Appropinquant* enim hi omnes *iniquitati*, iniquitatem diligendo, ei adhærendo, eamque aliis persuadere conando ; e contrario, legem Dei oderunt,illam fugiunt, illam omnibus invisam reddere student.

Caveamus et nos, sacerdotes, a talibus persecutoribus. Ubique enim inveniuntur, ubique suas struunt insidias, ubique retia parant et catenas. Quapropter vult Dominus Jesus nos *semper et ubique* orare et vigilare, ut non intremus in tentationem.

Statim igitur ac intellexerimus consor-

tium alicujus nos inclinare ad iniquitatem, ad minorem scilicet fidelitatem in servitio Dei, ad minorem fervorem in vita spirituali, ad minorem zelum animarum, ad minorem animi fortitudinem, ad minorem modestiam et humilitatem, sine mora nos a tali consortio retrahamus.

VII. *Prope es tu, Domine : et omnes viæ tuæ veritas.* (Vers. 151.)

Sensus est : Quamvis persecutores mei *a lege tua longe facti sint*, tamen a te longe fieri non potuerunt ; quia *tu prope es* illis per *justitiam*, et omnes viæ tuæ veritas sunt, id est, omnes leges tuæ et omnia judicia justissima sunt. Itaque manum tuam ipsorum scelera punientem fugere non poterunt.

Mihi quoque *prope es tu, Domine*, per auxilium ; et quia *omnes viæ tuæ veritas* sunt, non patieris ut mihi noceant persecutores mei. Nam, etsi forte dabis illis potestatem in *corpus meum*, non dabis in *animam* meam ; et tandem omnis persecutio in coronam gloriæ convertetur.

Hæc consideratio *viarum Domini* profecto aptissima est ad roborandos animos sacerdotis in omni periculo, in omni tribulatione. Frequenter igitur in labiis nostris et in cordibus nostris sint hæc Davidis

verba fiducia et amore plena : *Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ?* (Ps. XXVI, 1, 2.) Et : *Diligam te Domine, fortitudo mea ; Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus. Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.* (Ps. XVII, 1-4.)

VIII. *Initio cognovi de testimoniis tuis quia in æternum fundasti ea.* (Vers. 152.)

Sensus est : Quod si *omnes viæ tuæ sint* veritas, immo etiam æterna veritas, idem initio cognovi de testimoniis tuis, nempe jam a primo tempore quo cœpi intendere in mandata, cognovi *ex ipsis*, dum ea attente considerabam, quia in æternum fundasti ea, scilicet ea esse veritates æternas, plane immutabiles et indispensabiles.

Id aptissime explicat Origenes, utendo comparatione templi spiritualis. « Mihi olim ab initio Deum colere incipienti notitia obvenit a testimoniis tuis. Cum enim testimoniorum a te traditorum notitiæ cooperarer, hoc modo illuminabar et scientiam collimabam, et cognovi quia testimonia in æternum fundasti. Si autem Deus fundave-

rit testimonia, nondum cessat a fundatione, sed vivit id quod fundatum et ædificatum est. Quid porro superædificat? Præcepta, mandata, justificationes, judicia, sapientiam, scientiam; et sic perficit ædificationem in omnibus operibus bonis, sermonibus sapientiæ, scientiæ cognitione: quæ si post fundationem posita fuerint, habet quis in semetipso ædificium perfectum, dignum in quo Deus inhabitet et inambulet. »

MEDITATIO VIGESIMA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.
Octonarius vigesimus, Resch *(Versiculus 153-160).*

I. *Vide humilitatem meam, et eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.*

Beatum est *humiliari coram Deo.* Ait enim Jacobus: *Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos* (Jac., IV, 10).

Quando igitur, ait Origenes, hoc modo fuerimus humiliati, etsi dæmonum insidiis impetiti, etsi ab hominibus virtutum osoribus oppugnati fuerimus, habemus Deum qui nos eripiat, dummodo legis ejus non obliviscamur neque in tribulationibus animum despondeamus.

De voce « humilitatis » hæc Ambrosius: « Bona gloria Christo esse subjectum. Ut scias autem quia jactare se non cupiat, sed Domini in se gratiam provocare, alibi Pro-

pheta ait : *Vide humilitatem meam et laborem meum* (Ps. XXIV, 18). Ergo quasi is qui humiliaverit cor suum, quasi is qui plurimum laboraverit, ibi sibi dimitti peccata desiderat, hic erui se precatur. »

II. *Judica judicium meum, et redime me; propter eloquium tuum vivifica me.* (V. 154.)

Judica igitur *judicium :* id est, judica causam meam, et *redime me* per judiciariam sententiam tuam de manu inimicorum meorum. *Propter eloquium tuum vivifica me :* id est, propter promissionem tuam, sive propter legem, quam constituisti de præmiis bonorum et suppliciis malorum, *vivifica me*, vitam gratiæ augendo et vitam gloriæ suo tempore largiendo.

III. *Longe a peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt.* (V. 155.)

Quare tam frequenter Propheta Deo declarat fidelitatem suam in lege Domini servanda ? Nonne quia persuasum habet eos qui legem Dei non custodiunt, longe distare a salute, et hujus rei causam esse quod non exquisierint justificationes Dei sui ? Sine ullo dubio David ante oculos habebat dæmones, qui per antonomasiam *peccatores* dici possunt. Longissime absunt a salute, quia nunquam ad eam pervenient, eo quod legem Domini non exquisierint,

sed eam potius superbiendo contempserint. Etiam ante oculos habebat alios peccatores, qui tam longe a salute absunt, quam longe absunt a lege Domini exquirenda : neque enim frustra dictum est a Domino : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matth., XIX, 17).

Non igitur, ait Didymus, *omnes* peccatores remoti sunt a Dei salute, sed illi qui non exquirunt Dei justificationes, a quibus sibi ipsis medicinas in salutem, occasionem ad pœnitentiam, a vulneribus aversionem et liberationem accipere valeant. — Quare longe a peccatoribus salus ? petit sanctus Athanasius, et respondet : Quia justificationes Dei non exquirunt. — Ergo, ait Theodoretus, non salus fugit nos, sed nos fugimus salutem.

Utinam nullus inveniretur sacerdos cui applicanda sint hæc Prophetæ verba ! Sed, eheu ! tales sine ullo dubio inveniuntur. In primis sunt illi qui, neglecta quotidiana conscientiæ examinatione, nunquam introspiciunt mentem, nunquam ad cor redeunt ; ita ut prorsus nescii sint eorum quæ intra se peraguntur. Similes sunt cisternis quæ exterius limpidam haurientibus præbent aquam, dum in fundo congregant sordes atque miserias multas. Deinde illi sunt qui

minime se ostendunt sollicitos de cognoscendis sui muneris vel status officiis, et propterea omnia peragunt negligenter, fraudulenter et tepide. Ad tales certe pertinet hæc gravissima Spiritus sancti comminatio : *Maledictus qui facit opus Domini negligenter* (Cf. Jerem. XLVIII, 10), et hæc a Christo Domino prolata : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (Apoc., III, 16). Tandem sunt illi qui, viventes in statu peccati, perfunctorie instituunt confessionem, omittunt *menstruam* recollectionem, et *annuam* obeunt coacte et sine desiderio sinceræ conversionis. Ab istis omnibus dicenda est salus longe abesse, siquidem non exquirunt Dei justificationes.

IV. *Misericordiæ tuæ multæ, Domine : secundum judicium tuum vivifica me.* (V. 156.)

David, misertus sortis peccatorum, cogitat de semetipso et non sine confusione recordatur se aliquando de numero fuisse peccatorum. Propterea statim convertit se ad Deum, et in ipsius sinum misericordissimum se projicit confidenter.

Sensus igitur versiculi est : Quamvis severissime punias eos a quibus longe fecisti salutem tuam, tamen *multæ* sunt etiam *misericordiæ tuæ ;* ideo peto ut, secundum judicium tuum, quo misericorditer judicas

eos qui faciunt misericordiam et diligunt legem tuam, *vivifices me.*

« Multitudinem miserationum Dei, exclamat Origenes, quis enumerare aut excogitare valeat? Quoniam quotidie inobedientes ipse quotidie invitat : blasphemantes tamquam filios instruit : eos qui semetipsos negant, ipse minime negat. » Quanta hinc nobis, miseris peccatoribus, fiducia et consolatio! Sit igitur hæc Davidis oratio nobis familiaris, et certissime nobis, sicut Davidi, aperiet thesauros infinitæ misericordiæ Dei.

V. *Multi qui persequuntur me, et tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi.*

Non mirandum Davidem a Deo misericordiam et tutelam tam ardenter et tanta cum instantia petivisse. Videbat enim se circumdatum ab istis peccatoribus, et pessimis ipsorum molitionibus obnoxium. Merito igitur cordis sui sensa Deo aperit, quasi diceret : Non sine causa postulo ut vivifices me, nam multi sunt hostes mei visibiles et multi invisibiles, qui me mortificare contendunt ; et tamen ego, gratia adjutus, a testimoniis tuis, quæ sunt quasi rectissima via, non declinavi, neque ad dexteram neque ad sinistram.

Quam jucunda esset Deo quamque nobis

fructuosa omnis nostra precatio, omnis meditatio, omnis sanctissimi Tabernaculi visitatio, quæ cum Davidis orandi modo haberet quantulamcumque similitudinem! Nonne cum simplicibus Dei sermocinatio? Fac igitur, o Domine Jesu, ut hæc inter orandum non desit nobis simplicitas.

VI. *Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.* (V. 158.)

Quam pulchrum hic nobis exhibet David exemplum caritatis! Nam misertus est peccatorum, videns eos passuros esse salutis jacturam. Tamen non ignorabat istos peccatores esse erga se acerrimos. Non attendebat autem ad suam injuriam, sed ad injuriam Dei. Hoc jam antea dixerat his verbis : *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam ;* et rursum : *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*

Explicans hunc versiculum Theodoretus, merito dicit : « Propter omnem quidem inique agentem decere justum contristari ; multo magis autem propter eos qui, cum Deo vitæ alicujus aut fidei professionem fecerint, verbi gratia virginitatis, aut in conjugio continentiæ, aut castitatis, deinde illam violant, et eloquia Dei non custodiunt. » An mihi, o Deus, sufficiens est

tristitia ob sacerdotem inique agentem ?

VII. *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : in misericordia tua vivifica me.*

Sensus est : Vide quoniam non simplici ratione mandata tua custodivi, sed *dilexi ;* possunt enim servari ex tristitia vel ex necessitate : perfecti autem est *diligere* mandata, et ex amore tota anima ea implere. Ceterum, licet mandata dilexerim, nihilominus tamen misericordiam tuam flagito, ut vivam tibi.

Sane sacerdotis est non solum Dei mandata servare, sed etiam ea toto corde diligere.

VIII. *Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* (Vers. 160.)

Varii vario modo hunc versiculum exponunt ; uno modo, ut sensus sit : Verba tua procedunt *a veritate*, ut a suo principio et quasi fonte, et inde verissima sunt, et in æternum stant judicia justitiæ tuæ, quæ sunt ut pios maneat præmium et impios pœna.

Altero modo, ut sit sensus : Principium verborum tuorum, quando videlicet cœpisti loqui, jubens Adamo ne tangeret lignum scientiæ boni et mali, veritas fuit, id est, verissimum fuit ; et judicia justitiæ tuæ

quibus peccata tunc punire cœpisti, sempiterna sunt.

Hic versiculus est veluti confirmatio præcedentis. Etenim Propheta petierat a Deo vitam, et nititur hic promissionibus Dei quibus promisit animæ fideli vitam æternam.

Ergo nos ita vivamus ut hæc ultima Dei promissio quæ inter omnes ejus promissiones sola adhuc non est impleta, in nobis tam in judicio particulari quam in judicio universali adimpleatur. Ex parte Dei nihil deerit : nihil desit ex parte nostra. Amen.

MEDITATIO VIGESIMA PRIMA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius vigesimus primus, Sin *(Versiculus 161-168).*

I. *Principes persecuti sunt me gratis : et a verbis tuis formidavit cor meum.*

Fatetur hic David non pauca obstitisse suæ in servanda lege divina perseverantiæ et veras sibi movisse difficultates. Inter alia perseverantiæ suæ obstacula indicat *injustas principum persecutiones.* Nonne Saül rex sine ulla causa, id est *gratis*, eum persecutus est ? Nonne idem fecit postea Isboseth, filius Saülis, quando, duce Abner, cum Davide injuste bella gessit ? Nonne idem fecit filius ipsius David Absalon, qui

regnum sibi usurpare et patrem de solic exturbare conatus est ? Et tamen cum interno gaudio testificari potest David se tot ac tantis tentationibus non succubuisse ut inimicis noceret ; sed, *timens mandata Dei*, semel atque iterum Saüli pepercit, mortem Isboseth ultus est, et Absalonem deflevit, reddens bona pro malis.

Hæc considerans, non unus sacerdos erubescere debebit, dum videt, ex una parte quam admirabiliter jam fecerit David quod postea docturus erat Filius Dei, nempe inimicos diligendos esse, et nobis orandum esse pro calumniantibus et persequentibus nos, et se, ex altera parte, discipulum Domini Jesu, doctorem populi christiani, qui toties hunc versiculum recitavit, tanta cum difficultate vel minimam injuriam acceptam condonare, et quæ mala passus est ab inimico, generoso nescire tegere silentio. Maluit David a verbis Domini formidare quam punire inimicorum machinationes atque insidias. Hanc imitare, o sacerdos, Davidis prudentiam.

II. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* (Vers. 162.)

Quid dicis, o sancte propheta ? Modo profitebaris cor tuum a verbis Domini formidasse, et nunc declaras te *super eloquia*

ejus lætari et exsultare. Nonne hæc tua verba inter se pugnant ? Minime profecto. Jucundissime jam tunc experiebatur David quod postea præclare docuit Paulus, scilicet *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum.* Time, o sacerdos, Deum, ut filius patrem, et statim timori succedet lætitia. *Initium sapientiæ timor Domini.*

Aptissima sane utitur David similitudine, dum dicit se lætari super eloquia Dei *sicut qui invenit* spolia multa. David enim vir bellicosus erat et assuetus prœliis. Nos igitur in præceptis dominicis observandis cum diabolo alacriter pugnemus, et ex ea pugna victores egressi, inveniemus illustres coronas a Deo nobis paratas, omnibus hostium spoliis pretiosiores.

III. *Iniquitatem odio habui et abominatus sum : legem autem tuam dilexi.* (V. 163.)

O quam jucundum esse debuit sanctissimo regi posse dicere cum veritate Deo suo : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum ; legem autem tuam dilexi !* Nonne hæc verba manifestum indicium sunt amoris erga legislatorem, cum Dominus Jesus dixerit in Evangelio : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, et : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me ?* (Joan., XIV, 15 et 21.)

Felices et nos si, dum quotidie verba Davidis repetimus, habeamus a Spiritu sancto testimonium cum veritate nos dicere : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum ; legem autem tuam dilexi.*

VI. *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ.* (Vers. 164.)

Quis non videt hisce verbis Davidem egregium elicere caritatis actum ? Profecto signum caritatis est *sine intermissione* Deum laudare, eo quod judicia ejus justissima sint et leges ipsius summam justitiam in se contineant.

Gaude, o sacerdos, quod ad hunc actum caritatis eliciendum quotidie ex vocatione et officio tenearis. Non *frigide* igitur, sed cum sancto ardore hoc tuum præclarum officium adimplere assuesce.

Merito Bellarminus, hunc versiculum explicans, scripsit : « Quamvis per numerum *septenarium* intelligatur hoc loco *frequentissima laus*, quo modo intelligitur *frequens lapsus* cum dicitur *Septies in die cadet justus* (Prov., XXIV, 16) ; tamen non sine causa ex hoc loco Ecclesia usum septem horarum canonicarum instituisse videtur. Nam cum ad imitationem tam sancti regis vellet filios suos frequentissime Deum laudare, determinavit septenarium nume-

rum, cui si addatur octava hora, de qua dictum est supra a David, *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo*, fiet ut tertia quaque hora Trinitas Deus a fidelibus laudetur, ut sanctus Cyprianus notavit in Sermone 6, qui est de Oratione Dominica. »

V. *Pax multa diligentibus legem tuam : et non est illis scandalum.* (V. 165.)

Magna sane laus est legis Domini, quod eam diligentes una ex parte donat delectabili bono, *pace* scilicet, et ex altera parte eos liberat a fonte multarum miseriarum, quod est *scandalum*.

1° « Magnum beneficium est pax, ait sanctus Augustinus. Tantum est pacis bonum ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri. » (*Civit. Dei*, lib XIX, c XI.) — « O pax, Dei ædificium! Te non possunt destruere principum fulmina; insultus dæmonum te in nullo lædere possunt Tu pauperem divitem facis ; tu divitem mendicantem producis; tu contenta in cunctis, tu ditior universis, tu homines Dei filios facis. O pax! sine te reges non regnant, sine te regna non valent, nihilque sine te cetera prodesse possunt. » *(Auctor serm 2, ad fratres in eremo, in Append. S. August.)*

Quisnam sacerdos non totis animis tale concupiscat bonum! Atqui hoc bonum asserit David inesse divinæ legis amori. Ergo legem divinam serva cum affectu, et pacem invenisti, pacem multam, pacem magnam.

« Nemo est, ait sanctus Augustinus, qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnes homines: Vultis pacem? uno ore tibi respondet totum genus humanum : Opto, cupio, volo, amo. Ama *et justitiam*, quia duæ amicæ sunt justitia et pax. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. » (Super psalm. LXXXIV, *Justitia et pax osculatæ sunt.*)

Nihil fortasse pulchrius quam hæc quæ de pace asserit S. Petrus Chrysologus in Serm. 53. « Pax fratrum est voluntas Dei, jucunditas Christi; perfectio est sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum est, supplicationum facilis atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, puræ mentis indicium manifestum. »

2° Diligentibus legem Dei non est *scandalum*. Certum est *scandalum activum* non cadere in diligentem legem Dei, cum

scandalizare peccare sit, et peccare sit legem prævaricari. *Scandalum* autem *passivum* vel est *pusillorum*, qui *ex ignorantia* existimant illicitum esse quod licitum est et offendunt cum vident ea fieri quæ ipsi arbitrantur illicita; vel est *pharisæorum*, qui ex *propria malitia* in pejorem partem interpretantur quæ interpretanda erant in meliorem. At qui diligunt legem Domini, perfecti sunt in caritate; proinde nec pusilli nec pharisæi sunt, et per hoc non est illis scandalum (S. Th. 2ª 2æ, q. 43, art. 5 et 6.)

VI. *Exspectabam salutare tuum, Domine : et mandata tua dilexi.* (V. 166.)

Induit hoc loco Propheta personam perfectorum, et ideo cum fiducia dicit : *Exspectabam salutare tuum*, id est, salutem æternam quæ a te est; et rationem reddit : *Et mandata tua dilexi*, id est *quia* mandata tua dilexi. Quo modo dicit Apostolus (II Tim., IV, 7) : *Cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

O Jesu, quam verum est, quod dixisti omnibus qui diligunt legem tuam : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde ; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve* (Matth., XI, 29 et 30.)

VII. *Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.* (Vers. 167.)

In eadem perfecti persona loquitur Propheta, et testatur se mandata servasse quia ea *vehementer* amavit. Modo dicebat se mandata Dei dilexisse ; nunc autem addit se ea *vehementer* dilexisse. Nonne hæc ardentem animum produnt? Utinam nos, sacerdotes, aliquid istius ignis in cordibus nostris experiremur ! Majora operaremur pro gloria Dei et pro salute fratrum nostrorum. *Vere enim amor*, ut scripsit sanctus Gregorius, *operatur magna, si est ; si autem operari renuit, amor non est.* Et Dominus in Evangelio : *Qui non diligit me, sermones meos non servat* (Joan., XIV, 24). Et Apostolus : *Dilectio malum non operatur ; plenitudo ergo legis est dilectio* (Rom., XIII, 10).

VIII. *Servavi mandata tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Iterum in *persona perfectorum* se omnia mandata et testimonia servasse affirmat ; sed ex alio motivo quod proprium est perfectorum, videlicet quia in omnibus actionibus suis cogitabat Deum esse præsentem. Id enim significat illud, *Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo ;* id est, Quidquid agebam, in conspectu tuo agebam, sciens et cogitans te omnia conspicere. Hæc cogitatio, ait aliquis

pius interpres hujus versiculi, mirabilem vim habet ad moderandas actiones humanas; nam si conspectus principis terreni id efficit ut subditi coram eo peccare non audeant, immo etiam desides et negligentes *vel timidi et parvi animi videri* erubescant, quid faceret conspectus principis cœlestis atque omnipotentis, si ante oculos mentis perpetuo versaretur? Hinc Dominus Abrahamo dicebat : *Ambula coram me, et esto perfectus* (Gen., XVII, 1).

Magistri vitæ spiritualis nihil instantius solent filiis suis commendare quam *Exercitium præsentiæ Dei.* Et merito quidem. Qui enim frequenter Deum præsentem cogitat, solet habere animum collectum, frenat imaginationem, oculos cohibet ne curiosius circumspiciant, moderatur linguam, et omnia assuescit peragere pacate, fideliter et sancte; et, quod caput est, quasi instinctu filiali, crescente in dies fiducia, paulatim ac suaviter adducitur ad agendum cum Deo optimo, cum patre amantissimo, cum rege humanissimo, ut filius singulariter dilectus, ut amicus atque familiaris, ad sanctam et continuam admissus consuetudinem. Talis non raro, licet laborum et ærumnarum pondere gravetur, videtur aliquo modo frui cœlo anticipato.

Utinam omnes sacerdotes ad hanc divinam aspirarent consuetudinem ! Brevi experirentur quam suavis sit quamque desiderabilis Deus noster, pater noster *qui in cœlis est.* Amen.

MEDITATIO VIGESIMA SECUNDA DE PARIETE TEMPLI SPIRITUALIS.

Octonarius vigesimus secundus, Tau *(Versiculus 169-176).*

In hoc Psalmo celeberrimo, quem cum Bellarmino Bossuetius existimat ceteris omnibus antecellere, Propheta, postquam nobis descripsit *sanctorum vivendi institutum*, certamina, tribulationes, offendicula, dæmonum insultus ; millenas repulsas, cogitationes, laqueos, retia ; quin et illa quibus victores evadunt, legem, oracula, patientiam, supernum præsidium ; denique post labores, bravia, coronas, remunerationes : perducit nos ad *conclusionem* totius psalmi, et hæc conclusio est ardens et fervens *oratio ad Deum* pro gratia et salute sæpius et variis modis petita.

Talis autem conclusio plane conformis est doctrinæ quam postea traditurus erat mundo optimus magister noster, Dominus Jesus, Filius Dei unigenitus, pro nobis factus homo, dum apud Lucam, capite XI,

ostendit perseveranti oratione omnia impetrari. — Toto igitur corde cum Davide ascendamus ad thronum Dei, ut et nos quæcumque per viginti et unam continuas meditationes petivimus, plenissime consequamur.

I. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.* (Vers. 169.)

Sensus hujus versiculi est : Deprecatio mea, quæ suis meritis non confidit, *elevetur* et *ascendat* aspirante gratia tua, et appropinquet tibi, ita ut eam propius aspicere et admittere digneris. Et quid petit David a Deo ? Ut sibi donetur intellectus, juxta promissum quod audivit in Psalmo XXXI : *Intellectum tibi dabo et instruam te.* Ergo, o mi Deus, ait, da mihi intelligere mandata tua, eo modo quo intelligunt qui ea opere adimplent, et qui adimplendo ad vitam perveniunt.

Et tu, o sacerdos, qui quotidie, dum recitas Officium divinum, hæc verba sancti Vatis usurpare teneris, ea pronuntiare assuesce proprio nomine, ita ut pro te efflagites a Deo intellectum practicum mandatorum Dei, ut ea servando ad vitam pervenias sempiternam.

Sanctus Ambrosius, Serm. 22 in hunc

psalmum, egregie explicat in quo consistat deprecatio appropinquans conspectui Dei. *Volare*, inquit, *facit orationem bona vita, et dat alas precibus spirituales, quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio.* Et statim subdit : *David orationem suam dirigit in cœlestia, dans illi flabra justitiæ, sapientiæ flamina, et remigia devotionis et fidei, innocentiæ puritatisque subsidia. Peccato enim ingravescit oratio et longe fit a Deo : tanto autem plus gravatur, quanto improbior est vita deprecantis ; innocentium ascendit oratio.*

Itaque si bonis operibus tua oratio nitatur, o sacerdos, oratio tua ad divinum conspectum evolabit.

II. *Intret postulatio mea in conspectu tuo ; secundum eloquium tuum eripe me.*

Repetit aliis verbis eamdem petitionem. Petit autem, non jam intellectum mandatorum tantum, sed *liberationem a peccatis.* Et hæc liberatio a peccatis erat finis prioris petitionis, juxta illud Evangelii : *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (Joan., VIII, 32). Sane hæc verba Christi Domini habent hunc sensum : Si manseritis in doctrina quam ego vos docui, per ipsam ejusdem experientiam et praxim cognoscetis et quasi gustabitis quam illa sit vera, saluta-

ris, sincera et pura; atque eadem ipsa vos liberabit, id est liberos et ingenuos reddet, liberos, inquam, a jugo et servitute peccati. Aliis verbis, liberabit vos mea doctrina a corruptione hujus mortalitatis, mutabilitatis et exsilii, quia deducet vos ad libertatem beatæ immortalitatis et gloriæ filiorum Dei.

Audiamus sanctum Augustinum id admirabiliter explicantem. « Quid, ait, promittit credentibus, fratres? *Et cognoscetis veritatem.* Quid enim? Non illam cognoverant, quando Dominus loquebatur? Si non cognoverant, quomodo crediderunt? Non quia cognoverunt, crediderunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre. » *(Tract.* XL, *in Jo.)*

Disce hic, o sacerdos, quadruplicem esse *servitutem* ex qua nos eripuit, et quadruplicem pariter *libertatem* in quam nos adduxit Christus. Prima servitus fuit sub onere Legis veteris, quam Christus abstulit per *libertatem Evangelii.* Secunda servitus

fuit sub jugo peccati ; hanc abstulit Christus per *libertatem justitiæ*. Tertia servitus fuit sub dominio concupiscentiæ, quam Christus abstulit per *libertatem spiritus ac dominium caritatis et gratiæ*. Quarta servitus fuit sub morte et mortalitate, omnibusque hujus vitæ ærumnis, quam auferet Christus per *libertatem resurrectionis et gloriæ*.

Ergo cum firmissima spe finem hujus versiculi enuntiemus : *Secundum eloquium tuum eripe me.*

III. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.* (Vers. 171.)

Hæc verba profecto exprimunt promissionem, promissionem scilicet *amoris* et *animi grati*.

Sensus est : O Domine, si audiveris precationem meam, si dederis mihi mandatorum tuorum intelligentiam et si per hoc me eripueris a servitute peccati atque me donaveris libertate filiorum tuorum, tunc utique ex plenitudine lætitiæ interioris et agnitione magni hujus beneficii, *eructabunt labia mea hymnum* laudis et gratiarum actionis ; ex abundantia enim cordis os loquitur (Matth., XII, 34).

David justificationibus divinis edoceri cupiebat, ut non alios quam *divinos sermo-*

nes eructaret, quasi non posset non de Deo loqui qui de Deo doceretur. Apte ad hunc locum Psalmi sanctus Ambrosius dicit : *Qui didicerit justitias Dei*, loquitur verbum Dei, *otiosum* verbum non loquitur. Et statim explicat sanctus Doctor « otiosum esse verbum quod de rebus profanis instituitur, immo periculosum ; » non enim, ait, mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia *Dei* et opera *Dei* quæ fecit in Genesi, in Exodo, in Levitico et in ceteris Scripturæ locis, si, illis prætermissis, loquaris quæ seculi sunt.

O mi fratres, nonne nos sacerdotes pudere deberet tot horas trivisse sermonibus vanis, inanibus, spiritum mundanum redolentibus, levitate et scurrilitate conspersis? Nonne forsan visi sumus a nostra conversatione colloquia pia ex industria amovere? Et hoc damnosum est.

IV. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.*

Ergo, o sanctissime rex, non solum promittis te Deum tuum laudaturum, sed etiam docturum te homines ac demonstraturum illis quanta sit mandatorum Dei æquitas. *Pronuntiabit*, inquis, *lingua mea eloquium tuum*, id est, loquar hominibus præcepta tua, et docebo eos omnia mandata tua esse

æquissima, ac proinde æquum esse ut ab omnibus diligentissime observentur.

O sacerdos! si hæc esset tua mandatorum Dei æstimatio, si hic esset tuus præceptorum Dei amor, si hæc animi tui gratitudo pro cognitione legis divinæ, libentius, frequentius et majori cum ardore populo tuo in dominica concione et parvulis tuis in doctrinæ christianæ explanatione loquereris de Dei mandatis atque de præceptis ejus sponsæ Ecclesiæ, et sine dubio major esset tibi ex labore fructus, et ex fructu major animi exsultatio.

O David, quam vere dixisti: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (Ps. CXXV, 6).

V. *Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.* (Vers. 173.)

Pergit in sua oratione David, petens, ait Bellarminus, quod unice petendum est, *æternam salutem*, quæ est finis mandatorum. Per *manum* Dei profecto intelligit Propheta Dei *potentiam*, Dei *sapientiam*. Obsecrat igitur Dominum ut sua dignetur uti potentia suaque sapientia ad salvandum servum suum. Et quoniam potentiam et sapientiam Dei Christum esse docet Apostolus (I Cor., I, 24), recte exponunt Pa-

tres : *Sit Christus tuus ad me salvandum.*

O sacerdos, quam potens es ad procurandam tibi salutem æternam, cum quotidie in altari manibus tractes atque in pectore tuo possideas *virtutem et sapientiam Dei*, nempe ipsum Filium Dei, in quo declarat Paulus absconditos esse omnes thesauros sapientiæ et scientiæ (Coloss., II, 3). Ut autem moveas Deum ad te salvandum per Christum suum, utere ratione qua usus est David, scilicet : *Quoniam mandata tua elegi.* Sis igitur totus in magni facienda, amanda, adimplenda Dei lege, et certo certius salvaberis.

VI. *Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.* (Vers. 174.)

Quæ in hoc versiculo expressa sunt, admirabilem habent cum præcedentibus connexionem. Etenim possumus quærere a Propheta cur tantopere petat salutem; et huic quæstioni respondere voluit, dicens se petivisse instanter salutem, quia illam præ omnibus desideratis concupivit, sicut revera super omnia bona concupiscenda est, cum sola desiderium nostrum possit implere. Et quoniam non satis est concupiscere salutem, si quis ad eam pervenire velit, sed necesse est ambulare per viam præceptorum Dei, ideo subjungit : *Et lex tua medi-*

tatio mea est, id est, de lege custodienda semper cogito, et in illa custodienda me semper exerceo.

Quam clare paucissimis verbis ante oculos nostros ponis, o David, veritatem quam sancti Patres fundamentalem vocare assueverunt, videlicet nos creatos esse ad hoc solum ut in terris fideliter serviamus Creatori nostro et pro mercede nostri famulatus ab ipso felicitatem percipiamus æternam.

O utinam omnis nostra cogitatio, omnis labor, omnis conatus ad hoc unice dirigatur ut Deo nostro placeamus per omnia, ejusque adimpleamus voluntatem semper, et ita ad optatissimam sortem perveniamus qua constituit beare fideles servos suos! O Jesu, fac ut aliquando mihi dicere valeas: Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.

VII. *Vivet anima mea et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me.* (Vers. 175.)

Minime dubitat David de ferventis suæ petitionis efficacia; et quasi jam nactus sit suæ fidelitatis remunerationem, exsultans affirmat se victurum vita, non jam labili et ærumnosa hujus seculi, sed vita quæ nesciat occasum, vita per totam æternitatem duratura. Declarat præterea suam esse fir-

missimam voluntatem totam hanc vitam in laudem Dei sui impendere.

Judicia tua adjuvabunt me. Quomodo, o sancte Vates, illa Dei judicia adjuvare te poterunt, cum soleant potius impios torquere et omnibus terrorem incutere? Respondet sanctus Ambrosius memoriam futuri Judicii pios adjuvare ac gaudio perfundere, propter spem salutis; impios vero terrere, quia non *resurgent* in judicio (Ps. 1, 6), id est, non lætabuntur, non *attollent caput*, sed multo mærore deprimentur: nempe Christus judex gaudium affert piis, mærorem et terrorem impiis.

Quotiescumque, o sacerdos, hunc versiculum recitabis, illum recita, non frigide, non nescio qua indifferentia, sed ardenti animo et cum firmissima spe te etiam vita æterna fruiturum.

VIII. *Erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* (Vers. 176.)

Mens est Bossuetii, quem libenter sequimur, Davidem, exsulem et vagum, atque omnimode a Saüle vexatum, hunc Psalmum composuisse tum ut per *meditationem legis divinæ* ab ærumnis quibus premebatur, respiraret, tum simul ut se ad constantiam et patientiam roboraret. Consideravit enim

legem Dei quasi *viam* quam homo percurrere debeat, quæque ipsa sancta est, licet identidem, uti nunc pro Davide eveniebat, undique obsita sit insidiis hostium. Initio dixerat : Beati immaculati in via : et sic ubique in hac metaphora insistens, redit hic ad eamdem a qua cœperat, imaginem, adductus ad hoc, ut videtur verbo « Adjuvabunt me » versiculi præcedentis. Petit a Deo ut ipsum *quærat*, quia nunc, licet ante peccaverit, est tamen *servus* ejus, et, si aliquando a recta via aberravit peccando, potius ex fragilitate quam ex malitia fecit : siquidem non expulit ex memoria legem, non renuit recordari legis Dei, sed contra memor ejus semper fuit : *Mandata tua*, ait, *non sum* voluntarie *oblitus*.

Sensus ergo ultimi versiculi est : Huc et illuc profugus aberravi et aberro, veluti perdita ovicula ; tu igitur, qui meus es pastor, me servulum tuum require et reduc in caulam, qui tuorum semper præceptorum memor fui.

Quis audiens Davidem dicentem : *Erravi sicut ovis quæ periit ; quære servum tuum*, non cogitet de jucundissima parabola qua Dominus Jesus usus est, dum se exhibebat populo ut Pastorem bonum, qui ovem errantem quæsivit, inventamque in

humeros attollens ad ovile reduxit exsultabundus? Quam opportune ergo terminatur hac pulcherrima imagine vigesima secunda et ultima meditatio nostra de Pariete templi spiritualis sacerdotis!

Conclusio practica.

Magnus Bossuetius tanti faciebat Psalmum quem per plures meditationes perpendimus, ut solitus esset singulis diebus aliquot versiculos hujus Psalmi penitius considerare, eosque deinde vertebat in idioma gallicum. Id autem declaravit fecisse se cum magna animi voluptate et cum ingenti fructu. Immo, postquam diu restitisset desiderio multorum sacerdotum qui flagitabant ut mutaretur liturgia sacra diœceseos Meldensis, tandem annuit votis eorum, sed ea lege ut pro parvis Horis retineretur Psalmus CXVIII, quem confitebatur se habere ut omnium psalmorum præstantissimum.

Equidem auctor sum ut quisquis contendit morem acquirere recitandi divinum Officium attente, devote, fructuose et cum sancta voluptate, assuescat singulis hebdomadis, secunda scilicet feria, assumere pro materia meditationis unum ex Octo-

nariis quibus diximus hunc psalmum constare, et per reliquos dies hebdomadæ speciali modo attendere ad istos versiculos, eos recitando paulo lentius et adhibendo sanctum conatum ut majori cum affectu recitentur. Incredibile est quot quantaque evenirent sacerdoti id facienti emolumenta pietatis.

Faxit Deus ut hoc secundum caput nostri operis a dilectis Fratribus nostris sacerdotibus ea accipiatur jucunditate qua nos illud, Deo favente, conscripsimus!

ARTICULUS II. — Anterides parietis templi spiritualis (gallice : *Contreforts*).

Diu fuimus in construendo *pariete* templi nostri spiritualis. Volebamus enim huic *sanctuario* quod est *cor sacerdotis*, talem parietem circumdare ut in eo omnia tranquille placideque peragi possent.

Deo favente, erectus jam est hic paries, grandis utique, solida et mira splendens venustate. Est enim hic paries ipsa *Lex* Dei, penitus a nobis cognita, ardenter amata, fidelissime custodita. Faxit Deus ut *ad fulciendum* talem ac tantum parietem, et ad dandum templo nostro *exterius* omnem decorem atque pulchritudinem, congruas aptasque construamus *anterides* (gallice *contreforts*).

In ordine morali « anterides » vocantur quædam *subsidia* miræ efficaciæ ad ducendam vitam vere sacerdotalem.

Sunt autem : *Statuta diœcesana*,
Votum castitatis
atque *Consociatio sacerdotum*
ad perfectionem sui status aspirantium. De his igitur triplex instituetur meditatio.

ANTERIS PRIMA : STATUTA DIŒCESANA.

Prælatis suis præstare debent sacerdotes

obedientiam quæ *canonica* dicitur, et tamquam *materiam* habet *quidquid necessarium est ut iidem prælati jurisdictionem suam in subditos, pro legibus in Ecclesia vigentibus, exercere valeant.*

Hanc obedientiam episcopi in ipsa consecratione sua jurejurando Romano Pontifici promittunt; eamdem seculares clerici episcopo diœcesano, regulares prælato regulari spondent, dum presbyteri ordinantur.

Hujus neopresbyterorum promissionis *effectus* est, ut *virtute fidelitatis* se ligent ad exsequenda ea ad quæ jam vi status sui erga episcopum vel prælatum tenebantur.

Episcopo, etiam dum extra synodum decreta fert, obediendum esse, nemo nisi schismaticus sit, infitias ibit. Apud omnes quippe in confesso est *uni* episcopo pro sua diœcesi ferendarum legum potestatem competere. Unde *longe diversa* est, scribebat Benedictus XIV, *concilii provincialis*, in quo plures sedent episcopi, et synodi diœcesanæ *ratio;* etenim in synodo diœcesana *solus* episcopus est judex et legislator; ipse *suo* nomine decreta facit et promulgat: et quamvis adstantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi (Bened. XIV, *De Synodo*, lib. III, cap. XII, n. 7).

Ergo *vi sui status et virtute promissæ obedientiæ* obedire debet sacerdos suo episcopo in omnibus quæ sive *per se* jubet, sive *per statuta diœcesana*. — Unde his statutis debetur tum summa *æstimatio*, tum fidelissima *observatio*.

Meditatio de statutis diœcesanis.

I^um^ PUNCTUM. — Æstimatio.

Merito quis dixerit statuta diœcesana totidem fructus esse synodorum. Atqui synodi istæ summopere se commendant sua *antiquitate*, — *gravitate* sua et *maturitate*, — suaque multiplici *utilitate*.

I. *Antiquitas*. — Consuetudo semper fuit, jam inde ab apostolorum temporibus in Ecclesia Dei, Synodos et Concilia cogere, ut ex omnium seculorum historiis et conciliorum decretis manifestissime constat. Et re quidem vera pristinis Ecclesiæ temporibus frequentissimi fuere episcoporum cum suo clero, quasi cum senatu, quem *presbyterium* vocare solebant, conventus. Ast, labentibus seculis synodorum celebratio bis tantum in anno præscribi cœpit ; et iterum decrescente disciplinæ vigore, ad annuam tandem celebrationem legem coangustavit Concilium Tridentinum.

2. *Gravitas.* — Quisquis attentis oculis varios statutorum diœcesanorum codices legerit, mirabitur quanta cum maturitate processerint illi qui hæc decreta condiderunt. Præeunte sancto Carolo Borromæo, qui, capitis Tridentini « de Synodo » observantissimus, egregia posteris in ea re exempla reliquit, ante synodum, in ipsa urbe episcopali convocari solent ab episcopo congregationes Canonicorum, Decanorum aliorumque theologorum et juris canonici peritorum, in quibus ea quæ ab episcopo decernenda videntur, maturo examine expenduntur et in decreta rediguntur, ut postea in synodo expedite prælegantur et publicentur.

Exemplo sit hæc pagina quam describo ex codice Gandavensi anni 1847 : « *Memores moniti Sapientis :* Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui, *noluimus nova Statuta edere, sed conati sumus vetera a meritissimo prædecessore nostro... edita tempori nostro et præsentibus rerum circumstantiis accommodare, rejectis illis quæ observari non possent additisque aliis opportunis. Opus hoc, jam inceptum a primo anno ministerii nostri pastoralis, et in octo congregationibus venerabilium dominorum archipresbyterorum mature examina-*

tum, tandem opitulante Dei gratia in ultima congregatione absolvimus. Dein denuo omnia in pondere sanctuarii libravimus et novo examini archipresbyterorum subjecimus, ne quid nimis grave aut servatu difficile præciperemus. »

3. *Utilitas.* — Magno Ecclesiæ proventu ac animarum bono Synodales cœtus institui, tum Patres tum Concilia satis inculcant, utpote quibus compendiose rituum morumque abusus corriguntur, cujusque muneris ratio præscribitur, disciplina ecclesiastica aut collapsa restituitur aut inviolata custoditur, ut non immerito eorum opportuna frequentia ab omnibus episcopis summopere commendetur.

Quis ignorat præcipuum scopum Synodorum et eorum quæ condunt statutorum, hunc esse ut magis magisque ad perfectam animorum consensionem in tota sentiendi agendique ratione perveniatur ? Etenim eo majore fructu in quaque diœcesi regnum Dei firmabitur et florebit, quo magis fuerint istius regni ministri inter se concordes, et horum rursus eo perfectior erit conjunctio et unanimitas, quo majore sui abnegatione tum ei paruerint qui positus est a Spiritu sancto rector et caput istius Ecclesiæ, tum legibus obtemperaverint quas rector ille

pro meliore suæ Ecclesiæ regimine scripsit.

O quantus thesaurus esse debet oculis sacerdotum Statutorum diœcesanorum codex! Quam turpe esset, si quis sacerdos illa ignoraret, si illorum nullam præ se ferret sollicitudinem, si eorumdem codicem nunquam aperiret, si ipse codex in ejus bibliotheca non inveniretur, dum hæc frivolis libellis abundat!

Audiamus hæc pulcherrima alicujus episcopi verba: *Accipite igitur, Consacerdotes et quotquot estis Fratres carissimi Ecclesiæ ministerio mancipati, accipite codicem, qui factus est tamquam unicus diœcesanus fons, ex quo haurire oportebit, unde efficiamini digni mysteriorum Dei dispensatores, ope rarii inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis. De vobis enim agitur in isto codice; vobis conscriptus est; tractat de vestra dignitate, de vestris officiis et muneribus, de vestra institutione et disciplina, a qua pendere et vestram et nostram et millenarum animarum salutem, nemo est qui ignoret. — Statutis igitur studete, statuta diurna nocturnaque manu volvite; sinite, Carissimi, ut vobis et Nobis non laudabile tantum suggeramus propositum, sed illud quodammodo legis ad instar præscribamus, videlicet* semel in anno *statuta perlegendi.*

Quot inde fructus colligetis ! Quot pericula mendaque vitabitis ! Hæc enim plerumque ex eo ortum ducunt quod, neglecto legis studio, scientia in ore sacerdotis non ut par est custodiatur. Vobis igitur, majori ratione quam Paulus dilecto filio suo Timotheo, iterum atque iterum dicamus : Attendite lectioni, *statutorum lectioni, ut gratiam Dei quæ in vobis est continuo resuscitetis, ne aliquando primam caritatem relinquentes, etiam immemores efficiamini unde excideritis, et candelabrum vestrum de loco suo movere incipiat Dominus.*

II^um^ PUNCTUM. — Observatio.

Quid proderit præclaras constitutiones editas fuisse, nisi unusquisque sacerdos omni mente in eam curam incumbat ut earum firma constansque sit auctoritas eisque mos ab omnibus geratur ? Neglectæ eheu ! ad nihil aliud conferrent nisi ad Dei vindictam in nos magis magisque concitandam.

Vide ergo, o sacerdos, qua fidelitate hucusque observaveris ea saltem statuta quæ ad statum clericalem pertinent.

In omnibus fere synodalibus codicibus sequentia passim leguntur.

1. *Quicumque in sortem Domini vocati,*

pro Christo legatione funguntur, in mente debent alte recondere illud Apostoli: Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate; in fide; in castitate (I Tim., IV, 12). In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate (Tit., II, 7). — Quomodo hoc, sacerdos, servasti?

2. *Meminerit unusquisque Clericus* vocationis suæ, et sciat se non ad ignaviam, desidiam aut iners otium, sed ad salutares ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. Atque ideo etiam postquam divinis officiis obeundis et frequentandis ecclesiis tempus impensum fuerit, quod reliquum est non in vanis et inutilibus *colloquiis profanisque actionibus, sed in divinarum litterarum studiis et cœlestium rerum meditationibus et sanctis piisque officiis traducat.* — Quomodo hoc, sacerdos, servasti?

3. *Duo sunt sacerdoti necessaria, vita sancta scilicet et doctrina; alterum propter seipsum, alterum propter proximum. Nec officia ecclesiastica rite obire potest, nisi vitæ sanctitatem et doctrinæ soliditatem conjungat.* Pie *itaque et* frequenter *confiteatur; conscientiam sæpe scrutetur; singulis diebus Officium canonicum digne, attente ac devote persolvat; meditetur in lege Domini quotidie,*

nec ullo anno, si fieri possit, omittat secessum spiritualem. An fideliter, o sacerdos, hæc observasti ?

4. *Ut, patremfamilias imitatus, proferre valeat nova et vetera, studiis* vere *ecclesiasticis sit deditus ; sacras Litteras, præcipua Patrum opuscula,* probatos *theologos, asceticos* tutos, *Sanctorum Vitas et ecclesiasticæ historiæ libros legat assidue.* — An hoc, o sacerdos, præstitisti ?

5. *Ut in hac hominum malignitate omnis clerum sugillandi occasio adimatur et scandalis tempestive occurratur, non tantum incontinentiam, sed omnem quoque ejus speciem unusquisque caveat.* Omnem itaque mulierum conversationem, in quantum fieri potest, *vitet. Sint piæ licet, sint pudicæ mulieres quas frequentat clericus, illa ipsa earum virtus non raro subtilius allicit animum : quo securius agere quis se putat, eo latentius sæpe insidiatur inimicus, et quod spiritu cœptum est, non raro carne consummatur.*

Nonne merito dictum est : *On se brûle aussi bien à un cierge bénit qu'à une bougie profane ?* — Quænam fuit, o sacerdos, tua ratio agendi cum sexu femineo ?

6. *Avaritiam æque ac prodigalitatem, utpote spiritui ecclesiastico adversas, caute*

devitent: contra, summa sit in omnibus clericorum rebus modestia, in domo, in supellectili, in mensa, in vestibus, ut sine animi anxietate meditari valeant illa sancti Bernardi verba: Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. — An hæc sancta mediocritas sub tecto tuo, o sacerdos, commoratur ?

7. *Tandem, cum in unione animorum salus nostra et fortitudo, post Deum, consistat, concordia et mutua caritas illibata custodiatur. Hinc caveant omnes a dissensione, detractione et susurratione; sed, memores se ejusdem matris Ecclesiæ filios esse ac ministros, studeant mutuos defectus alto silentio obtegere,* caritate fraternitatis invicem diligere, et alterius onera portare (Rom., XII, 10 ; Gal., VI, 2). — An sub hoc respectu te irreprehensibilem invenis, o sacerdos ?

ANTERIS SECUNDA : CASTITAS SACERDOTALIS.

Quis dubitet quin *sacerdotis castimonia* mirificam habeat efficaciam ad ornandum et ad fulciendum templum nostrum spirituale? Hinc factum est ut Patres primævæ ætatis summis laudibus eam extulerint atque

omnibus sacerdotibus vehementer commendaverint.

Exstat hujus rei documentum admirabile, scilicet binæ Epistolæ quæ feruntur sancti Clementis I *ad Virgines*. — Utilem me putavi navaturum vobis operam, o mei fratres dilectissimi, oculis vestris exponendo hunc inæstimabilem thesaurum, cum raræ sint bibliothecæ quæ has Epistolas possideant et rarissimi sacerdotes qui eas legerint.

Proponitur hic igitur *attenta*

CONSIDERATIO

eorum quæsanctissimus vir Dei, Clemens I, Romanus dictus, discipulus sancti Pauli, mirabiliter scripsisse traditur de *Castitate sacerdotali*. Per « virgines » enim sanctus scriptor præsertim intelligit sacerdotes.

Quod ad me attinet, dum ejus doctrinam et monita profero, non possum quin statim exclamem cum Eminentissimo Cardinali Villecourt, harum epistolarum editore : « Et nunc, divine Clemens, exsurge et quasi de tenebris erumpe. Sonet iterum vox tua dulcis, quæ prima virginitatis lilia immaculato et intacto splendore olim adornare gestiebat. Te perflante hortum Ecclesiæ, fluant aromata illius; novi semper appareant flores in terra nostra. Hos flores protege ; nun-

quam deficiant, nunquam marcescant. Sacer pontifex, virgo sacerdos, cœlestis rore doctrinæ pasce clericos; pasce presbyteros; pasce præsules; pasce candidas sponsas Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.»

I. Dignitas et excellentia castitatis sacerdotalis.

Probat sanctus Clemens hanc dignitatem et excellentiam ex necessitate quæ incumbit omni castitatem profitenti exercendi se in omni virtute castitati consentanea.

« Virgo igitur tu esse cupis, *ait* ; at nostine quanti laboris et molestiæ res sit virginitas vera, illa, inquam, quæ perseveranter adstat coram Deo omni tempore nec ab eo recedit, et sollicita est quomodo possit Domino suo placere casto corpore et spiritu?... Si igitur omnia hæc desideras, vince corpus, vince carnis libidines, vince mundum in Spiritu Dei. Vince vanas istas præsentis seculi res, quæ transeunt et atteruntur, et corrumpuntur, et finem habent. Vince draconem, vince leonem, vince serpentem, vince Satanam, per Jesum Christum, qui te roborat auditione verborum suorum et divina Eucharistia. Tolle crucem tuam et sequere eum qui te mundavit, Jesum Christum, Dominum tuum. Contende ut curras

recte et fiducialiter, non trepide sed animose, spe Domini tui fretus, fore ut per Jesum Christum adipiscaris supernæ vocationis tuæ coronam victorialem. Quicumque enim ambulat perfectus in fide nec timet, is revera accipit coronam virginitatis, quæ ut res est magni laboris, ita et magnam quoque habet mercedem. Num intelligis et nosti quam sit res honorabilis castimonia ? Num intelligis quam magna, quam excellens sit gloria virginitatis ? »

Vide ergo, o sacerdos, quam necesse habeas teipsum vincere, te in omnibus abnegare, et sine cessatione cruces ferre quibus te experiris esse circumdatum. Quam merito sanctus Ignatius de Loyola urgebat atque stimulabat religiosos suos, dicendo unicuique frequenter : Vince teipsum !

Jam vero, ut animos det sanctus scriptor Clemens sacerdoti ad castitatem aspiranti, egregia profert exempla.

« Uterus sanctæ Virginis *(sic pergit in Epistola)* gestavit Dominum nostrum Jesum Christum, Dei filium ; et corpus quod Dominus noster gessit et quo certamen suum fecit in hoc mundo, ex sancta Virgine induerat. Hinc ergo intellige præstantiam et claritatem virginitatis. Visne tu esse christianus? Christum ergo imitare in omnibus.

Joannes legatus, ille qui ante Dominum nostrum venit, is quo major quispiam non fuit inter natos ex mulieribus, virgo is fuit. Imitare ergo Domini nostri legatum, et esto amicus ejus in omnibus. Joannes quoque, is qui super pectus Domini nostri recubuit, quem Dominus valde diligebat, is quoque virgo fuit : neque enim sine causa Dominus noster illum diligebat. Paulus quoque et Barnabas et Timotheus, cum reliquis aliis quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, hi, inquam, omnes castimoniam dilexerunt atque amarunt, et in isto certamine cucurrerunt, cursumque suum immaculate confecerunt, ut Christi imitatores et tamquam filii Dei vivi.. His igitur si cupis similis fieri, fortiter illos imitare. Dixit enim Scriptura : *Seniores vestros honorate, cumque eorum vitæ rationem moresque videritis, fidem illorum imitemini.* Et iterum ait: *Imitemini me, fratres, sicut ego Christum.*

« Quod messis multa sit, operarii autem pauci, etiam hoc notum est atque manifestum. Itaque precemur dominum messis ut emittat operarios in messem suam, operarios inconfusibiles, operarios fideles, operarios qui sint lux mundi, operarios qui operentur non hunc cibum qui periturus est, verum cibum illum qui permaneat in vitam

æternam ; operarios quales erant apostoli ; operarios qui imitentur Patrem et Filium et Spiritum sanctum, de hominum salute sollicitos; non operarios qui mercenarii sint; non operarios qui religionem et pietatem pro mercibus habeant ; non operarios qui benignis et blandiloquis sermonibus decipiant corda simplicium ; non operarios qui se simulent lucis filios, cum non sint lux sed tenebræ, quorum finis interitus est; non operarios qui operentur iniquitatem et malitiam et fraudem ; non operarios dolosos ; non operarios ebriosos et infideles ; non operarios qui Christum in negotio et quæstu habeant, neque deceptores, neque pecuniæ amatores, neque litigiosos.

« Inspiciamus igitur atque imitemur eos qui bene conversati sunt in Domino. Sicut vocationi ac professioni nostræ convenit et consentaneum est, ita Deo inserviamus, illique placeamus sanctitate atque justitia et vita immaculata, operam dantes bene recteque factis coram Deo atque etiam coram hominibus. Etenim pulchrum hoc est, ut Deus glorificetur inter nos quavis in re. Amen. »

II. Caute custodienda castitas sacerdotalis.

In iis quæ sequuntur descendit sanctus

Clemens ad quædam particularia quæ nonnemini pro nostris temporibus scripta videbuntur. Profecto placebit bono sacerdoti videre qua cura, qua diligentia, qua prudentia sacerdotes primævæ Ecclesiæ fugerent eadem ad quorum fugam non cessant nos exhortari nostri Superiores. — Utinam omnes sacerdotes, ii præsertim qui in ministerio vix habent aliquid experientiæ, ea uterentur qua utebantur antiqui cautela in conversatione cum femineo sexu !

« Volo autem cognoscatis, fratres, quænam sit in illis locis ubi nos versamur, nostra omniumque fratrum nostrorum vivendi ratio in Christo ; et si ea vobis placuerit, vos quoque eo modo vitam vestram in Domino instituite.

« Nos igitur, Deo nos adjuvante, nosmet ita gerimus: cum virginibus non habitamus, nihilque nobis in communi est cum ipsis. Cum virginibus neque edimus, neque bibimus; et ubi dormit virgo, ibi non dormimus nos. Neque lavant pedes nostros mulieres, neque ungunt nos ; et omnino non dormimus ibi ubi somnum capit puella innupta aut Deo sacrata. Et ne pernoctamus quidem ibidem, si hæc sit sola, quamquam in alio aliquo loco.

« Si acciderit ut tempus nos opprimat,

sive in agro, sive in pago, sive in oppido, sive in vico, aut ubicumque tandem fuerimus, atque in eo loco inveniantur fratres, tum introimus ad fratrem aliquem et convocamus illuc fratres omnes, et miscemus cum illis sermones confirmatorios et exhortativos; et qui diserti sunt inter nos loquuntur illis sobria, et severa,et pudica, in timore Dei, et ut secundum beneplacitum Dei agant quavis in re, utque proficiant et progrediantur in bonis operibus, et ut nulla in re solliciti sint, sicut convenit et æquum est populo Dei.

« Quod si videmus requiri ut stemus et oremus propter mulieres, et verba exhortationis et ædificationis loquamur, fratres convocamus omnesque sorores sanctas et virgines, atque omnes mulieres quæ ibi sunt, ut cum omni modestia et decoro conveniant ad delicias veritatis. Tum ex nobis diserti qui sumus, sermonem facimus et exhortamur illos verbis quæ Deus nobis indiderit. Post hæc preces fundimus, et nobis damus osculum salutationis, viri viris. Mulieres autem et virgines manus suas vestimentis suis involvere debent ; atque ibi etiam nos modeste et in omni verecundia, oculis in altum sublatis, verecunde et cum omni decentia dexteram manum vestimentis nostris

involvimus : et tunc accedere possunt, et dare nobis osculum salutationis in dexteram nostram vestimentis nostris involutam. Post quæ imus illuc quo Deus nobis ire concesserit.

« Quod si incidimus in aliquem locum ubi nullus sit frater cælibe vita Deo sacratus, sed omnes sint matrimonio conjuncti, eo casu omnes qui ibi sunt fratrem ad eos venientem suscipere debent, et ministrare illi, curamque de illo habere in omnibus, studiose, cum propensa voluntate. Igitur frater ille ministrandus est ab illis sicut convenit. Debet autem ille frater matrimonio junctis qui sunt in eo loco, dicere : Nos, Deo sacri, cum mulieribus neque manducamus neque bibimus ; neque inserviunt nobis mulieres aut virgines ; nec lavant nobis pedes mulieres neque ungunt nos, nec sternunt nobis lectum mulieres, nec somnum capimus ibi ubi dormiunt mulieres, ut irreprehensibiles simus in omnibus, ut nemo offendatur aut scandalizetur in nobis. Et quando omnia hæc agimus, nemini sumus offendiculo. Sicut homines ergo qui cognoscimus timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus.

« Si vero accidat ut incurramus aliquo ubi nullus adsit vir, sed omnes sint mulieres

et puellæ christianæ, illæque compellant nos ut ibidem pernoctemus, nos convocamus illas omnes in idoneum aliquem locum et quærimus ab illis quid agant, et secundum ea quæ ab illis discimus et prout eas animo affectas videmus, secundum hæc cum illis sermocinamur, idque decenter, sicut homines qui Deum timent. Et quando congregatæ fuerunt omnes adveneruntque, et vidimus in pace illas esse, exhortativa ad illas verba facimus in timore Dei, et Scripturam illis legimus cum verecundia et cum verbis severis gravibusque pietatis. Ad ædificationem et confirmationem ipsarum omnia facimus. Et quod attinet ad eas quæ matrimonio junctæ sunt, ita loquimur ad illas in Domino sicut ipsis consentaneum est. Ubi vero inclinaverit se dies et advesperaverit, ad pernoctandum seligimus matronam quæ et senili ætate et morum gravitate omnes antecellit. Cui dicimus ut præbeat nobis privatum aliquem locum quo neque mulier aliqua neque adolescentula ingrediatur. Atque ipsa hæc mulier vetula afferre nobis debet lucernam ; et omnia quæ nobis necessaria sunt, ipsa afferre nobis debet... Atque ipsa hæc, ubi tempus advenerit somni, discedere debet et domum suam ire in pace.

« Quod si incurramus aliquo ubi inveniamus mulierem christianam unam solam, nec quisquam alius christianus ibi adsit nisi sola hæc, non subsistimus in eo loco, neque precationes ibi peragimus, neque Scripturas ibi legimus ; sed aufugimus inde veluti a conspectu serpentis, aut sicut a conspectu peccati. Non quod christianam hanc mulierem spernamus — absit a nobis ut tali animo affecti simus erga fratres nostros in Christo ; — sed quia sola est, ideo timemus ne forte quis verbis mendacibus contumelias nobis imponat. Corda enim hominum in malis posita sunt et obfirmata. »

III. Sors male custodientium castitatem.

Ita exponitur in 2ª Epistola ad Virgines sub nomine sancti Clementis : « Pulchrum quoque est atque utile ut sciamus quam multi viri et quinam perierint per mulieres ; item quam multæ feminæ et quænam perierint per viros, ex assiduitate qua assidui erant apud invicem.

« Ad Josephum quod attinet, fidelem, prudentem, sapientem, justum, usquequaque timoratum, nonne casti sanctique illius juvenis pulchritudinem mulier libidinose concupivit ? Cumque ille libidinosam ejus voluntatem perficere recusaret, hæc falso testimo-

nio virum justum illum in summam afflictionem et miseriam projecit, immo et in vitæ discrimen. Deus autem eripuit eum ex omnibus malis quæ per infelicem illam mulierem illi supervenerant. Videtis, fratres, quantas ærumnas justo huic viro attulerit continuus aspectus corporis Ægyptiacæ. Itaque ne assidui simus cum mulieribus aut cum adolescentulis. Hoc enim nequaquam prodest illis qui *lumbos suos* volunt *succingere* veraciter (Cf. Luc., XII, 35). Sorores diligamus oportet in omni castitate et pudicitia, et cum omni mentis continentia, in timore Dei, non assidue cum illis commorantes, nec quovis momento ad illas ingredientes.

« Nonne audivisti de Samsone Nazaræo, *quocum erat Spiritus Dei* (Cf. Judic., XIII, 25), de viro illo robusto? Atqui virum illum, qui Nazaræus erat et Deo sacratus, fortis atque robustus, hunc mulier perdidit infelici suo corpore et prava libidine. Tune forte talis es qualis erat ille? Nosce te ipsum et nosce modum tuum. *Mulier maritata animas pretiosas prædatur* (Cf. Prov., VI, 26). Quapropter nemini prorsus permittimus ut commoretur apud maritatam, multo minus ut quis cum sacrata Deo virgine habitet, aut dormiat ubi dormit illa, aut

assiduus sit cum illa. Hoc enim adversandum et detestandum est ab iis qui Deum timent.

« Nonne erudit te id quod accidit Davidi, quem Deus invenerat *virum secundum cor suum* (Cf. I Reg., XIII, 14). hominem fidelem, perfectum, sanctum, firmum ? Pulchritudinem inspectavit hic mulieris cujuspiam, Bethsabæ dico, cum videret eam mundantem sese et lavantem nudam. Vidit hanc mulierem vir sanctus, et reapse captus est per voluptatem haustam ex ejus conspectu. Animadvertite nunc quanta mala fecerit illius mulieris causa : et peccavit justus ille vir cum Bethsaba, et mandatum dedit ut maritus illius interficeretur in prœlio. Non ignoratis quot dolos malos struxerit et adhibuerit. Cupidine istius mulieris accensus, homicidium patravit David, qui *unctus Domini* vocatus est. Admonitus esto, o homo ! Nam si tales tantique viri per mulieres perierunt, quænam tandem tua virtus est, aut quisnam tu inter sanctos ut cum mulieribus aut cum adolescentulis diu noctuque cum multa joculatione absque timore Dei converseris? Non ita, fratres, non ita agamus, secundum lapsum illorum : verum memores simus effati illius de muliere, quo dictum est :

Manus ejus laqueos tendunt, et cor ejus retia pandit. Justus evadet ab illa ; improbus autem in manus ejus cadet (Cf. Eccle., VII, 27). Itaque nos sancti devitemus cohabitare cum feminis Deo sacratis. Neque enim decora est hujusmodi agendi ratio, nec convenit servis Dei.

Nonne legisti de Amnone et Thamare, Davidis liberis ? Amnon iste sororem suam appetebat eamque oppressit, nec eidem pepercit, propterea quod turpi libidine eam concupierat. Et improbus scelestusque evasit ob assiduam suam cum illa conversationem, quæ non erat in timore Dei, *et fœdam rem operatus est in Israel.* Quapropter non convenit nobis nec decet nos conversari cum sororibus inter risus effusos et petulantiam, sed fieri hoc debet cum omni verecundia ac castitate, et in timore Dei.

« Nonne legisti de rebus gestis Salomonis, Davidis filii, cui Deus dederat sapientiam et scientiam et amplitudinem animi et divitias et gloriam majora quam ulli alii ex omnibus hominibus ? Atqui etiam ipse ille per mulieres periit et a Domino recessit.

« Nonne legisti et nosti de senioribus illis in diebus Susannæ, qui, propterea quod assidui erant cum mulieribus et alienam inspectabant pulchritudinem, in

barathrum ceciderunt concupiscentiæ? Nec potuerunt in casta mente retinere sese; verum superati sunt a pravo suo animo, et adorti sunt beatam Susannam, ut eam vitiarent. Illa autem minime obtemperavit turpi istorum libidini, sed Deum invocavit et eripuit eam Deus a manibus iniquorum senum istorum. Nonne igitur commoveri nos oportet et timere ob hoc quod senes illi, judices et seniores populi Dei, honore suo exciderint propter mulierem? Scilicet recordati non sunt effati illius quo dictum est: *Alienam pulchritudinem ne inspectes* (Cf. Eccli., IX, 8), aut illius: *Pulchritudo mulieris multos perdidit* (Cf. ibid., 9); aut hujus: *Cum muliere maritata ne sedeas* (Cf. ibid., 12); aut rursus illius quod dixit Scriptura: *Num est aliquis qui ignem ponat in sinum suum, et vestimenta sua non comburat?* (Cf. Prov., VI, 28.) Aut hujus: *Num incedet aliquis super ignem quin pedes ejus adurantur? Sic nemo qui ad maritatam ingreditur culpa vacabit, nemoque evadet qui ad illam appropinquat* (Cf. ibid., 28, 29). Et rursus dixit Scriptura: *Pulchritudinem mulieris noli concupiscere, ut ne captivet te palpebris suis* (Cf. ibid., 25). Et alibi: *Adolescentulam ne inspectes, ut ne pereas illius desiderio* (Cf. Eccl., IX, 5); et iterum:

Cum muliere quæ pulchre canit, noli esse assiduus (Cf. ibid., 4); et tandem : *Qui stare sese existimat, videat ne cadat* (I Cor., x, 12).

IV. Felicitas castitatem bene custodientium.

« Sed jam videte quid sacræ Scripturæ itidem dixerint de Prophetis, viris illis sanctissimis, et de Apostolis Domini. Videamus an eorum aliquis assiduus fuerit cum adolescentulis, aut cum junioribus maritatis, aut cum talibus viduis quas recusat divinus Apostolus (Cf. I Tim., v, 11).

« Consideremus in timore Dei sanctorum illorum hominum vitæ rationem. Ecce, de Moyse et Arone scriptum invenimus quod agebant et vivebant cum viris qui talem qualem ipsi vitæ rationem sequerentur. Ita quoque fecit Josue, Nuni filius. Mulier aliqua cum ipsis non erat, verum soli, viri cum viris, sancte ministerium suum coram Deo obibant. Neque hoc solum, sed et populum edocuerunt ut quotiescumque castra loco moverentur, unaquæque tribus seorsum proficisceretur, et mulieres seorsum cum mulieribus, utque hæ incederent in extremo exercitu, viri autem cum viris seorsum secundum tribus suas. Et secundum mandatum Dei ad hunc modum profi-

ciscebantur, tamquam populus sapiens, ne quid turbationis fieret propter mulieres, quando castra movebantur. Pulchre ordinateque dispositi iter faciebant, sine scandalo. Ecce, verbis meis testimonium reddit Scriptura sacra : *Postquam transiissent*, inquit, *Israelitæ mare Suph, cantarunt Moyses et Israelitæ laudes Domini, et dixerunt : Laudemus Dominum, quia magnopere est laudandus* (Cf. Exod., xv, 1). Et posteaquam Moyses cantare desiisset, tunc Maria, Moysis et Aronis soror, tympanum sumpsit in manus suas, egressæque sunt mulieres omnes post eam, et cum illa Dei laudes decantarunt, mulieres cum mulieribus seorsum, æque ac viri cum viris seorsum illud præstiterant. Rursus Eliseum quoque et Giezi et filios prophetarum pariter invenimus habitasse in timore Dei, nec habuisse feminas cohabitatrices. Michæam omnesque prophetas pariter sic invenimus habitasse in timore Dei.

«Et ut ne longius producamus sermonem nostrum, quid dicamus de Domino nostro Jesu Christo? Ipse Dominus cum duodecim apostolis suis fuit assiduus, postquam in publicum prodiisset. Neque solummodo hoc fecit, sed et cum emitteret eos, binos simul misit illos, viros cum viris. Mulieres

autem non fuere missæ cum illis; et neque in via neque domi cum mulieribus aut cum adolescentulis commorabantur : atque ita Deo usquequaque placuerunt. Ipse Dominus Jesus Christus cum loqueretur cum muliere illa Samaritana seorsum ad puteum, *discipuli ejus advenerunt*, inveneruntque eum cum illa colloquentem, *et mirati sunt quod cum muliere esset et loqueretur* (Cf. Joan., IV).

Nonne ipse est regula illa non abolenda et exemplar omni humano generi ad imitandum propositum ? Neque hoc solum est, sed et cum resurrexisset Dominus noster a mortuis, venissetque Maria ad sepulcrum, statim illa cecidit ad pedes Domini eumque adoravit, volebatque manu apprehendere illum. Ipse autem dixit illi : *Noli me attingere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Cf. Joan., XX, 17). Nonne mirabile est de Domino, quod Mariæ, feminæ piissimæ, non permiserit attingere pedes ejus ? Tu autem habitas cum mulieribus, a mulieribus et ab adolescentulis ministraris, et dormis ubi dormiunt illæ, et lavant tibi pedes, et ungunt te mulieres! Væ improbo huic consilio ! Ergo tu te ipse non dijudicas ? Tu te ipse non examinas ? Tu te ipse ignoras et modum virium tuarum ?

« Hæc fida sunt, hæc vera et recta ; hi limites quos non mutant qui recte in Domino conversantur. Multæ quidem sanctæ mulieres sanctis ministrarunt de bonis suis, velut Sulamita illa ministravit Eliseo ; sed hæc cum eo non habitabat, verum habitabat propheta seorsum in domo. Et cum mortuus esset istius feminæ filius, hæc volebat projicere sese ad pedes prophetæ ; verum non permisit illi servus Elisei, sed prohibuit eam. Dixit autem Eliseus servo suo : *Sine illam, nam anima ejus amaritudine affecta est* (Cf. IV Reg., IV, 27).

« Ex his igitur intelligere debemus illorum sanctorum virorum vivendi rationem. Jesu Christo Domino nostro mulieres de bonis suis ministrabant (Cf. Luc., VIII, 2, 3) ; sed non habitabant cum illo. Apostolis quoque et Paulo mulieres ministrasse invenimus (Cf. I Cor., IX, 5 ; Act., XVI, 15) ; sed hi cum illis non habitabant, verum pudice et caste et immaculate coram Deo conversati sunt, cursumque suum consummarunt, et acceperunt coronam suam a Domino Deo omnipotenti. »

En tandem peroratio pulcherrimæ hujus scriptionis :

« Quæ cum ita sint, petimus a vobis, o fratres nostri in Domino, ut hæc observen-

tur apud vos, sicuti observantur apud nos, utque eadem sentiamus,quo unum simus nos in vobis, et unum sitis vos in nobis, atque omni in re simus omnes anima una et cor unum in Domino (Cf. Joan., XVII, 21, 22 ; Act., IV, 32). Audit nos quicumque novit Dominum ; sed quicumque ex Deo non est, non audit nos (Cf. I Joan., IV, 6). Is qui veraciter vult servare castitatem, audit nos; et virgo quæ veraciter vult servare virginitatem, audit nos ; sed ea quæ non veraciter servat virginitatem, non audit nos.

« Quod superest, valete in Domino et gaudete in Domino, omnes sancti ! »

ANTERIS TERTIA : CONSOCIATIO SACERDOTUM.

Ut dixit aliquis pius scriptor, « inter efficacissima sanctificationis media Clero seculari ultimis temporibus data, primarium sane locum obtinet *Consociatio sacerdotum*, quæ in pluribus jam Galliæ, Italiæ, Angliæ et in omnibus Belgii diœcesibus instituta est. »

Merito igitur hanc Consociationem dilectis fratribus nostris Sacerdotibus proponimus, ut inter nostri templi *anterides* præcipuam, atque totius constructionis fulcimentum solidissimum.

Consideratio de Consociatione sacerdotum.

Consideremus quam commendabilis sit sacerdotalis hæc Consociatio, — *origine*, — *excellentia*, — *fructibus*; — et *quo oculo aspicienda* sit.

I. Origo.

Hujusmodi Consociatio nihil aliud est quam Institutum Venerabilis servi Dei Bartholomæi Holzhauser, vitæ communis clericorum secularium juxta sacros canones seculo XVII restitutoris, nunc innovatum et præsentibus Cleri circumstantiis accommodatum, ut testantur documenta Pontificia.

Hoc autem Institutum, quod Spiritu sancto movente piissimus Bartholomæus fundavit, brevi et celeriter per magnam Europæ partem propagatum, fructus tulit uberrimos. — Postquam vero calamitate temporum interiit, nostris diebus non sine divina Providentia revixit, et quidem sub forma faciliore, quæque plane piorum sacerdotum desideriis atque votis respondere videatur.

Non pauci scilicet sacerdotes, intelligentes verbum Domini : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth., XVIII, 20), et id quod dixit

Spiritus sanctus : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov., XVIII, 19), et *Funiculus triplex difficile rumpitur* (Eccle., IV, 12) : privatos se esse dolebant vitæ communis fructibus, cum vita communis prorsus repugnare videretur vitæ cleri per parochias dispersi.

At ista Consociatio clericalis ordinata est, ut physice dispersos sacerdotes *morali unione* conjungat, faciatque ut illi, salvo parochiali ministerio, inveniant communitatis commoda spiritualiaque subsidia quibus propriam sui status perfectionem facilius consequantur.

Pia hæc Consociatio, ait reverendus Pater Schouppe S. J., suffragia nacta est multorum episcoporum et, quod maximi est momenti, ipsius Sanctæ Sedis encomia, per Breve Pii IX, 17ª maii 1875, et per alterum Breve Leonis XIII, die 31ª maii 1880. « Hanc sane Institutionem, *inquit Pius IX*, quæ beneficia Regularium Ordinum transfert in Secularem Clerum et prisca exornavit Ecclesiæ secula, læti reviviscere conspicimus apud Belgas. »

« Non sine magna animi Nostri jucunditate, *ait Leo XIII*, didicimus opus revocationis cleri secularis ad vitam, qua fieri possit, communem, quantumvis arduum,

adeo prospere processisse, ut jam triginta pervaserit diœceses Galliarum et Belgicas omnes, probantibus episcopis... Superno consilio [facta est] instauratio salutaris istius Instituti, quod, antiquis præceptum canonibus, seculorum lapsus et vicissitudines obliteraverant... Quamobrem, si Decessores nostri amplissimis commendarunt laudibus *utilissimum* hoc Institutum, id ultro libenterque et Nos facimus ; immo, quotquot sunt sacerdotes seculares hortamur ut, sibi ipsis reique religiosæ efficacius prospecturi, saluberrimæ isti consociationi dent nomen. Moveat eos haud obscurum divinæ Providentiæ placitum, quæ nunc denuo suscitavit hoc Institutum in Ecclesiæ suæ laborantis subsidium. Moveant cœlestes benedictiones, quibus inter gravissimas difficultates brevi hujus operis incrementa mirabiliter provecta fuerunt. Moveant Episcoporum plausus, constantes Apostolicæ hujus Sedis laudes, fructus jam parti ; quos semper uberiores propagatio ipsa Consociationis merito spondet. »

Nihil sane his verbis addendum ut Consociationi sacerdotali præcipuum quoddam ecclesiasticæ sanctitatis medium inesse demonstretur. Propterea Eminentissimus Cardinalis Dechamps, archiepiscopus Me-

chliniensis, sequentibus litteris dignatus est Consociationem commendare : « Piam Consociationem sacerdotum secularium, a Sanctissimo Patre nostro Leone XIII adeo laudatam, libentissime pro diœcesi Nostra approbamus, et dilecto Clero nostro enixe commendamus. Confidimus enim spiritum pietatis et zeli sacerdotalis ex ejusdem propagatione incrementa maxima acceptu-rum. »

Gratias igitur Deo, o mei fratres, agamus pro tanto beneficio !

II. Excellentia.

Excellentia hujus consociationis eruitur — ex *natura familiæ* quam constituit ; — ex *scopo* quem attingendum proponit ; — ex *mediis* quæ ipsa consociatis suppeditat ad intentum finem assequendum.

1° Ex *natura familiæ*. — Est enim cœtus sacerdotum ad sanctitatem sui status aspirantium. Quis cœtus hoc cœtu nobi-lior ? Quis cœtus omni veneratione dignior ? Profecto superat dignitate cœtum magna-tum quorumcumque, cœtum regum, cœtum imperatorum. De sacerdotibus enim suis dixit ipse Deus : *Nolite tangere christos meos* (Ps. CIV, 15). *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (Zachar., II, 8). *Honora*

Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes (Eccli., VII, 33). Diserte asserit se audiri, cum ipsi audiuntur ; se contemni existimat, quando ipsi contemnuntur. *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (Luc., X, 16). Dum gloriose adeo servos suos secum comparat, deos tandem appellare non dubitat : *Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi omnes* (Ps. LXXXI, 6).

Ii sunt quos sacræ Litteræ et Sanctorum scripta mirificis decorant titulis. Vocatur enim sacerdos : Mysteriorum Dei dispensator, — norma gregis, — organum Spiritus sancti, — mediator Deum inter et homines, — apostolorum successor, — lux mundi, — sal terræ, — civitas supra montem posita, — columna in domo Dei, — claviger regni cœlorum, — civis Sanctorum, — domesticus Dei, — hostis vitiorum, — propagator virtutum, — salvator fidelium, — alter Christus.

Sunt et ii quos Christus assumpsit in electos discipulos, in amicos intimos, in familiares assiduos, in continuos commensales, in socios et participes magni illius negotii quod Ipsi a Patre commissum erat, in apostolos seu missos et legatos, in vicarios sibi substitutos.

O sacerdos, agnosce tanti officii digni-

tatem, tuam ipsius indignitatem, vocantis dignationem!

O quam timendum est ne ceterorum hominum infirmitatibus ipsi se obnoxios faciant, quos deorum instar tam mirifice extollit Deus! Quam timendum ne ipsi sacerdotes, quorum honoribus tam studiose consulit Deus, sese omnium primi despiciant, et conversatione degeneri contemptibiles se reddant, cum, leves in gestibus, soluti in moribus, gravitatem sacerdotalem deserunt, cum defectus multiplices foras ostendunt, quibus et scandalum præbent et vilipendi a populo ipsimet quærunt!

Ad has lugendas sane miserias præcavendas instituere voluit suam familiam Venerabilis vir qui fuit primus hujus nostræ Associationis auctor.

2° Ex *scopo* qui associatis attingendus proponitur. — Hic scopus alius non est quam ipsa sacerdotis sanctificatio. Quid hoc scopo sacerdoti optatius? Quid Deo gratius? Quid populo christiano utilius sacerdotis sanctificatione?

O, si cresceret in dies numerus sacerdotum sanctitate pollentium, certo certius mox totius mundi facies mirifice mutata conspiceretur! Nonne inde luce clarius apparet quanta sit Consociationis nostræ excellentia?

3° Ex *mediis* quæ suppeditantur ad assequendum finem intentum. — Sacerdotes qui se confitentur aspirare ad sanctissimi sui status perfectionem, merito censentur se velle probare insignes in omnibus quæ, quacumque ratione, ad suum sacerdotium referuntur: insignes proinde in doctrina sacerdotali, insignes in virtute sacerdotali, insignes in functione sacerdotali, insignes ubicumque apparent ut sacerdotes. Non sane quod velint se exterius distinguere a sacerdotibus qui piæ consociationis nostræ membra non sunt: unice volunt coram Deo se exhibere tales quales ipse Deus voluit eos esse, cum eos ad sublimissimam dignitatem sacerdotalem evehere dignatus est.

Atqui sacra Consociatio suis membris ea suppeditat media quæ ad hunc finem consequendum aptissima sunt. Sunt enim natura sua sancta.

Nonne sancta res est *unio animorum*, quæ tantopere a Christo Domino commendatur in ultima Cœna? Nonne res sancta *ordo* præscriptus et *regula* quibus omnes actiones diei ad Dei gloriam et animarum salutem diriguntur? Nonne res sancta est fidelis *conscientiæ examinatio?*

Nonne res sancta est Missæ celebratio cum congrua præparatione per ferventem

meditationem, et cum actione gratiarum accurate peracta? Nonne res sancta frequens et ardens oratio? Nonne res sancta pia Coronæ beatissimæ Virginis recitatio? Nonne res sancta Via crucis, confessio sacramentalis, recollectio menstrua, annuus secessus, consuetudo Breviarium quam diligentissime recitandi?

Nonne res sancta lectio librorum solida doctrina refertorum, et constans rerum sacrarum studium?

Nonne res sancta *schedula* fideliter annotata et tempore statuto ad Superiorem transmissa?

Tandem, nonne res sancta ipsum *stabilitatis* propositum?

Ecce, hæc omnia approbat, laudat vehementerque commendat sanctissimus Pontifex Leo XIII, dum dicit : « *Uniformis vivendi ratio universis proposita ; exercitia quæ foveant pietatem muniantque virtutem adversus seculi pericula ; gestorum propriorum rationes ultro redditæ præpositis, eorumque animadversionibus periodice subjectæ; menstrui conventus ad spiritualia colloquia de rebus ad ministerium spectantibus, quæ mentes non satis concordes ad eamdem sententiam adducant ; præstitutus finis, ad quem sub Episcopi moderamine vires omnes*

jungantur ; studium ex ipsa consuetudine et amicitia erumpens invicem sibi subveniendi : hæc omnia non modo unum facient ex iis omnibus qui communi gaudebunt contubernio, sed ceteros etiam sodales inde avocatos a proprii officii curis ita spirituali nexu devincient, ut nemo se sentiat a familia divulsum, moderatore privatum, sibi relictum, opportuno fratrum auxilio consilioque carentem. »

Sanctus præsul Antoninus sapientissime dixit : « Habet thesaurum magnum qui tempus ei concessum virtuose expendit. Tam pretiosum est tempus quod damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua, pro habendo momento temporis. » — Quot sacerdotes jure et merito adderent : Et ecce ego, negligendo ordinem diurnum quem mihi, o Domine Jesu, tam misericorditer dedisti, inutiliter tero multa momenta, immo et horas integras, et dies et hebdomadas !

O utinam omnes etiam dicant : Veniam humiliter efflagito meæ negligentiæ, meæ ignaviæ, meæ imprudentiæ. Cum gratia tua volo me probare deinceps membrum fidele sanctæ familiæ ad quam me adduxisti. Volo deinceps hanc familiam magis æstimare et ardentius diligere. Cum sancto Joanne Berchmans volo fieri sanctus, magnus san-

ctus brevi tempore, fideliter servando totum ordinem in statutis piæ nostræ consociationis præscriptum. Dixi, Nunc cœpi. Amen.

III. Fructus.

Qui *Consociationi sacerdotali* suum dederunt nomen, ejusdemque fideliter observant statuta et regulas, multos et egregios ex ea percipere solent fructus, quorum præcipuos juvabit hic indicare.

1° Ut expressis affirmat verbis Sanctissimus pontifex Pius IX, in sua ad cœtum Namurcensem epistola, ministris Domini, per parochias dispersis, nostra Consociatio aliquatenus emolumenta suppeditat quibus Religiosi gaudent in monasteriis, qualia sunt : Superiorum vigilantia et juvamen... fraterna consilia... in angustiis solamen... mutua ædificatio... immo gaudium sanctum ex unione cordium procedens... *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (Ps. CXXXII, 1).

2° Sacerdos Consociationi aggregatus, efficaciter juvatur ad servandam constanter regulam vitæ... Roboratur adversus peccatum et teporem... Promovetur in virtute ac perfectione sui status... Non enim sine causa scriptum est : *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia, cum ceciderit,*

non habet sublevantem se (Eccle., IV, 10).

3° Ut quotidiana constat experientia, sacerdos, hujus Familiæ membrum serium et fidele, perfectius secundum statum suum vivet... majorem fructum in animabus operabitur... magis honorabit et lætificabit Ecclesiam... majore pace fruetur in vita... majorem habebit fiduciam in morte.

4° Quis, quæso, diffiteatur Consociationi convenire, servata utique quadam proportione, ea quæ sanctus Bernardus de vita religiosa scribit : *In ea homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducialius, purgatur citius, præmiatur copiosius ?*

5° Non sane exiguum emolumentum est sibi certum facere, ope consociationis, id quod promisit optimus Magister noster Jesus, dum dixit in Evangelio : *Iterum dico vobis quia, si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth., XVIII, 19, 20).

Gaude et exsulta, o sacerdos, qui te huic associationi consecrasti, quod ex unione tua cum plus sex millibus sacerdotum per

totum terrarum orbem dispersorum, pie et sancte viventium, consortio frueris Jesu in medio illorum degentis, ut cum dilectis his suis sacerdotibus sine ulla intermissione æternum Patrem suum pro ipsorum necessitatibus deprecetur. Quantum hinc tibi subsidium pro tua sanctificatione et felici laborum tuorum successu !

Adde te per statuta Consociationis illius jus acquisivisse ad quasdam preces et non pauca Missæ sacrificia quæ tibi sive vivo sive mortuo suffragantur.

Adde etiam Consociationi sacerdotali nonnullos Ordines religiosos et sanctarum monialium Congregationes partem operum suorum et precum benigne concessisse.

6° Est et alius fructus superioris ordinis, si sic loqui fas sit, quemque ad animæ sacerdotalis sanctificationem multum conferre, diuturna comprobavit experientia. Sunt illa conventicula spiritualia ad quæ opportuno tempore ex variis locis sponte confluunt Confratres, ut quam perfectissime fieri potest, *sanctis Secessus exercitiis* excolantur. Incredibile est quo fervore, qua ædificatione, qua animi recollectione, quo successu talia peragantur Exercitia. Non raro, his peractis, una omnium vox est se mirifice sancti Spiritus flatum atque flammam sen-

sisse, neque se unquam feliciores fuisse quam per illos dies quibus eis licuit solis esse cum solo Deo et cum fratribus ad eumdem conspirantibus finem, ad gloriam Dei scilicet suamque et aliorum felicitatem.

O utinam talia conventicula contingeret frequentius celebrari !

Nonne, o mei fratres, de gratiis tantis Clero oblatis laudanda divina Bonitas ? Imploremus intercessionem Beatæ Virginis, ut easdem nos et quamplurimi alii, juxta Dei voluntatem, sancte adhibeamus.

IV. Quo oculo aspicienda.

« Quomodo igitur respectu Consociationis sacerdotalis me habere et gerere debeo ? » expetivit a semetipso quidam eximius sacerdos, et hanc sibi dedit responsionem.

« In primis Institutum tam salutare in se, tam conforme spiritui apostolico et sacris canonibus... Institutum antiquitate sua ac præcipue Sedis Apostolicæ laudibus atque benedictione tam venerabile... nonne cum reverentia intuendum ?

« Cavendum itaque ne sensu vel verbo huic reverentiæ desim et sic valde displiceam Deo... Si quis enim de re tam sancta

sinistre vel jocose loqui... si illam tamquam singularitatem traducere auderet, an ille se non prorsus ecclesiastico spiritu vacuum, immo sacerdotis nomine indignum demonstraret ?

« Ex altera autem parte, bene considerandum mihi est utrum non possim ego hujusmodi gratiæ esse particeps... An ea forte non magnopere indigeo ? An eam negligere expediet ?... Quid Deus hic a me postulat ?... Quid in hora mortis, in die judicii me juvabit fecisse ? »

EXAMEN FRATRIBUS CONSOCIATIS PROPOSITUM.

1) Quomodo *æstimo* Consociationem ?... An est hæc æstimatio in *mente ?*... in *verbis ?*... in *modo agendi ?*...

2) Quomodo *amo* hanc Consociationem? Amare est *practice velle* bonum, bonum *comparare* omni modo illi quem amamus... An hoc hucusque feci relate ad sanctam Familiam cujus dignatus est Deus me facere filium ? An *ut matrem* Consociationem amo, et quidem amore *filiali ?*

3) An ostendi zelum ad ejus dilatationem ?... Quot illi membra meo studio et cura acquisivi ?...

4) An nihil dixi, an nihil feci unde ejus consideratio et auctoritas minui possit

apud illos qui plus minusve illi contrarii sunt ?

5) Quomodo observare soleo ordinem in Statutis nostris nobis propositum ? —

a) An soleo *surgere hora statuta ?* Hæc enim surrectio prompta et fidelis est actus sanctæ œconomiæ temporis,... exercitium mortificationis,... testimonium diligentiæ et fidelitatis,... felix initium unde sæpe pendet sors totius diei...

b) An bene recito Orationem *Domine Jesu*, quæ in usu est apud multos fratres meos et sic sonat : *Domine Jesu, ego licet indignus, in sortem sanctissimi ministerii electus, et impulsus Tibi serviendi desiderio, suppliciter peto ut in conceptis propositis meis usque perseverem, et quotidie magis magisque perficiar in spiritu sanctissimæ meæ vocationis, scilicet in spiritu fidei, puritatis, humilitatis, paupertatis et obedientiæ ; in spiritu mortificationis, mundi meique contemptus, caritatis, denique zeli et solidæ pietatis, ita ut formeris in me, Christe, et dicere valeam : Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus !*

O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria, per te fiam votorum meorum compos, donec tecum cœlestis gloriæ fiam particeps.

Sanctissime Joseph, sancte N... sancte

N... orate Cor Jesu pro Congregationis dilatatione ejusque fervore. Amen.

Est enim hæc oratio eximia petitio spiritus Christi, ac proinde Deo gratissima... Est actus grati animi pro vocatione... Est actus veræ humilitatis... Est actus fiduciæ erga patronos nostri sacerdotii... Est actus amoris erga nostram Consociationem.

An igitur recito hanc Orationem fideliter, — tempore statuto, — lente, — attente, — reverenter, — affectuose, — in unione cum omnibus fratribus ejusdem Familiæ ?

c) An diligenter instituo quotidie *meditationem ?* Est enim meditatio « barometrum » vitæ sacerdotalis. Magnus Suaresius maluisset amittere totam suam scientiam, quam omittere sine causa vel unam meditationem. Quid ego ? An non facile meditationem omitto ? An non soleo eam instituere negligenter... sine præparatione?... An mihi mos est eam concludere ferventi colloquio cum Jesu, cum Maria?... O si melius meditarer quotidie, sine dubio brevi sanctus essem.

d) An instituo duplex *examen* conscientiæ ?... An serio ?... An cum sincera et virili emendatione ?... An examino me *methodice*, ut fit tempore Exercitiorum ?

e) An assidue lego librum aliquem pium

solide conscriptum?... An mihi consuetudo est pervolvendi identidem Vitas sanctorum, et præsertim Vitam Jesu Christi, id est Evangelium?

f) Qua constantia, qua pietate recito Coronam beatæ Virginis?

g) An fideliter, methodice, fructuose, sancte vaco *studio rerum sacerdotalium?*... An non facilius, minimo prætextu illud omitto?... An non aliquantulum fraudulenter hoc punctum ordinis præscripti transilio?

h) Quænam mea animi dispositio est generatim relate ad *schedulam menstruam* quam me accurate confecturum promisi *(le bulletin)?*... An hanc schedulam magni facio? Est enim *nervus* nostræ Consociationis, robur, vis, efficacia, uno verbo admirabile instrumentum sanctitatis, ut experientia comprobatum est. — An eam adnoto quotidie sincere, humiliter?... An mitto tempore opportuno?

Domine Jesu, concede mentibus nostris *lumen* quo divinas tuas intentiones plane cognoscamus. Concede cordibus nostris *robur* ad respondendum plene et constanter tuis intentionibus sanctissimis nobis manifestatis. Amen.

CAPUT TERTIUM.

De tecto templi spiritualis,

ID EST IMMENSA IN DEO FIDUCIA.

TECTUM muro imponitur, ut hi qui in templo versantur, minime tempestatis molestiis perturbentur. Tectum autem spiritualis templi vocamus *immensam in Deo fiduciam.*

Hoc tectum constat tribus his elementis, videlicet : — *fuga pusillanimitatis*, — *exercitio invictæ patientiæ*, — et *summa nostræ Deique voluntatis consensione.*

1um Elementum hujus tecti :

FUGA PUSILLANIMITATIS.

CONSIDERATIO.

De pusillanimitate.

1um PUNCTUM. — Fons pusillanimitatis.

Dicite justo quoniam bene, ait Isaias propheta. *Exsultent justi in conspectu Dei et delectentur in lætitia,* ait Psalmista.

Gaudete in Domino semper, ait Apostolus; *iterum dico, gaudete.*

Per gratiam Dei credere possumus nos esse de numero *justorum.* Ut tales igitur

exsultare deberemus in conspectu Dei et delectari in lætitia. Semper gaudere deberemus, ita ut merito de unoquoque nostrum dici queat : *Dicite justo quoniam bene.*

Quid ergo impedit quominus res ita se habeat pro nobis ? Quænam causa est quod aliquando nos, justi, putamus nos infelices, et non exsultamus in conspectu Dei, sed tristes jacemus et mærore consumpti ?

Quia non sufficienter invigilamus cogitationibus nostris, affectibus nostris.

Cogitatio hominis principium est omnis boni, vel principium omnis mali. Talis sum, quales cogitationes meæ : si terrenæ, terrenus sum ; si cœlestes, homo cœlestis sum ; si bonæ sunt, bona pariter et verba erunt et opera.

Ubi thesaurus meus est, ibi et cor meum erit ; ubi autem cor, ibi cogitatio ; ubi cogitatio, ibi affectus ; ubi amor, ibi æstimatio.

Sunt quædam cogitationes quæ deprimunt animum, exstinguunt ardorem, tristitiam pariunt et pusillanimitatem. Sunt etiam cogitationes quæ animum sursum propellunt, viribus augent, sancto igne compenetrant et perfundunt lætitia vera, solida, constanti.

In prioribus libenter versari easdemque nutrire, summa stultitia est ; posteriores

autem non omni conatu accersere et confovere, magna imprudentia.

O si possemus avertere cogitationes de rebus abjectis, minimis, transitoriis, nugatoriis, et habere cogitationes de rebus magnis, æternis, quam beati essemus ! Jam vero parvæ sunt res, minimæ, nugatoriæ, transitoriæ eæ omnes quas vocamus *gloriam nostram*, *commoda nostra*, *jura nostra*, et alia similia. Magnæ sunt eæ quæ pertinent ad Deum, ad æternitatem, ad vocationem, ad apostolatum. Si in his minimis versemur, facile deveniemus ad pusillanimitatem ; si in magnis, magnanimi evademus.

II^um^ PUNCTUM. — Remedium contra pusillanimitatem.

Remedium contra pusillanimitatem est frequens et seria consideratio *motivorum* quæ nata sunt nos impellere ad sperandum in Domino.

I. Considera, o sacerdos, *primum motivum* sentiendi de Deo in bonitate et hoc sensu pusillanimitatem et spiritus cordisque angustiam repellendi, esse *æternam Dei dilectionem* eamque infinitam; ex qua ortum est quod ait sanctus Petrus: *Nolens aliquem perire*, nisi quis ipsemet perire velit. Unde bene Osee propheta, Spiritu Dei, ait : *Per-*

ditio ex te, Israel. Cum ergo tu nolis perire, et hoc ipsum nimium timens, angustum cor habeas, excute has angustias et crede Deo, ac de ejus bonitate bene senti, quod te nunquam abjiciet a se, *si tu nolis.*

II. Considera, o sacerdos, secundum motivum contra pusillanimitatem esse Dei dilectionem *qua fertur in te*, quæ major est procul dubio quam sit et tuus, et patris aut matris aut sororis tuæ vel, si non habes, quam sit alicujus servi Dei (si quem nosti esse magnum Dei amicum et Deo carum) erga te spiritualis amor et erga tuam salvationem. Sicut enim non desperares nec te metu conficeres, si tuam salvationem scires positam in tuo arbitrio vel arbitrio illius servi Dei, immo positive certum haberes te fore ab illo salvandum, multo magis id sperare debes a majore Dei erga te dilectione.

III. Considera, o sacerdos, tertium motivum ejusdem rei esse *Christi, redemptoris nostri, affectum* erga te, tamquam capitis tui erga membrum suum, quod vere cupiat ipsi esse carum et quod id esse conetur. Sicut enim *nemo carnem suam odio habuit*, ut ait Apostolus, ita multo minus Christus odit ea membra quæ ei volunt esse unita, et ideo timent ne abscindantur, et ne ab-

scindantur eum rogant suppliciter, et ad impetrandum hoc efficacius varia media adhibent, scilicet preces servorum Dei, eorumdem consilia, sanctorum intercessiones et alia.

IV. Considera, o sacerdos, et hoc motivum, nempe dulcissima illa verba Concilii Tridentini, ex sacrarum Litterarum doctrina decerpta : *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ideo cum ordinarium medium ad justificationem, sanctum Pœnitentiæ sacramentum, eo modo susceperis quo optime potuisti, et sollicitus sis ne deseraris a Domino, hoc ipso non vis eum deserere ; et ideo ne timeas: non deseruit te, nec deseret, quamdiu habebis hanc voluntatem eum peccato mortali non offendendi. Ideo potius pete ut conservet hanc voluntatem in te et desiderium ejus gratiæ, et reseca a corde tuo omnem anxietatem et omnem angustiam.

V. Considera, o sacerdos, quintum motivum ex eo deduci quod *Spiritus sanctus*, utpote infinitus amor Patris et Filii, utpote fons bonorum omnium, *vehementer se communicat* omnibus hominibus qui ejus gratiæ obicem non ponunt. Quare, cum unus tantum sit obex gratiæ, affectus ad aliquod peccatum mortale, seu mansio in eo peccato

cognito, cumque per Dei gratiam hunc in te obicem non agnoscas, ne dubites te esse ei gratum et semper fore, quamdiu habebis hanc animi a quovis peccato mortali aversionem.

VI. Considera, o sacerdos, sextum motivum esse *Dei bonitatem*, quæ non vult excludere te a numero suorum filiorum, etiam si in te videret multa peccata mortalia confessione non expiata, quæ forsan ex ignorantia aut oblivione inculpabili omisisses. Immo existimare debes omnia talia peccata, si quæ unquam fuerunt, esse jam pridem remissa per susceptionem legitimam Sacramentorum. Quid ergo est quod te affligit, o bone sacerdos, si peccata ipsa tali ex causa non confessa affligere non debent? Tantum ergo da operam ut ad ea non redeas; quod facile Dei auxilio poteris.

VII. Considera, o sacerdos, septimum motivum esse : teneri Deum ex fidelitate promissionis suæ salvare te, si hoc a Deo petieris, et simul eum teneri dare omnia ad hoc necessaria, siquidem *orantes se exauditurum promisit*. Tu ergo pulsa fores divinæ clementiæ assiduis precibus, duo ab ea petens : primo, ut te salvet ; secundo, ut det tibi omnia media efficacia quæ tibi necessaria sunt ad finalem consecutionem salutis:

et ne dubita adfuturam tibi ejus misericordiam qui dixit : *Omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.*

VIII. Considera, o sacerdos (et hoc octavum motivum est), inter *signa electorum* numerari, juxta probatos theologos, *primo:* aversionem animi a peccatis *mortalibus* et vitam ab eis liberam. Hoc cum tibi Dominus dederit et in te foveat, lætus esto. Tantum da operam ut hæc in te semper permaneant, quibus manentibus stultitia esset timere damnationem vel non perseverantiam in bene cœptis.

Numeratur *secundo:* Habere animum aversum ab omni peccato veniali plene deliberate committendo. Quod cum tibi Deus etiam dederit, lætus esto. Tantum contende ut hanc bonam voluntatem foveas; fovebis autem diligenti divinarum rerum consideratione et piis colloquiis. Quod cum in tua potestate sit, poteris divino auxilio magis ac magis in dies accendere in te hanc ab omnibus defectibus animi aversionem. — Cfr. Lancicius S. J., Opusculum XXI.

III^um^ PUNCTUM. — Conclusio practica.

Dicat et confidenter dicat unusquisque nostrum cum propheta David : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ*

ibi me collocavit (Ps. XXII, init.), et : *Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus. Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (Ps. XVII, init.).

De se dicta existimet unusquisque nostrum omnia et singula quæ continet Psalmus XC. Ad nos pertinent promissa magnifica ibidem expressa ; ad nos, inquam, quos gloriosus summi Regis famulatus totos occupat. Quotidie igitur cum gustu et confidentia unusquisque in Completorio hunc psalmum recitare consuescat, et dicat ex toto corde : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

O quam secure pius sacerdos quiescit in sinu paternæ Dei providentiæ ! Vere de illo dictum est in capite III Prov. : *Quiesces, et suavis erit somnus tuus.* Vere de illo dixit Isaias (III, 10) : *Dicite justo quoniam bene.*

2um Elementum hujus tecti :

EXERCITIUM INVICTÆ PATIENTIÆ.

Juxta doctrinam angelici Doctoris, Patientia est *æquanimis tolerantia malorum sine perturbatione tristitiæ.*

Distinguitur a virtute fortitudinis : hæc enim est *circa maximum malum, quod est malum mortis ;* patientia vero est *circa mala minora*, quamvis *ex imperio fortitudinis* possit etiam se extendere ad maximum malum mortis. Et licet sit virtus moralis, attamen supernaturalis est, velut sunt aliæ virtutes, ex imperio caritatis, juxta Apostoli dictum : *Caritas patiens est* (I Cor., XIII, 4) ; caritas namque ordinat patientiam ad sufferenda mala temporalia *propter bonum æternum*, et præterea *propter vitandum malum culpæ et malum pœnæ æternum.* Ratio est, quia malum non est per se appetibile, nisi propter bonum quod sequitur ex malo. Unde sanctus Augustinus : *Non patimur contristabile, nisi propter delectabile ; unde non propter se, sed propter finem.*

Materia proxima hujus virtutis est passio tristitiæ, quia est *virtus moderativa* tristitiæ ; materia remota, est actio externa et moderata corporis compositio.

Motivum et finis, est *honestas virtutis* vel bonitas actus patientiæ et beatitudo æterna. Propterea illi proprie patientes sunt et dicuntur, secundum sanctum Augustinum, qui malunt mala ferre quam committere. — Cfr. 2^a $2^{æ}$, q. CXXXVI.

His positis, consideremus :

1° Quam necessaria sit nobis virtus patientiæ ;

2° Quosnam producere soleat in nobis fructus patientia.

CONSIDERATIO.

De patientia.

I^um^ PUNCTUM. — Patientiæ necessitas.

Non sine utilitate, o pie sacerdos, perpendes hanc duplicem veritatem.

I. *Prima veritas* est, *Omnes nos*, ut inquit sanctus Cyprianus (L. de Bono patientiæ), *esse in Adam destinatos ad gemitus tota vita.* Hoc docent et sacræ Litteræ et Sancti, et experientia omnium in omni statu. Unde sanctus Job dicit : *Militia est vita hominis super terram* (VII, 1), ob multitudinem et varietatem adversariorum nobiscum pugnantium. Porro illorum qui videri possunt hostium, inquit beatus Laurentius Justinianus, duo sunt genera : *alterum juxta nos, alterum sicut nos.* Primum est, visibilis hic mundus ; secundum, quilibet proximus incompositus et in conversatione indisciplinatus.

Itaque, velimus nolimus, omnes et semper sumus obnoxii tentationibus vel afflictionibus quæ in mundo sentiuntur.

Ærumnæ et tribulationes hujus vitæ sunt instar tinearum et vermium omnia rodentium. *Omne pomum*, inquit sanctus Augustinus (Serm. 5 de Verb. Dom.), *omne granum, omne frumentum, omne lignum, habet vermem suum; alius est vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici.* Ita quilibet in quolibet statu et gradu habet quod patiatur, dum vivit.

Et re quidem vera, dixit Ecclesiasticus, in capite XL : *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum et timores cordis, adinventio exspectationis, et dies finitionis, a residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra et cinere; ab eo qui utitur hyacintho et portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo; furor, zelus, tumultus, fluctuatio et timor mortis, iracundia perseverans et contentio.*

Sanctus Augustinus ponderans illud ad Hebræos, XII, 6 : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* (Enarr. in ps. XXXI) : *Itane*, inquit, *omnem? Ubi te volebas abscondere? Omnem, et nullus exceptus; nullus sine flagello erit. Quid? ad omnem? Vis audire quam omnem? Etiam Unicus sine*

peccato,non tamen sine flagello. Si ergo ipse Christus hic sine tribulationibus non vixit, quid mirum si,ut ait sanctus Chrysostomus, nec rex procul a curis et cruce vitam agit, et vitam vivit plenam multis miseriis et tribulationibus ?

II. *Secunda veritas* est, nec Sanctos esse liberos ab afflictionibus hujus vitæ. Quod usque adeo verum est, ut sanctus Augustinus in aliqua epistola dicat: *Conjectura est, cum te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numerum destinasse.* Non est inanis hæc conjectura ; sed veritas certissima, tradita ab apostolo Paulo : *Quos,* inquit, *præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Rom., VIII, 29); id est, ut explicat Vasquez, *quos Deus præscivit sibi amicos et dilectos per gratiam suam futuros, hos etiam prædestinavit ad hoc ut paterentur,et fierent conformes Filio suo in patientia, utpote qui pro nobis tot labores et ærumnas sustinuerit.* Non igitur immerito dixit sanctus Gregorius : *Electos Dei cernimus et pia agere et crudelia multa tolerare* (Moral., IX, 35). Nonne Christus dixit in Apocalypsi : *Ego quos amo, arguo et castigo ?* (Apoc., III, 19.) Nonne apostolus Paulus dixit: *Quem diligit Dominus, castigat ; flagellat autem omnem*

filium quem recipit? (Heb., XII, 6.) Hinc angelus Raphael dixit Tobiæ: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te* (Tob., XII, 13).

Sed quod argumentum ad hanc veritatem confirmandam stabilius afferri potest quam id quod dixit Angelus sanctæ Brigittæ de doloribus beatissimæ Virginis Mariæ? Præ vestra meaque in Virginem Mariam pietate liceat mihi integre transcribere auream paginam ex Revelationibus sanctæ Brigittæ (*Lib. VI, cap. 57*). Dixit beatissima Virgo sanctæ famulæ Dei: « *Ego nullam* « *horam sine tribulatione cordis transivi in* « *terris.* Ego plena fui tribulatione a nati- « vitate Filii mei usque ad mortem ejus. « Licet ex divina inspiratione scirem Filium « meum passurum, tamen ex verbis Simeo- « nis, quibus dixit gladium pertransiturum « animam meam, et Filium meum positum « in signum cui contradiceretur, gravius « perforabat cor meum dolor iste qui, usque « dum assumpta fui corpore et anima ad « cœlum, nunquam defuit a corde meo, licet « ex consolatione Spiritus Dei temperare- « tur. Scire etiam te volo, quod ab ipso die « Purificationis, dolor meus sextuplex fue- « rit. Primo, fuit *in cognitione* mea. Nam « quoties aspiciebam Filium meum, quoties

« involvebam illum pannis, quoties videbam « ejus manus et pedes, toties animus meus « quasi novo dolore absorptus est, quia co- « gitabam quomodo crucifigeretur. Secundo, « fuit dolor *in auditu* meo. Nam quoties « audivi opprobria mei Filii et mendacia, « et insidias ei positas, toties animus meus « motus est dolore, ita quod vix se tenere « poterat. Sed virtute Dei dolor meus mo- « dum et honestatem habuit, ne impatientia « et levitas in me notaretur. Tertio, fuit « dolor meus *in visu*. Nam, quando vidi « Filium meum ligari et flagellari et in « ligno suspendi, corrui quasi exanimis, sed « reassumpto spiritu steti dolens, et sic « patienter sufferens ut nec inimici nec alii « in me aliud reperirent nisi gravitatem. « Quarto, fuit dolor meus *in tactu*. Ego « enim cum aliis deposui Filium meum de « cruce, et involvi eum et posui in tumulum: « et sic tunc augebatur dolor meus, ut vix « manus et pedes mei haberent robur ad « subsistendum. O quam libenter tunc fuis- « sem sepulta cum Filio meo! Quinto, pa- « tiebar ex vehementi *desiderio* perveniendi « ad Filium meum postquam ipse ascendit « in cœlum: quia longa mora quam habui « in mundo post ascensionem ejus, dolorem « meum augmentabat. Sexto, patiebar do-

« lorem *ex tribulatione apostolorum et ami-*
« *corum Dei*, quorum dolor erat dolor meus.
« Timens semper et dolens ; timens, ne
« succumberent tentationibus et tribulatio-
« nibus ; dolens, quia verba Filii mei ubique
« habebant contradictionem. Sed, quia gra-
« tia Dei semper perseverabat mecum et
« voluntas mea erat secundum velle Dei,
« idcirco dolor meus continuus erat per-
« mixtus consolatione, donec assumpta fui
« corpore et anima in cœlum ad Filium
« meum. »

Nec solum dolor Virginis tota vita continuus erat, sed juxta incrementum ætatis et donorum Dei ei concessorum, in ea crescebat. Qua de re sic locutus est Angelus sanctæ Brigittæ (*Sermo angelicus*, cap. 11) : « Congrue hæc Virgo nuncupari potest « *florens rosa;* nam sicut rosa crescere solet « inter spinas, ita hæc venerabilis Virgo in « hoc mundo crevit inter tribulationes. Et « quemadmodum quanto rosa in crescendo « se plus dilatat, tanto fortior et acutior « spina efficitur, ita et hæc electissima rosa « Maria quanto plus ætate crescebat, tanto « fortiorum tribulationum spinis acutius « pungebatur. Cum autem ad illam ætatem « ipsa pervenit qua Filius Dei factus fuit « filius suus, tunc lenissima illa rosa in sua

« pulchritudine magis dilatari ac crescere « videbatur, ac tribulationum spinæ ipsam « acriter stimulantes, fortiores et acutiores « quotidie efficiebantur. » Ideo merito sanctus Ildephonsus eam appellavit *plus quam martyrem*, ut et sanctus Bernardus.

Ex his concludimus, sacerdotes, utpote servos Dei et amicos, paratos esse debere ad tribulationes multas perferendas, et quo ferventiores fuerint eo graviores.

Audiamus hac de re sanctum Augustinum. « Uva, inquit, pendet in vitibus, et oliva in arboribus ; his enim duobus solent torcularia præparari. Et quamdiu in frutetis suis libero aere perfruuntur, nec uva vinum est nec oliva oleum ante pressuram. Sic sunt homines quos prædestinavit Deus ante secula conformes fieri imagini Filii sui, qui præcipue in Passione magnus botrus est expressus. Hujusmodi ergo homines, antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in hoc mundo tamquam deliciosa libertate, velut uvæ aut olivæ pendentes. Sed, quoniam dictum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore et præpara animam tuam ad tentationem* (Eccli., II, 1), accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse agnoscat : tribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc se-

culo pereat, sed ut in apothecas Dei influat.»

Cum ergo afflictiones, quamdiu vivimus, evadere non possimus, et quia, ut dixit sanctus Leo: « Quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversario impetemur, » necessarium est ut sciamus quomodo nos gerere in eis debeamus, præsertim dum ab hominibus injuste vel indigne exagitamur.

II^um^ PUNCTUM. — Patientiæ fructus.

« Patientiæ virtus, ait Cajetanus, quatuor solet producere fructus. Etenim :

1° Moderatur tristitiæ ;

2° Hominem facit æquanimem ;

3° Eum inclinat ad bonum ;

4° Eum in bono confirmat. »

Sanctus autem Bernardus alio modo indigitat hos fructus, dum causas indicat ob quas Deus hominem permittit affligi, nempe 1° ut ab iniquitate corrigat ;-2° ne quis de collata virtute superbiat ;-3 ut virtus hominibus innotescat ;-4° ut alios ejus exemplo compescat ;-5° ut corona cumuletur et crescat.

Verum, ut hæc virtus præfatos sortiatur effectus, adjuvari debet juxta sanctum Thomam quatuor CONSIDERATIONIBUS magni momenti.

Harum prima est, consideratio exempli patientiæ Christi. — *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem : ut ne fatigemini animis vestris deficientes* (Heb., XII, 2, 3). Et : *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini* (I Pet., IV, 1). Hæc consideratio, ut notant et advertunt doctores sacri, efficax est non ad tollendam dumtaxat animæ tristitiam, verum etiam ad instillandam cordi lætitiam et gaudium spirituale.

Secunda consideratio est, tribulationem esse signum prædestinatorum et verorum amicorum filiorumque Dei. — *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. XC). *Si extra disciplinam estis, non filii estis* (Cfr. Heb., XII, 8).

Tertia est consideratio bonorum gratiæ, quæ assequimur per tribulationes et patientiam. — Quam ob causam patientia vocatur *radix et custos omnium virtutum.*

Quarta est consideratio *æterni præmii* quod per patientiam acquiritur. — Quia, ut notat optime sanctus Gregorius, *Consideratio præmii minuit vim flagelli*, et sanctus

martyr Stephanus, ut advertit sanctus Antoninus, non nisi inter ictus lapidum vidit cœlos apertos.

Quatuor hisce considerationibus merito subjunguntur sequentia quinque *Excitamenta*, quæ experientia probavit habere ad patientiam exercendam maximam vim atque efficaciam.

1. Considera, o sacerdos, nos longe graviora mala diversis multorum annorum peccatis commeruisse ; quæ, si non in isto mundo his quas patimur similibusque afflictionibus compensata fuerint, certe in futuro seculo purgatorii ignibus excoquenda erunt.

2. Confer, o sacerdos, tribulationes molestiasque nostras cum his quas multi alii, fortasse etiam meliores nobis, tolerant. *Scientes*, inquit apostolus Petrus, *eamdem passionem ei quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri* (I Pet., v, 9).

3. Respice, o sacerdos, *lucrum* quod ex tribulatione sequetur. Sicut enim operarius in summis laboribus seipsum consolatur exspectatione mercedis, ita christianus in omnibus molestiis et afflictionibus gaudere debet spe retributionis. Vir enim bonus, qui filius est Dei, non gratis affligitur ; sed, sicut filius Dei dignior est aliquo filio regis

terreni, ita major erit merces laboris atque molestiarum filii Dei in cœlo quam filii regis in hoc mundo. Nempe juxta personarum dignitatem augentur præmia laborum. Et quidem in hoc mundo, sicut abundant tribulationes in nobis, ita abundare solent et consolationes. Post mortem vero, *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (II Cor., IV, 17).

4. Cogita, o sacerdos, quid levaminis ex impatientia sentiamus. Non enim ob id dolor minuitur, aut molestia tollitur, quia impatientiæ signa edimus, sed potius augetur, ex eo quod ad cetera mala etiam conscientiæ vulnus addimus. Ergo feramus quod juxta Dei voluntatem ferendum videmus.

5. Omnia, o sacerdos, oculis fidei ad Dei voluntatem refer quæ pateris, neque imputa hominibus ullis mala illata, sed Deo, quo auctore nobis omnia eveniunt. *Magna est*, dicit sanctus Gregorius, *consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur cui non nisi justum placet. Si igitur justa placere Deo scimus, pati autem nisi quæ Domino placuerunt non possumus, justa sunt cuncta quæ patimur. et valde injustum*

est si de justa passione murmuramus.

Fac, o Domine Jesu, ut nos sacerdotes mala nostra tolerare assuescamus, non solum sine murmuratione, sine lamentis et querelis, sed cum lætitia et gaudio. Fac ut unusquisque nostrum ut magnus tuus apostolus Paulus dicere valeat cum veritate : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (II Cor., VII, 4).

3um Elementum hujus tecti : SUMMA NOSTRÆ DEIQUE VOLUNTATIS CONSENSIO.

Ad tectum templi spiritualis construendum soliditate et venustate præfulgens, non sufficiunt fuga pusillanimitatis et invicta malorum sufferentia : necesse est ut his accedat *plenissima* et *absoluta nostra cum voluntate Dei in omnibus consensio.*

Merito igitur sacerdos sapiens frequenter et attenta mente considerabit :

I. Quam necessaria sibi sit hæc animi dispositio.

II. Quam sibi sit proficua.

III. In quibus rebus exercenda sit.

IV. Ad quam sublimitatem evehenda.

CONSIDERATIO.

De conformitate nostra cum voluntate divina.

I^um^ PUNCTUM.

Fides nos docet Deum cuncta sapienter regere et nihil, Deo non volente, accidere. Ille est qui exaltat et qui humiliat. Quapropter *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom., VIII, 28).

Inde elucet *necessitas* ut in omni re juxta Dei beneplacitum nos totos divinæ ejus gubernationi tradamus.

a) Deus enim *supremus Dominus est*, qui in cœlo et in terra cuncta sapienter gubernat, cuique omnia subdita sunt.

Ille me in sui servitium creavit ; illi igitur juxta sanctam ipsius voluntatem servire teneor. — Ecce, angeli in cœlo hanc Dei voluntatem adimplent ; quorum alii in tutelam principum, alii in tutelam pauperum destinantur : sunt enim administratorii spiritus. — Et ipsæ res creatæ super terram dispositionem Dei constanter perficiunt, quin unquam a destinatione sua aberrent.

Itaque necesse est ut quod creaturæ *ex necessitate* juxta leges physicas perficiunt, homo, cui Deus intellectum et liberam

voluntatem impertivit, id *libenter* faciat, cum perfecta indifferentia se Dei ordinationi subjiciens ; ut ita fructum afferat, et pro salute æterna, qui finis noster ultimus est, hic fructus maneat.

In omni ergo re, sive prospera, sive adversa, cum fiducia et resignatione dicamus : *Dominus est ; quod bonum est in oculis suis, faciat* (I Reg., III, 18).

b) Non solum Deus supremus Dominus, sed insuper *amantissimus pater* est. Ipsi nostræ indigentiæ notæ sunt. Ipse quæ mihi ad salutem proficua, quæ nociva, optime novit, disponitque omnia fortiter et suaviter : justum igitur est, immo et necessarium, ut me totum et in omnibus ipsi tradam gubernandum. Nos quæ naturæ arrident, sæpe desideramus, sanitatem scilicet, prospera et honorifica : Deus autem, si noverit nos hisce donis in detrimentum animæ usuros esse, ea a nobis aufert, volens nos salvos facere atque occasionem præbere ut in humilitate, abnegatione nostri et mortificatione nos exerceamus, atque ita coronam splendidiorem mereamur.

c) Deus pari modo *justus* est : propterea defectus nostros et iniquitates punit, quando et quomodo vult, semper ut pater, ne in altera vita punire cogatur.

Sic infidelitatem nostram in suo servitio punit, peculiares suas gratias non elargiendo ; — tentationes permittit, vel immittit tribulationes. Quinimmo nonnunquam sinit ut integræ communitates vel parochiæ justam pœnam sentiant, ut spiritus in illis renovetur, ut in humilitate exerceantur, ut in amore erga Deum et filiali fiducia incrementum capiant.

Forsitan, o sacerdos, hæc tibi subit cogitatio: Lubens me voluntati Dei submitterem, si mala quæ patior a Deo mihi immissa esse cognoscerem ; — sed ego ipse afflictioni qua tribulor, causam dedi, — aut sunt homines maligni qui me persequuntur et calamitatibus inique me opprimunt.

Bonum profecto tibi erit, si agnoveris te ipsum malo quod pateris, causam dedisse. Deus propterea hæc super te venire permittit ut, tuam culpam agnoscens, humilieris et te emendes. Humilitas in defectibus sane Deo gratior est quam superbia in optimis operibus.

Si alii causa sunt malorum unde affligimur et humiliamur, illi quidem peccant· Deus autem peccatum non vult; sed, malum vertens in bonum, nobis calicem porrigit, ut nos cum resignatione illum bibamus.

II^um^ PUNCTUM.

a) Tota perfectio amoris nostri erga Deum in eo consistit ut Dei voluntati nos integre tradamus, id unice volentes aut nolentes quod Deus velit aut nolit. Hæc nostræ voluntatis oblatio sacrificium est Deo gratissimum. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*, ait Dominus (Prov., XXIII, 26), id est : ipsam tuam voluntatem.

b) Cuncta opera nostra, etiam si optima, dumtaxat media sunt quibus voluntati Dei nos conformemus : proinde tunc solummodo verum valorem habent, quando cum voluntate divina, sicut Deus id a nobis exigit, rite congruunt.

c) Quis pro incolumitate nostra atque salute æterna majorem curam impendere potest, ac reipsa vult, quam Deus ? Ipse se cum pastore comparat qui oviculam perditam sollicite quærit, et inventam portat ad ovile. Comparat se cum matre, quæ prolis suæ oblivisci nequaquam potest. Etiam cum gallina se comparat, quæ pullos suos sub alas colligit et defendit.

Itaque quid magis proficuum nobis contingere potest, quam, si totos nos Dei voluntati relinquamus et tradamus gubernandos? Stolidus profecto foret cæcus, qui,

ad oram præcipitii incedens, ab amantissimo parente se duci non sineret.

d) Insuper, quam dulcis pax cordis ex conformitate hac enascitur! Dum nihil aliud desiderat anima nostra quam quod Deus vult, tunc omnia illi ex voto et beneplacito succedunt : quoniam cuncta quæ in mundo accidunt, juxta Dei voluntatem fiunt. Talis anima semper in pace permanet, sive prospera fortuna gaudeat, sive sorte iniqua prematur. Pacato semper animo effatur : *Dominus est ; quod bonum est in oculis suis, faciat !*

e) Unum « Deo gratias » in adversis, inquit Venerabilis Avila, majoris valoris est et mercedis coram Domino quam millenæ actiones gratiarum in prosperis.

III^um^ PUNCTUM.

Hæc generatim consilia dant viri apprime spirituales qui de « sancta Indifferentia » scripserunt

a) In primis plurimum prodest, si *in rebus exiguis* quæ nobis obvenire solent, nos Dei voluntati conformemus. Ejusmodi res, uti sunt parva contradictio aut mortificatio, frequentius accidunt : unde sic consuetudinem acquirimus vincendi nos etiam in gravioribus.

b) Quod pertinet *ad munera et labores*, quæ nobis injunguntur, ea omnia propter obedientiam tamquam a manu Dei suscipiamus. Nunquam nos ipsi quidpiam in hoc genere quæramus, nec sponte nos in ea ingeramus. Ubique in omni officio cruces quædam occurrent ferendæ : si id agamus quod Deus a nobis exigit, dulci pace fruemur.

c) Quoad *dona et talenta* quæ a Deo accepimus, hoc apud nos statuamus : Deum juxta suum beneplacitum gratias et dona distribuere ; uni quinque talenta, alteri duo vel etiam unum tradere. Ille servus fidelis et bonus est, qui cum donis quæ a Domino accepit totidem alia lucrari conatur. Non pauci sunt quibus illustria dona, quæ gratis acceperunt, in suam perniciem deserviunt.

d) In *doloribus* quoque et *infirmitate* Dei voluntati conformes nos exhibeamus : quandoquidem illæ adversitates non minus dona sunt quam sanitas. Deplorandi profecto sunt illi qui impatienter infirmitates suas tolerant : tales enim propter suam impatientiam et querimonias nulla merita colligunt, nec interim dolores levant.

e) Etiam in spirituali *ariditate* ac *derelictione* acquiescamus Dei circa nos dispositioni, persuasum habentes omnia cooperari

in bonum diligentibus Deum, qui et ipse faciet cum tentatione proventum, quique tempore præfixo rore cœlestis gratiæ animam nostram humectabit et dabit lætitiam in corde nostro.

Semper et ubique cum sancto Ignatio Deum ita alloquamur : « Guberna, Domine, sicut scis et vis, nam scio quod amator sis. »

IV^um^ PUNCTUM.

Conformitas quam hucusque explicuimus, nititur admirabili doctrina quam proponit sanctus Ignatius in « Fundamento. » « Debemus, ait sanctus auctor, absque differentia nos habere circa res creatas omnes, prout libertati arbitrii nostri subjectæ sunt, et non prohibitæ ; ita ut, quod in nobis est, non velimus sanitatem magis quam ægritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præferamus. Necesse quoque est ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem æque sim propensus, ubi æqualis est divinæ laudis et salutis meæ occasio. »

Propterea assuescat sacerdos ad omnia quæ in hoc ordine rerum sibi accidere continget, dicere ex toto corde : *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (Matth.,

XI, 26). *Te Deum laudamus ! Deo gratias ! Ut vis, o mi Jesu, et quia vis.*

Sed quæcumque jam dicta sunt absorbet quodammodo nosque eximia sua pulchritudine ad se rapit illa animi cum voluntate Dei consensio quæ in scientia Sanctorum nomen accepit « Tertii gradus Humilitatis. » Vide supra, p. 47.

In hoc autem humilitatis gradu, sanctus Ignatius non solum finem creationis considerat, sed *superaddit aliquid :* videlicet *majorem imitationem Christi,* atque per hoc differt *Tertius humilitatis gradus* a secundo, quod in secundo consideratur solus finis creationis nostræ et ex eo oritur indifferentia animi ad utrumque, in tertio autem consideratur etiam *exemplum Christi :* ex quo oritur *desiderium eligendi,* ceteris paribus, *illud per quod magis illi assimilamur.* « Igitur, ubi æqualis fuerit laus et gloria divinæ majestatis, ad imitandum magis Christum, Dominum nostrum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere quam divitias ; opprobria cum Christo pleno opprobriis quam honores ; et magis desidero æstimari vanus et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam æstimari sapiens ac prudens in hoc mundo. »

In hoc sane gradu stabat magnus Apostolus, dum scribebat ad Corinthios : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (II Cor., VII, 4), et ad Galatas : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini* (Gal., VI, 14).

Hic « tertius humilitatis gradus, » qui castissimum erga Jesum Christum amorem in se complectitur, est velut compendium et culmen totius viæ illuminativæ. Est thesaurus absconditus in agro, qui bene emitur venditis omnibus quæ habemus. Est margarita illa quam sapiens negotiator comparat quantovis pretio. Hæc est sapientia illa cœlestis qua sanctus Ignatius suos filios instituit, non in *sapientia verbi*, nam erat homo litterarum plane rudis, quando composuit admirabilem illum Exercitiorum librum : *sapientiam* autem loquitur, *non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur ; sed* loquitur *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Revera enim tertius hic humilitatis gradus mysterium est in quo latet abscondita Dei sapientia, quam Christus complexus est his verbis : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me* (Matth., XVI, 24). Nihil itaque sanctus Ignatius in hoc humi-

litatis gradu docet *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (I Cor., I, 23), *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei* (Coloss., II, 3). De hoc addere licet : *Quicumque hanc regulam* (Tertii gradus) *secuti fuerint, pax super illos et misericordia* (Gal., VI, 16). Amen.

DE CRUCE TEMPLI SPIRITUALIS.

« Nullum est templum catholicum cujus tecto non superemineat signum redemptionis — Sic sacerdos qui dignum exstruere volet Deo templum, eminere debet sua *erga crucem* pietate. Ut Jesus crucem maximi æstimet, crucem amet, crucem ardentissimo affectu amplectatur. » (*Sacerdos*, t. IV, Recollectio XV).

Sit crux oculis nostris quod oculis erat sancti Augustini, nempe :

Cathedra docentis,
Tribunal judicantis,
Thronus miserentis.

Et re quidem vera ille quem in cruce suspensum videmus, — Magister est, sicut ipse dixit, — Judex est vivorum et mortuorum; — est et Rex regum et Dominus dominan-

tium. Hunc triplicem Jesu nostri titulum attenta mente et pio corde perpendamus.

I^um^ PUNCTUM. — Cathedra docentis.

Ex hac cathedra, docet nos amantissimus Magister tres veritates maximi momenti. Docet nos *malitiam peccati*, — *immensitatem amoris Dei erga peccatorem* — et *pretium tribulationum hujus vitæ.*

1° Docet nos Jesus malitiam peccati.

Sanctus quidam vir dicere solebat se majorem experiri timorem, videndo imaginem crucifixi quam videndo imaginem inferni. Et cum de causa interrogaretur, respondit ingenue : Dum video crucem, recordor peccatum causam fuisse eorum omnium quæ passus est Dominus noster, et simul mihi in mentem venit Paulum dixisse peccatorem iterum in corde suo Jesum cruci affigere, Augustinumque addidisse : Si Dominus Jesus mihi dixerit: Dimittuntur peccata tua, et si ego pergo peccando et sic morior, quid mihi proderit Jesum meum tot ac tanta pro me passum fuisse et in cruce exspirasse ? Ergo horreo peccatum, quia causa fuit passionis Dominicæ, quia eam renovat ad singula peccata quæ committuntur ; quia eam peccatori in statu peccati morienti inutilem reddit.

Quapropter, o sacerdos, hoc pactum ini cum Jesu : Quotiescumque oculos conjiciam in imaginem crucifixi, volo hunc oculorum jactum significare : Potius mori millies quam semel fœdari ! — Et sic sine voce innumeros poteris elicere actus *perfectæ contritionis.*

2° Docet nos Jesus immensitatem amoris Dei erga peccatorem.

Etenim, si quæro quare Deus Pater permiserit ut Filius suus, in quo tantopere sibi complacuit, tot ac tanta pateretur, et in cruce tam cruentam mortem subiret, respondet Jesus, dicens Nicodemo : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et si quæro quare Jesus ipse a Patre suo licentiam petiverit tot ac tanta patiendi, respondet sanctus Paulus : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

Et iterum, o sacerdos, ini cum Jesu tuo hoc pactum : Domine Jesu, quotiescumque aspiciam imaginem crucifixi, volo ut hic aspectus tibi dicat : Diligo te, et trado memetipsum pro te. — Et hic actus erit *actus eximiæ caritatis.*

3° Docet nos Jesus pretium tribulationum hujus vitæ.

Quare, o mi Jesu, tantopere tuam passionem et crucem amasti, ita ut aliquando te dicentem audiverint apostoli : *Baptismo*

habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur ? (Luc., XII, 50.) Unde tantus tibi amor et tantum desiderium eorum a quibus quam maxime solet animus humanus abhorrere ? Hoc, o mi Jesu, est responsum tuum admirabile : Veni in terras ut procurarem Patri meo quam maximam gloriam, et intellexi me non posse majorem ei conferre gloriam quam patiendo. Propterea tam ardenter pati et in cruce mori desiderabam.

Veni in terras ut etiam mihi, ut homo quam maximam gloriam compararem ; et intellexi nihil ad hoc aptius esse quam multa pati. Quod quidem dixi apertis verbis discipulis euntibus in Emmaüs : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* (Luc., XXIV, 26.) Propterea in votis habebam hæc omnia pati quæ passus sum.

Veni in terras ut fratres meos homines a servitute dæmonis liberarem, eosque donarem libertate filiorum Dei ; et intellexi ad hoc me maxime adjutura mala quæ mihi parabantur. Erat oculis meis crux mea tamquam clavis qua uterer et ad claudendum infernum et ad cœlum aperiendum. Quomodo igitur hæc mala poterant non esse mihi jucundissima ?

Tertium ergo ini pactum cum Jesu, o sacerdos, dicens : O Domine, quotiescumque oculi mei cadent in imaginem crucifixi, jam nunc mihi intentio est tibi offerre omnes tribulationes meas, omnes ærumnas et dolores, ad majorem Dei gloriam, ad propriam salutem et perfectionem, et ad utilitatem proximorum. — Et erit hic actus, actus *zeli apostolici* perfectus.

IIum PUNCTUM. — Tribunal judicantis.

Fingamus cum sancto Bernardo circa crucem Christi quasdam conspici voces, litteris igneis exaratas. Conspiciatur supra caput Jesu vox *Paupertas ;* subter pedes ejus vox *Humilitas ;* ad manum sinistram vox *Patientia ;* ad manum autem dexteram vox *Obedientia ;* e regione cordis vox *Caritas.*

Profecto has virtutes, quas « substantiales » vocare assuevimus, Jesus exercuit in cruce, et quidem in summo gradu excellentiæ et perfectionis.

Supponamus quinque sacerdotes, unum post alterum, genibus flexis crucem adorare et habere intimum cum Jesu e cruce pendente colloquium.

Primus dicit : Domine, amo te ex toto corde. Respondet Jesus : Fili, utinam id

quod dicis verum esset! Sed verum non est. Amor supponit similitudinem amantem inter et amatum. Quid legis scriptum supra caput meum? — Lego : *Paupertas.* — An ego, fili, pauper fui ? — Utique, Domine ; pauper in stabulo, pauper in exsilio, pauper in domo Nazarethana, pauper per vitam publicam, pauper in cruce. — Ubi, fili mi, paupertas tua ? Si pauper esses, saltem spiritu, non esset tibi tanta sollicitudo de bonis acquirendis,non tantus timor ne amittantur, non tanta animi dejectio pro minima rerum jactura. Pauperior sis, et tunc merito dicere poteris te vere me amare ex toto corde.

Et sic amantissimus judex nimium nostrum erga res creatas affectum damnat.

Secundus, adoratione facta, etiam declarat se ex toto corde Jesum amare. — Erras, respondet Jesus, o fili mi. — Quare erro, Domine ? — Quia similis mihi non es in omnibus. Lege id quod scriptum est subtus pedes meos, et intellige magnam exstare me inter et te dissimilitudinem ex parte humilitatis. An ego humilis fui ? — O Domine, adeo humilis ut dixeris per prophetam tuum : *Vermis sum ego et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis ;* adeo humilis ut dixerit Apostolus tuus : *Exinanivit semetipsum.* — Tua vero humilitas,

fili mi, ubi est? Si humilis esses, non tam frequenter injiceres sermonem de te et de rebus tuis. Non tam facile talenta tua jactares et opera ; non tam cito caderes animo, ingruente vel minima humiliatione. Disce ergo a me, quia humilis sum, et tunc vere affirmare poteris te sincere me amare.

Et sic optimus judex noster damnat nostram superbiam et nostram vanitatem.

Tertius accedit ad crucem cum festinatione ; prolabitur in genua cum impetu, et dum dicit : Amo te ex toto corde, præcipitat syllabas ; est enim vir magnæ impatientiæ.

Benigne et suaviter respondet Jesus : Deest similitudo me inter et te, fili mi, quoad patientiam. An ego patiens fui, fili mi? — Domine, tanta erat patientia tua, ut te ostenderit propheta euntem ad mortem tamquam ovem quæ ad occisionem ducitur et non aperit os suum. — Ergo, fili mi, exhibe te in omnibus patientem, et tunc merito numeraberis inter illos qui toto corde amant me.

Et sic Jesus judicat et damnat benignissime nimium nostrum impetum in loquendo et agendo.

Quartus venit ad adorandum, dicens : Adoro te, mi Jesu, et ex toto pectore te diligo. — O fili mi, quam longe distas a

veritate! — Quare hoc dicis, Domine? — Quia maxime dissimilis es a me in virtute quam frequenter et instanter dilectis meis discipulis commendavi. Quid legis ad meam manum dexteram? — Lego: *Obedientia.* — An ego fui obediens? — Profecto, Domine, siquidem dixit Apostolus tuus: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* — Assuesce itaque, o fili mi, obedire superioribus tuis obedientia vere sacerdotali, obedientia cæca, obedientia muta, obedientia prompta, obedientia exercita in spiritu fidei et amoris. Et tunc locum habebis inter meos veros amatores.

Et sic retunditur a Jesu omnis species inobedientiæ.

Quintus accedit ad crucem, veluti spirans flammas amoris, et quasi ignitis verbis protestatur se Dominum suum diligere ex toto corde. Videor mihi, inquit, omnes in hoc amore superare. — Fili mi, falleris vehementer, si hoc tibi persuadeas. Quid scriptum vides e regione cordis mei? Video scriptam vocem *caritas.* — An ego unquam visus sum aliquem ex mea caritate excludere? — Neminem, Domine; ne inimicos quidem tuos crudelissimos. — An tu, fili mi, sic agere soles? Cur video in corde tuo nonnullorum fratrum nomina calculo nigro

notata ? Dele hæc rancoris signa ; oblivioni da omnem injuriam a te acceptam ; expelle omnem vindictæ appetitionem ; omnes sine exceptione amplectere fratres : et tunc cum veris amatoribus meis contendere poteris de primo loco in dilectione.

Et sic, o Jesu, arguis paterne in nobis quidquid contrarium est genuinæ et perfectæ *caritati fraternæ.*

Non sine fructu identidem scrutabitur suam conscientiam pius sacerdos juxta has quinque voces cruci Jesu circumscriptas.

III^um^ PUNCTUM. — Thronus miserentis.

Aspice, o sacerdos, regem tuum pendentem in cruce. Totus amabilis est, totus desiderabilis, totus spirans amorem, suavitatem, misericordiam.

Quare, o mi Jesu, oculis nostris appares *brachiis extensis ?* Nonne ut invites ad amplexum sacerdotem tuum quem torquent mala, quem cruciant ærumnæ, quem mordet peccatorum recordatio, quem in animi dejectionem impellunt hominum injustitiæ ?

Quare appares nobis *capite in pectus inclinato ?* Nonne ut peccatorem ad osculum attrahas misericordiæ et reconciliationis ?

Quare exhibes nobis *manus et pedes clavis perforatos et totum corpus tuum sanguine*

manans? Nonne ut salutare nobis præbeas balneum, in quo peccatorum nostrorum sordes in æternum deleantur?

Cur conservare voluisti *aperturam* quam crudelis lancea militis in latere tuo fecit? Nonne ut miseris et pusillis aditus aperiretur *ad cor tuum* tamquam ad tutissimum refugium, ad arcem inexpugnabilem, et paradisum?

Verum, o Jesu, ex hoc throno tuo eloquentius quam dum vivebas, clamas ad nos: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

O quanta vis in hoc verbo, *Ego! Ego* scilicet, qui potens sum potentia infinita, sapiens sapientia infinita, bonus bonitate infinita, amans infinito amore. *Ego*, talis et tantus, reficiam vos, vos illuminando, corroborando, consolando. Et re quidem vera, o benignissime Salvator, quoties debui in tristitia mea et in mea afflictione dicere cum sanctissimo tuo Job: *Verbosi amici mei; ad Deum stillat oculus meus* (Job, XVI, 21).

Tu attendis ad lacrimas meas; tu lacrimis compateris meis; tu lacrimas consolaris, juxta jucundissimam tuam promissionem: *Beati qui lugent, quoniam consolabuntur.*

***

Adeamus ergo cum fiducia ad *thronum*

gratiæ et *misericordiæ*, invitante sancto Paulo (Hebr., IV, 16) ; et dicamus ut est in Breviario : « Quia semel venimus « ad cor dulcissimum Jesu, et bonum est « nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli « ab eo de quo scriptum est : Recedentes a « te in terra scribentur. Quid autem *acce-* « *dentes ?* Tu ipse doces nos. Tu dixisti « accedentibus ad te: Gaudete quia nomina « vestra scripta sunt in cœlo. Accedamus « ergo ad te, et exsultabimus et lætabimur « in te, memores Cordis tui. O quam bonum « et quam jucundum habitare in corde hoc ! « Quin potius dabo omnia ; omnes cogita- « tiones et affectus mentis commutabo, « jactans omnem cogitatum meum in cor « Domini Jesu, et sine fallacia illud me « enutriet... Quis illud cor tam vulneratum « non diligat ? Quis tam amans non reda- « met ? Quis tam castum non amplectatur? « Nos igitur adhuc in corpore manentes, « quantum possumus amemus, redamemus, « amplectamur vulneratum nostrum, cujus « impii agricolæ foderunt manus et pedes, « latus et cor : stemusque, ut cor nostrum, « durum adhuc et impœnitens, amoris sui « vinculo constringere et jaculo vulnerare « dignetur. Amen. »

CAPUT QUARTUM.

De turri templi spiritualis.

DE Turri templi spiritualis, jam aliquid scripsimus in libello *Sacerdos*, tom. IV, Recollectione XV, ad vocem *Turris*. — Hæc, dicebamus, ad cœlum se attollit atque vertice nubes velle penetrare videtur. Dicunt archæologi templorum *turrim* significare mentium et animorum ascensum ad cœlum, et sic esse aliquo modo materialem expressionem verborum quæ Ecclesia ponit in labiis suorum sacerdotum dum Missam celebrant : *Sursum corda !* — In nostro igitur templo spirituali turris est *excelsitas cogitationum nostrarum et affectuum*, eo sensu quo quidam servus Dei ad fratres suos exclamabat: « Eia, fratres, ne degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei ! » Est nempe :

1° Habitare in cœlestibus cum Christo ;

2° Lætari de his de quibus lætatur Christus;

3° Tristari de his quæ Christo displicent;

4° Libenter se cum Christo *exinanire*, profundissima humilitate. Qui autem se humiliat, exaltabitur.

Aliis verbis, est *rejicere fortiter* ea omnia quæ spiritui Jesu contraria sunt; *contemnere fortiter* ea omnia quæ spiritui Jesu conformia non sunt; *amplecti totis viribus* quæ scimus spiritui Jesu conformia esse; ad quod nos hortatur Apostolus, dicens: *Quæ sursum sunt, quærite; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (Coloss., III, 1 et 2).

Est summatim has habere animi dispositiones, ut quæ mundo *amara* sunt, nobis sint *dulcia*; et quæ mundo sunt *dulcia*, nobis sint *amara*.

*
* *

De hac animorum excelsitate non pauci disseruerunt sancti Patres.

Magnanimitas, ait sanctus Bonaventura, est difficilium spontanea et rationabilis aggressio (*Centiloq.*, parte III, sect. 43).

Magnanimus est, addit idem, qui ad universa sustinenda patiens est, et qui nullis passionibus perturbatur (*De profectu relig.*, lib. 2, cap. 34).

Magnanimitas, ait Hugo a sancto Victore, est generosa quædam excellentia animi, res difficiles et arduas pulchre et fortiter administrantis (*De fruct. carnis et spir.*, cap. 1).

Major animus merito dicendus est, ait S. Augustinus, qui vitam ærumnosam magis

potest ferre quam fugere (*De Civitate Dei*, lib. I, cap. 22).

Magni, ait Clemens Alexandrinus, et excelsi animi virtutis species sunt : tolerantia, ingens spiritus, magnitudo animi et liberalitas, magnificentia (*Strom.*, lib. VII, cap. 3).

Magnus est qui vicerit magna : ingentis virtutis est ingentia superare *(Epist. 5 ad Amicum*, inter epist. s. Hier.)

Ille magnanimus est, ait s. Joannes Chrysostomus, qui vere est humilis, non adulator, non contemptor.

Is excelsi animi est, qui pecuniis et gloria et nulla ejusmodi re indiget ; sed qui ea omnia contemnit et in seipso suam servat magnanimitatem (Idem, *Homil. 1 super 1 Cor.*).

Magnanimum illum esse denuntio, ait s. Laurentius Justinianus, qui renuntiat seculo, carnis lenocinia calcat, perfectionis arcem conscendere nititur. *(Serm. de S. Hugone).*

Stat magnanimus, imperterritus corde, desiderio accensus, lætus animo, fide fundatus, spei consolatione repletus virtutumque protectione securus. *(Ibid.)*

Hæc est, ait Petrus Blesensis, laudanda magnanimitas, quæ prosperis non extollitur, nec frangitur adversis, sed, in omni eventu permanens eadem, sufficit ipsa

sibi. (*Epist.* 177, ad reginam quamdam.)

In desperatis rebus, ait s. Petrus Damianus, gloriosum est fortiter agere (*Opusc.* 48, cap. 4).

Nullus diffitebitur sub verbis hucusque allatis latere *principium* profundissimæ sapientiæ et altissimæ perfectionis ; quod aliud non est ac principium SCIENTIÆ SANCTORUM. Videlicet, ductore sancto Paulo, *sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus seculi... sed loquimur Dei sapientiam in mysterio* (I Cor., II, 6 et 7).

Confido lectoribus meis non injucundum accidere, si materiam tanti momenti et omnium judicio summæ utilitatis, fusius tractare gestiam.

Scientia autem hæc sanctorum fundatur, primo, in illo effato Psalmi LXXXI, *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes ;* deinde in his verbis Sap. V, ubi dicitur de justis : *Cogitatio illorum apud Altissimum ;* et tandem in promisso Christi (Joan., XII): *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

Si ergo sacerdotes sunt filii Excelsi, uti sunt reapse, non debent degenerare ab excelso spiritu, et consequenter ab excelsis cogitationibus.

Si item sacerdotes sunt justi, uti debent esse, cogitatio illorum debet esse apud Altissimum, proindeque excelsa.

Si denique sacerdotes sunt tracti a Christo exaltato a terra, cogitationes eorum debent esse exaltatæ seu excelsæ.

Per *cogitationes* vero hic non solum actus intellectus intelliguntur, sed etiam actus voluntatis et resolutiones heroicæ: quæ omnia ad *tria capita* reducit P. Pawlowski, S. J., in egregio opere *Locutio Dei ad cor religiosi*, nempe: ad *agere*, ad *pati*, ad *omittere*.

Capitulum I^um^: Agere.

Primum caput excelsarum cogitationum a filiis Dei haberi solitarum, ait Pawlowski, est: *Agere;* hoc est:

1. Elicere desideria ardentia et insatiabilia tolerandi injurias, probra et omnis generis adversitates. Hoc desiderium in Christo Filio Dei tota vita perdurabat; quod colligunt ss. Patres ex verbis ejus, Luc. XII: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur!* Desideria itaque prædicta sunt cogitationes filiorum Dei excelsæ, utpote in Christo Filio Dei sublimatæ et deificatæ.

2. Gloriari in Cruce Domini nostri Jesu

Christi, hoc est, gaudere et honori ducere omnes despectus, contemptus, injurias, persecutiones, etc. Gloriationem hanc esse excelsam filiorum Dei cogitationem, probarunt apostoli, fratres Domini Jesu, qui *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quod digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati.*

3. Peculiariter affici erga inimicos omnesque qui aliquando molesti exstiterunt; ferventi caritate eos diligere; gratias singulares eisdem a Deo expetere, et omne malum ab illis, et oratione et re, depellere conari. Hæc cogitatio vere est excelsa, quia a Filio Dei pro crucifixoribus orante in cruce est exaltata.

4. Statuere seipsum centrum odiorum totius mundi, maledictorum, calumniarum, detractionum, cruciatuum, cum tota intensione et duratione eorum. Et hæc cogitatio excelsa est; superat enim totum mundum. Usitata est Filio Dei, qui pro nobis factus est maledictum.

5. Velle alienos defectus sibi attribui, et sub nomine suo vulgari; excusationes suas non recipi; a superioribus damnari et puniri; ex meris suspicionibus, sinistris relationibus, confictis conjecturis traduci, et tandem facere omnes absolutos famæ suæ

dominos, quantum in se est, nulloque modo ad restituendum obligatos. Excelsam hanc cogitationem esse, probat seipso Filius Dei, mortuus propter peccata nostra, accusatus ex confictis criminibus, damnatus, etc.

6. Contentissimum esse quovis, etiam ignominiosissimo molestissimoque, officio a superioribus injuncto, omni item loco, superiore, cubiculo, etc.; sicut Filius Dei contentus fuit permolesto circa peccatores salvandos officio, latibulo Ægypti et Nazarethano; contentus præsidibus, quamvis sceleratis, suisque persecutoribus.

Capitulum II^um^: Pati.

Alterum caput excelsarum cogitationum filiis Dei usitatarum, est *pati* cruces omnis generis et a toto universo; pati omnes permissiones Dei; omnes omnium dæmonum insectationes; omnes omnium hominum injurias; pati in corpore et anima, in fama et quibusvis aliis bonis; pati per linguas, calamos, suspiciones, judicia, murmurationes, irrisiones, etc.; pati autem innocenter sine murmuratione, sine appetitu vindictæ, etiam a Deo faciendæ; pati quamdiu libuerit Deo.

Caput hoc excelsarum cogitationum summum obtinuit gradum in Filio Dei, passo

in carne nostra ; ad cujus imitationem hortatur nos primus ejus in terris Vicarius, I Petri, IV : *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.*

Per talem cogitationem resolutionemque citissime ad prælatum perfectionis fastigium pertingi, aiebat sanctus Ignatius.

Capitulum III^um^ : Omittere.

Tertium caput excelsarum cogitationum in filiis Dei reperiri solitarum, est *omittere* seu negligere ; hoc est :

1. Nullam laudem aut gratitudinem ab ullo, pro quacumque re, sperare, desiderare, aut de ea oblata complacere.

2. A nullo ex superioribus, æqualibus et inferioribus ullam sui rationem respectumque ob ætatem, officia, merita, haberi velle.

3. A nullo hominum consilia sua intentaque probari velle.

4. Apud nullum hominem gratiam aucupari, quærere, curare, nolleque ut ulla creatura se amet, sed potius omnes oderint, in doloribus suis gaudeant et gemitus suos non curent.

5. Silere in delationibus et accusationibus, nec se excusare ullo modo, nisi hoc silentium in damnum gloriæ Dei bonique communis cedat. — Nunquam item affli-

ctiones suas ulli exponere, nec desiderare ut innocentia sua ab aliis sciatur.

6. Ab omni officio et actione, in ipsa etiam ultima manus impositione, ad nutum superioris statim recedere, etiam cum ignominia et aliorum insultatione

7. Sibi ipsi non compati, nullumque dolorem promere.

8. Nullam commoditatem ex ulla creatura quærere.

9. Nihil coram alio in laudem sui narrare, sed penitus se et sua nesciri velle.

10. Nunquam inquirere de applicatione sui ad aliquod officium, et nescire omnia ad se non pertinentia.

Tales omissiones et neglectus fuerunt in Filio Dei, qui non solum neglexit seipsum, sed etiam exinanivit.

Cujus altissimo exemplo, ait P. Pawlowski, adjungo, exiguæ appendicis instar, id quod legi in manuscriptis Patris Gasparis Druzbicki [gravissimi theologi S. J.], de Patre Laurentio Susliga, celebri olim concionatore, qui cum a quodam Provinciali ex cathedra Leopoliensi [in Polonia], in qua cœperat concionari, amotus fuisset, et missus esset Luceoriam ad idem officium, eamque humiliationem, ut illi a quibusdam insultabatur, moderato ac religioso animo

tulisset, in eo ipso loco a Deo maxime exaltatus et tam regno quam Societati ostensus fuit. Cumque ex illo loco esset abiturus, vidit in somnis B. Virginem cum puero Jesu ; qui ait illi : *Pete a me quidquid vis.* Tum ille : *Mi Domine, quid petam aliud, quam ut tecum sim in æternum ?* Respondit puer Jesus : *Eris.* Ait ille : *Domine, non satis credo ; nam sum miser peccator.* Tum Dominus Jesus . *Do tibi*, inquit, *manum meam, quod futurus sis mecum in æternum.* Apprehendit ille manum sanctissimi pueri, et evigilavit.

DE CAMPANIS TEMPLI SPIRITUALIS.

In turri ecclesiarum deesse non possunt *campanæ.* Tanti fiunt a fidelibus ut nonnisi cum quadam pompa religiosa in campanili suo appendantur, et non nisi accepto quodam baptismo admittantur ad edendas aëreas suas voces. Harum cum campanis spiritualibus comparatio non vacabit utilitate.

In nostra structura spirituali, campanæ nostræ sunt mores nostri, actiones nostræ, nostri sermones, tota nostra agendi ratio, juxta hæc verba Christi Domini : *Videant*

opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (Matth., v, 16).

Consideremus igitur in quibus hæc duo genera campanarum inter se convenire debeant, in quibus inter se discrepare.

I. *Rationes similitudinis.*

1° Conveniunt inter se *ratione functionum.*

Etenim sicut campanarum ope vocantur fideles ad officia sacra, proclamantur gaudia Ecclesiæ Matris, et indicatur non raro pompa funebris : ita, o sacerdos, modo loquendi, modo agendi, attrahere debes filios tuos spirituales ad servitium Dei, gaudiorum verorum eis aperire fontes, et eos docere artem flendi cum flentibus et cum lugentibus compatiendi.

Tota igitur facies tua hilaritatem præ se ferat potius quam tristitiam, ut omnes intelligant quam felices simus in nostra sancta vocatione, quamque suave sit jugum Domini et onus ejus leve.

In diebus autem luctus, quando scilicet persecutionem aliquam patitur Ecclesia, cum illa *lugeamus*, et videant nos non esse indifferentes erga Matris nostræ dolores.

Incredibile est quantæ sit efficaciæ pastoris exemplum ad ovium promovendam pietatem.

O quam verum est adagium antiquorum : *Qualis pater, talis filius !* Non una parochia, quam vitiosa præcedentium pastorum vita ad tristissimum statum adduxerat, brevi tempore junioris pastoris fervore et pietate ad stupendam pervenit conversionem. Utinam intelligerent omnes quos ad curam animarum vocavit divina Providentia, se debere esse *sal terræ, lucem mundi, et civitatem alte positam*, ad quam attrahantur animæ tamquam ad scholam omnium virtutum, et tamquam ad arcem omnis sanctitatis.

Inutilis campana non edens sonum ; inutilis pastor non dans exemplum virtutum.

2° *Ratione loci* unde suas emittunt voces.

Ut omnes percipere valeant sonum campanarum, necesse est ut sonus dilabatur ex alto ; et quo altius collocata est campana, eo certius sonus ejus ad aures perveniet.

Sta igitur, sacerdos, in alto, si plures desideras præire exemplo. Altitudo tua, spiritus fidei ; altitudo tua, soliditas spei ; altitudo tua, ardor caritatis. Omnia igitur assuescas aspicere oculo fidei, firmiter credens nihil posse tibi accidere quin id voluerit Deus ; assuescas omnia sperare, fortiter credens Deum nihil velle nisi id quod debeat tibi prodesse ; assuescas niti Dei

omnipotentia, infinita sapientia, infinita bonitate. Utique, in alto stabis, si *quæ sursum sunt sapias, si quæ sursum sunt quæras, non quæ super terram.*

3° *Ratione ligaminis.*

Liberæ non sunt campanæ, sed ligatæ trabi, ut ita transire nequeant de loco ad locum, de turri ad turrim.

Discat sacerdos libenter manere in loco ad quem deputatus est a legitima auctoritate ; ita tamen ut non omittat sibi comparare studendo ea omnia quibus juvari poterit, si forte mittatur a superioribus suis ad turrim altiorem.

II. *Rationes discrepantiæ.*

1° Campanæ vocant populum ad ecclesiam ut officiis intersint divinis, dum ipsæ extra parietes ecclesiæ manent. Turpe profecto esset, si hac in re assimilaretur sacerdos campanis ecclesiæ suæ. Campanis autem assimilaretur, si ad pietatem alios excitaret, ipse pietatis acquirendæ incuriosus... si ad celebrandas Ecclesiæ festivitates alios exhortaretur, ipse illarum prorsus negligens... si alios ad suavitatem famulatus Domini gustandam impelleret, ipse apparens tristis et tædio tabescens... si in aliqua publica clade parochianos induceret ad placandam Dei justitiam dignis operi-

bus pœnitentiæ, ipse domi cum amicis delicato convivio se recreans ;... si alios ad eleemosynas liberaliter et generose erogandas provocaret, ipse contracta manu sordidam ostendens avaritiam ;... si ægrotantibus prædicaret patientiam, ipse minimi doloris impatiens. Uno verbo, campanis assimilaretur sacerdos, si vitæ ratione mereretur Christi exprobrationem dicentis : *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum ; digito autem suo nolunt ea movere* (Matth., XXIII, 4).

2° Campanæ dum edunt sonos suos, sive lætos sive lugubres, sive vividos sive languidos, nihil experiuntur in se ex iis quæ tam admirabiliter exprimere creduntur. Absit ut ex hac parte similitudo sit sacerdotem inter et campanam. Verissimum effatum est : *Nemo dat quod non habet.* Habere igitur conetur sacerdos animi sensa quæ contendit suis ovibus communicare; secus de ipso diceretur quæ dicit Paulus de quibusdam : *Æs sonans aut cymbalum tinniens* (I Cor., XIII, 1).

3° Inveniuntur campanæ quæ, postquam diu naturalem, justum et suavem ediderunt sonum, subito audiuntur dare, non jam sonum, sed nescio quem fremitum insolitum absurdumque.

Unde hæc tanta mutatio? *Fissa* est campana, vel vetustate, vel excessu frigoris, vel imprudentia pulsatoris. Fissa, jam non potest inter campanas socias locum occupare.

Infelix tu, o sacerdos, si aliquando similis inveniaris campanæ fissura laboranti. Talis esses, si post vitam bonam, vere sacerdotalem ac plenam ædificatione, viderent fideles fatiscentem te pigritia, tepiditate, officiorum neglectu, nimia commodorum exquisitione, garrulitate, criseos spiritu et defectu caritatis.

Talis esses, si dares aliis ansam suspicandi nefarias res, propter nimiam cum puellis vel cum juvenibus familiaritatem.

Talis sine ullo dubio esses, si hæc sacerdotalis spiritus jactura evaderet in scandalum. Quod Deus benignissimus avertat!

4° Non raro in eadem turri plures conspiciuntur campanæ, quasi in societatem ordinatæ. Quid, quæso, suavius est, quid jucundius harmonia campanarum illarum numerose et modulate canentium? At si vel una ab aliis inceperit discrepare, vel citius, vel lentius vel absurde edendo sonum suum, jam tota fere evanescit admirabilis hæc harmonia.

Multæ exstant parœciæ ubi plures sacer-

dotes conjunctis viribus sacro ministerio dant operam. Si unus apud eos animus sit, si una vox, si unus conatus, si una ad Dei gloriam et ad animarum salutem aspiratio, si tandem ibi cor unum sit et anima una, hanc per aerem crederes pervolitare dulcisonam melodiam: *Ecce quàm bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Et hinc profecto omnium fidelium sancta admiratio et summa ædificatio. Contra, si vel minima inter sacerdotes appareat discordia, vel animorum mutua aversio, vel tristis zelotypia, vel mutuæ famæ laceratio, vel diversitas in modo loquendi et agendi, non jam dulcis permulcet aures melodia, sed dissonum quiddam auditur ac tumultuosum. Inde totius parœciæ perturbatio, periculis plena.

Qua tunc fronte, o sacerdos, parochianos tuos hortaberis ad concordiam in sua familia sedulo conservandam, qui hanc ipsam concordiam in familia sacerdotum prorsus flocci facere videaris?

Ne permittas, o Jesu, ut sacerdotum tuorum mente elabatur unquam memoria hujus jucundissimæ veritatis: Unio parit fortitudinem, unio parit felicitatem, unio parit ædificationem

DE GALLO IN TURRI TEMPLI SPIRITUALIS.

Gallus iste est instrumentum mobile in summa turri positum, referensque imaginem galli qui, quo flat ventus, continuo se vertit. Adhuc edere videtur cantum illum quem audiens Petrus etiam deinceps post passionem Domini, amare lacrimabat.

Hic gallus non desit in structura nostra spirituali ; multa enim et quidem non exigua vitæ spiritualis documenta nobis suppeditabit attenta ipsius consideratio.

CONSIDERATIO

De Gallo in turri templi spiritualis.

Gallum hunc considerare possumus : 1° ut *memoriale ;* — 2° ut *incitamentum ;* — 3° ut *signum* seu symbolum.

Iᵘᵐ PUNCTUM : Gallus in turri, memoriale.

I. — Revocat *primo* in memoriam nostram id quod narrat sanctus Clemens, sancti Petri discipulus et successor : Adeo pœnituisse Petrum, ut per totam deinceps vitam singulis noctibus audiens galli cantum in genua procideret, amaras funderet acrimas et peccati, licet jam remissi,

iterum veniam a Christo flagitaret. Hinc etiam oculi ejus ex assiduo ploratu apparebant quasi sanguine respersi, teste Nicephoro, lib. 2, cap. 37. Denique lapsum hunc compensavit Petrus austere usque ad mortem vivens, lupinos comedens, teste sancto Gregorio Nazianzeno in Oratione de amore pauperum ; item assiduis laboribus, apostolicis persecutionibus, ærumnis, ac denique morte crucis, quam pro Christo constantissime et lætissime sustinuit (Cf. Corn. a Lapide).

Utinam et tu, o sacerdos, assuesceres hunc gallum aspicere oculo fidei, ita ut memorem te faciat delictorum in vita tua commissorum, tum etiam misericordiæ et caritatis qua Jesus ea in æternum delere dignatus est !

II. — Revocat in memoriam *secundo* admirabile colloquium Christum inter et Petrum in ultima cœna et in via ad montem Oliveti habitum.

Sane peccavit Petrus, et quidem tripliciter :

1° Quia audacius Christo asserenti refragatur et obstrepit, ut ejus prædictionem in se cassam fore ostendat ;

2° Quod arroganter ceteris se præfert ;

3° Quod nimium præsumit et viribus suis

confidit. — Conscius enim infirmitatis humanæ, debuisset orare et dicere : Voluntatem meam, Domine, tua gratia corrobora ; meque, ne in peccatum labar, fulci et sustenta.

Simile aliquid experimur in nobis. Putamus enim sæpe nos fortes esse in fide, in castitate, in patientia : at ubi tentatio ingruit, titubamus, trepidamus et subinde ruimus. Remedium ergo tentationis est propriæ infirmitatis agnitio et divinæ opis imploratio. An hoc uteris remedio, o sacerdos, in omni tua tentatione ?

III. — Revocat in memoriam *tertio* triplicem sancti Petri negationem.

Ergo Petrus peccavit, graviter peccavit, et quidem tripliciter peccavit. Gravius et gravius negat : primo simpliciter, dein cum juramento, denique cum exsecratione sui et juramento.

Porro dicendum est Petrum ita negasse ut tamen fidem non amitteret. Peccatum ejus est contra confessionem fidei, non contra fidem. (Cf. *Cursus Scripturæ sacræ* Lacensis S. J., in Matth. xxvi.)

De hoc lapsu Petri audiamus quæ dicit præclarissimus scriptor, Jansenius Gandavensis : Petrus itaque qui tam gloriose prius Domino promiserat se non negaturum,

etiamsi moriendum esset, ancillulæ vilis commotus voce, mox negat se esse unum ex discipulis ; immo ne nosse quidem aut scire se eum qui nominabatur asserebat. Qui ante pugnam sibi vindicavit victoriam, hic trepidat ante tubam. Non in tormentis et in equuleo exsistens, sed mulierculæ tantum voce pulsatus, Christum negat, quem prius confessus fuerat Filium esse Dei vivi. Stricto ensi jugulum dedisset, sed ecce linguam mulierculæ pavit.

Ita fragilis est, pergit auctor, humana natura sibi relicta ; ita fragilitatem ejus declarari conveniebat qui de se jactanter nimis præsumpserat. Nec prætereundum est quod a muliercularum aggressu et suggestione Petri cœperunt negationes.

Ab his cave, o sacerdos.

Neque omittunt monere scriptores ecclesiastici quomodo lapsu sancti Petri docea mur ut occasionem peccatorum et impiorum societatem fugiamus et vigilemus, orationi instantes.

IV. — Lapsus hic in memoriam nostram revocat *quarto* misericordiam et benignitatem Jesu.

Petrus enim qui propria infirmitate lapsus erat, *gratia Christi erigitur*.

Matth. xxvi, 74, 75 : Et continuo gallus

cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat : « Prius quam gallus cantet, ter me negabis. » Hanc autem recordationem et resipiscentiam ad Jesu miserentis gratiam esse referendam, explicite docemur ex Luc., XXII, 60, 61 : « Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus; et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini. » Eo itaque momento *(ut explicat P. Knabenbauer, S. J. in Cursu Scripturæ citato)* Dominus e conclavi synedristarum per ministros educitur in atrium, ut ibi quoque contumeliis servorum afficeretur (Luc., XXII, 64, 65), vel ut per reliquam noctis partem in custodia teneretur. Jesus autem transiens, aspectu misericordiæ Petrum respicit, et gratia sua mentem ejus illustrat. Et confestim ceciderunt veluti squamæ ab oculis mentis ejus. Summo dolore agnoscit culpam, verum in aspectu et vultu Domini misericordiam, gratiam, amorem Jesu percipit, *et egressus foras flevit amare.* Miremur Domini benignitatem, qui provide disposuit ut eo momento in atrium educeretur, ad opem ferendam suo apostolo misere lapso! Petrus autem egreditur foras de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes amaris fletibus lavet (SS. Hier. et Beda).

« Dominus Jesus paventis animum, mox ut respexit, erexit, et in fletus pœnitudinis incitavit. Felices, sancte apostole, lacrimæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis. Adfuit enim dextera Domini Jesu Christi qui labentem te, priusquam dejicereris, exciperet ; et firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. » (S. Leo, *serm. 9 de Passione, cap. 4.*)

Etiam digna sunt quæ apponantur verba sanctæ Birgittæ : « Tenebatur Dominus a turbis, et tamen discipuli memor, solo respectu consolatur, et sanat, et sui vultus illuminatione ad spem veniæ invitat. Cognoscit igitur Petrus reatum suum ; cognoscit et voluntatem Domini sui, dolet et pœnitet. Egreditur foras, relinquit concilium malignantium, locum petit secretum, lacrimis et pœnitentiæ amicum. Flet amare, certissime intelligens quod sacrificium est Deo spiritus contribulatus. Hic est pœnitentiæ modus : peccasti ? quiesce, dole, lacrimare et disce cum apostolo flere amare. »

Dominus vero inter tot supplicia, sui quasi oblitus, curam egit Petri, ut eum quasi ovem perditam in viam salutis revocaret insigni amoris testimonio *(Cfr. a Lapide)*.

Audi sanctum Leonem, *serm. 3 de Passione :* « Respexit Dominus Petrum, et inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium et conspuentium injurias constitutus, illis turbatum discipulum convenit oculis quibus eum præviderat esse turbandum ; et in illum conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio, quasi quædam ei vox Domini insonaret, ac diceret : Quid habes, Petre ? Quid in tuam conscientiam recedis ? Ad me convertere, in me confide, me sequere. Meæ passionis hoc tempus est ; nondum venit tibi hora supplicii. Quid metuis quod etiam ipse superabis ? Non te confundat infirmitas quam recepi. Ego de tuo fui trepidus : tu de meo esto securus. »

« Fieri non poterat ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi. » (S. Hier.)

IIum PUNCTUM : Gallus in turri, incitamentum.

I. Cur autem Christus permiserit Petrum ita labi, jam veteres varias afferunt rationes. Magnæ id actum esse pietatis dispensatione, dicit sanctus Gregorius (*Hom. in Evang.* 21, n. 4) ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque Deus

eum ostendit sibi, et tunc præposuit ceteris, ut ex sua infirmitate cognosceret quam misericorditer aliena infirma toleraret. Similiter sancta Birgitta et Euthymius : Ut ignoscere disceret his quoque qui labuntur, horum imbecillitatem ex sua cognoscens.

Dein, ex ejus lapsu discendum esse spem pœnitentiæ dari omnibus. Ob hoc enim, sicut apparet, hæsitare permissus est, ait sanctus Leo Magnus, ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur.

Porro, ne quis propriis viribus, sed soli Dei gratiæ confideret ; nam, ut ait sanctus Ambrosius, hæc ideo scripta sunt ut sciamus neminem jactare se debere ; nam si Petrus lapsus est quia dixit, *Etsi alii scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, quis alius jure de se præsumat ?

Neque omittunt monere etiam in ipsius Petri utilitatem, pro Jesu clementia, lapsum cessisse : ut magnorum, ait Euthymius, factus operator miraculorum, modestus sit, ac sui casus recordatus Deo omnia adscribat. — In se expertus amorem Jesu, eo ardentiori amore eum prosecutus est. Trinam enim negationem, ut ait s. Hieronymus, *epist. 42 ad Marcellam*, trina postea confessione delevit.

II. Ex hoc articulo negationis Petri plura habentur documenta.

Primum est, quod prælatus Ecclesiæ debet esse talis qui infirmitatibus subditorum compati sciat: quia, secundum sanctum Gregorium, ideo Dominus Petrum cadere permisit, ut et fortius post casum resurgeret, et ut is qui futurus pastor Ecclesiæ erat, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri deberet, et ex sua infirmitate cognosceret quam misericorditer aliena infirma toleraret. Et secundum Chrysostomum, Christus permisit Petrum labi, ut prælatis exemplum præberet fragilitati subditorum melius compatiendi. Nam, secundum eumdem, ideo angelis non est commissa sacerdotalis potestas, ne, cum ipsi minime peccaverint, de sua innocentia præsumentes, alios sine misericordia judicarent; sed potius est commissa homini fragili et peccanti, ut circa aliorum lapsum se mitem præbeat et benignum.

Secundum est, quod nullus debet se jactare et extollere, aut de sua virtute et viribus præsumere. Unde Leo Papa, quem jam audivimus: Ob hoc Petrus hæsitare permissus est, ut in ipso Ecclesiæ principe conderetur remedium pœnitentiæ; et nemo auderet de sua virtute confidere, quando

mutabilitatis periculum nec ille tantus potuisset evadere. Unde et Chrysostomus: Hoc evangelistæ scripserunt, nos erudire volentes, quantum malum sit non Deo totum concedere, sed in seipso confidere. Unde etiam Ambrosius: Hæc autem ideo scripta ut sciamus neminem se jactare debere... Denique et David, qui dixerat, *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum*, eam sibi jactantiam offuisse profitetur, dicens: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

Tertium est, quod in principio obstandum est peccatis, quia unum semper trahit ad se aliud gravius: sicut in proposito primo fuit nuda negatio; secundo, negationi accessit perjurium; tertio, perjurio accessit maledictio. Vel, sicut dicit sanctus Hieronymus, prima ancilla, titubatio; secunda, consensio; tertius vir, actus est. Hæc est trina negatio, quam abluit per fletus verbi Christi recordatio.

Quartum est, quod, si nos quandoque ex fragilitate peccemus, nullo modo in peccato perseveremus: quia, secundum Glossam, perseverare in peccato dat incrementa scelerum; et qui spernit minima, cadit in majora. Et secundum Gregorium, peccatum quod pœnitentia non diluit, mox ad aliud

trahit. Ecce enim beatum Petrum ad primam negationem impulit una tantum ancilla; ad secundam duo, scilicet ancilla et vir; ad tertiam plures.

Quintum est, quod nullus peccator debet desperare, quantumcumque peccata sint gravia; sed debet pro peccatis suis flere, exemplo beati Petri, qui culpam negationis abluit lacrimis pœnitentiæ. In hoc enim remedium nobis pœnitentiæ ostenditur, et in maximis excessibus veniam sperare conceditur, cum Petrus post tantum peccatum factus sit janitor cœli ac omnibus norma et regula pœnitendi.

Sextum est, quod nos caveamus ne unquam Christum negemus. Christum namque negat quis in omni mortali peccato; quia consentiendo diabolo, abnegamus Christum et recedimus ab eo.

Imitare ergo Petrum, qui voluntate, verbo vel facto procaciter negasti Christum pro te passum. Cognoscit Petrus reatum suum... Tu quoque, rememorans passionem dilectissimi Magistri tuumque reatum, foras cum Petro egredere, ut teipsum defleas amarissime, si quando te respiciat qui Petrum lacrimantem respexit... Geminæ amarificationis, scilicet contritionis pro te et compassionis ad Christum, inebrieris ab-

sinthio, ut expiatus cum Petro a reatu sceleris, replearis cum Petro Spiritu sanctitatis.

Et nota ordinem pœnitentiæ Petri. — Primo, *gallus cantavit;* deinde *Dominus Petrum respexit;* tertio, *Petrus* flere *cœpit;* et tunc *egressus foras, flevit amare.* Sic hodie fit; nam, secundum Gregorium, tunc nobis gallus cantat, quando prædicator quisque corda nostra ad compunctionem excitat. Sed cantus galli non sufficit, nisi Dominus oculo pietatis peccatorem respiciat, quia oportet ut miser in tenebris permaneat, quamdiu eum lux mundi non illuminat. Tunc autem tertio, secundum Gregorium, incipimus flere, quando ignimur intus per scintillam conscientiæ: et tunc foras eximus, cum extra quod fuimus egredimur.

Cogita nunc qualiter Petrus pro Domino suo et pro peccato suo plangebat; et quomodo recogitabat bona quæ sibi Dominus fecerat, et qualiter ipse eum negaverat.

Dominus quidem intuitu suo spirituali provocavit Petrum ad lacrimas. Nec mirum; oculi enim Domini velut flamma ignis, Petri vero oculi ut glacies erant: et ideo intuitu suo resolverunt illos oculi Domini sicut ignis glaciem resolvere solet... O beati oculi tui, Domine Jesu, qui ita calefaciunt

cor frigidum, et accendunt in amorem tuum, et illuminant, ut videat homo Creatorem et errorem suum ! O quam cito gelicidium pectoris liquefaciunt et in aquas amaritudinis et devotionis convertunt !

III^um^ PUNCTUM : Gallus in turri, signum seu symbolum.

1° Gallus cuique a Deo datus, est *sua conscientia*, quæ quoties quis peccat, ei occlamat dicitque : Cur tantum scelus committis ? Cur Deum offendis, te lædis et periculo gehennæ exponis ? Hic clamor conscientiæ remordet et stimulat ad pœnitentiam ; quem qui audit et exaudit, vere cum Petro compungitur, et pœnitendo peccatum abolet. (S. Laurentius Justinianus, *lib. de Christi agone, c. 9.*)

An hic gallus, o sacerdos, conspicitur in turri tua ? An non immobilis nimis ?

2° Gallus est, jucundissima Deoque gratissima continua voluntatis nostræ cum divina voluntate consensio, qua in labiis nostris et in cordibus reboat dulcissima vox: *Deo gratias*, et *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (Matth., XI, 26).

Utinam hic tuus gallus, o sacerdos, in summo templo ad nutum divini beneplaciti in perpetuo motu conspiciatur !

3° Gallus est, ait sanctus Gregorius, concionator, qui sua voce peccatum peccatori aperit eumque ad pœnitentiam stimulat.

Vide, o sacerdos, an gallo comparari queat zelus tuus, quo inflammatus, quocumque te vocat animarum necessitas, eo sine cunctatione te conferas.

Quam pulchre hanc tuam apostolicam actionem describit Ecclesia in hymno qui legitur ad Laudes in diebus dominicis :

Præco diei jam sonat
Jubarque solis evocat.

Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine ;
Hoc omnis erronum cohors
Viam nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit
Pontique mitescunt freta ;
Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.

Surgamus ergo strenue :
Gallus jacentes excitat
Et somnolentos increpat ;
Gallus negantes arguit.

Gallo canente, spes redit
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.

Fac, o Jesu, ut et nos sacerdotes studeamus effici, sicuti gallus, populo nostro Spiritus sancti interpretes et præcones, et sic ei insignia beneficia conferamus!

CAPUT QUINTUM.

De fenestris templi spiritualis.

UNCTIO fenestrarum in quacumque domo est introducere in eam lumen; aerem vitiatum expellere; attrahere aerem vivificantem.

In templo autem spirituali merito quis diceret *fenestras* esse *pias quasdam exercitationes*, quarum ope mens hominis illustratur, ejusque animus, expulso omni inordinato affectu, motibus afficitur sanctis et non raro plenis spirituali suavitate.

Quapropter duplex proponitur consideratio :

1° De natura et usu fenestrarum spiritualium ;

2° De cura earumdem.

ARTICULUS I. — De natura et usu fenestrarum spiritualium.

Quid esset homo sine lumine naturali ? Quam tristis foret vita ejus, quam misera ! Quod si carentia luminis physici tam amaram redderet vitam naturalem, quid dicendum de carentia *luminis supernaturalis ?*

Quam mæsta, quam dejecta anima quæ luce divina non illustratur! Quam læta, quam vivida, quam beata anima divino lumine perfusa!

Sed qua ratione hæc lux sancta percipitur? Psalmista respondet: *Accedite ad Eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* (Ps. XXXIII, 6).

Quid autem est *accedere ad Deum*, nisi recte uti exercitiis spiritualibus quotidianis, nisi 1° *recte quotidie orare;*

2° *bene instituere pias lectiones;*

3° *usurpare devotas ad Deum aspirationes, ope earum precum quas vocare solemus « jaculatorias ? »*

§ I. — Oratio et Meditatio.

CONSIDERATIO
DE ORATIONE IN GENERE.

Cum maximo igitur fructu indagabit sacerdos *quoad primum ex illis exercitiis :*

1° Quænam sint orationis quotidianæ jucunditates;

2° Quænam sint orationis difficultates;

3° Quænam sit ratio has difficultates superandi.

1um PUNCTUM. — Orationis jucunditates.

I. Jucundum est homini posse tractare de rebus suis intimis cum viro sapienti, docto, benevolo, potenti, cui tuto communicare possit quæ vel maxime secreta sunt. Atqui vacare orationi quotidianæ, est tractare de rebus suis cum amico sapientissimo, benignissimo, potentissimo, qui dixit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth., XI, 28).

II. Jucundum tibi esset ædificaturo ecclesiam, posse adire aliquem magnatem ditissimum, qui declarasset tibi fore sibi jucundum, si in omni pecuniarum necessitate ad ipsum recurreres. Jam vero quotquot sumus sacerdotes, toti sumus in ædificando templum Deo nostro dignum, et non exigua nobis pecuniæ spiritualis summa ad hoc necessaria est ; ipse autem in cujus gloriam ædificatio fit, dixit : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* (Matth., XXI, 22).

III. Sane jucundum esset ægroto, si posset arcessere medicum peritissimum, qui feratur tanta pollere arte sanandi, ut nullus ægrotus ad eum unquam recurrerit qui non promptissime revocatus fuerit a quantacumque infirmitate ad perfectam valetu-

dinem. Nonne Jesus medicus est divina sapientia præditus, et tantæ bonitatis ut confestim laborantem quavis infirmitate et ad eum cum fiducia et sine ulla hæsitatione recurrentem sanare soleat ?

IV. Jucundum esset mendico, si posset domum adire viri misericordissimi, qui ei dixisset : Quo crebrius pulsaveris ostium domus meæ, eo mihi gratior eris, et quo plura petiveris, eo libentius dabo. Atqui, dum vacamus orationi, pulsamus ostium regis nostri amantissimi, qui multoties in suo Evangelio urget nos ad petendum quodcumque voluerimus, immo paterne conqueritur quod non frequentius et non ardentius ipsius auxilium imploremus. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo ; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (Joan., XVI, 24).

V. Profecto jucundum est ei qui perstringitur frigore, posse accedere ad ignem ; ei qui premitur siti, invenire fontem aquarum ; ei qui cruciatur fame, admitti ad mensam cibis onustam. Sed in oratione ignis accenditur, aperitur fons aquæ salientis in vitam æternam, et paratur in conspectu orantis mensa Domini adversus omnes qui tribulant eum.

VI. Ostendit et alias jucunditates sanctus Bonaventura. Nam dicit : « Oratio est sicut

armatura militem ornans : est sicut lucerna viam demonstrans ; est sicut columba olivam portans.»

Et certe non est exigua orationis jucunditas quod sit afflicto fons luminis, fons roboris, fons magnanimitatis.

Id docet nos admirabiliter ipse Princeps sacerdotum in iis quæ fecit in Horto.

Cum cœpit pavere et tædere et mæstus esse, quid fecit ? Secessit ad orandum. Tres ipsas horas oravit, *eumdem sermonem dicens.* Et quo eventu ? Solatium ab angelo tam solidum venit, ut ab agonia tamquam a morte resuscitatus ad vitam novam, exarserit vultu, exsilierit animo, progressusque ad discipulos alacriter inclamaverit : *Surgite, eamus !* Et quorsum ? In montem Thaboreum crederes, ad delicias, ad gloriam, ad cœlum vocare : aut in urbem certe, ubi novis prodigiis excitata plebs novos triumphos ac Hosanna ingeminet ; aut in Ægyptum utique, quo nullius Herodis furor pertingat. Verum erramus. *Ecce, qui me tradet, prope est !* ait Salvator : *eamus* obviam ei ; jam enim possum bibere calicem quem nauseabam ! *Eamus* in vincula, in flagra, in spinas, in contumelias, in crucem !

Fortis ut mors dilectio ipsum recreavit, a qua tamquam a vino generoso ebrius

carnifices amplexabatur pro fratribus, spinas contrectabat pro gemmis, patibulum pro throno gloriæ conscendebat. Tanta est vis orationis ad remedium languoris et ad sanandos affectus !

II^um^ PUNCTUM : **Difficultates orationis.**

Sunt multiplices, et inter alias :

1° Est corporis mala dispositio ;

2° Est vexatio diabolica ;

3° Est propria negligentia, seu pigritia ;

4° Est divina probatio.

I. *Corporis dispositio.*

Quando dolet corpus, anima solet pigrescere. Quam difficilis meditatio, quam difficilis quæcumque oratio, dum torquet nos vel dolor capitis, vel dolor dentium, vel stomachi gravitas, vel febrilis agitatio ! Sed si hæc mala patienter sustineamus, si ea æquo animo toleremus, ipsum pati est orare. Si dico ex toto corde : « Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te, » sine ullo dubio *oro*, et mea oratio optima est. Immo, sæpe præstantior est et Deo gratior quam oratio consolatione plena. *Patientia* igitur in dolore, est optima oratio.

II. *Vexatio diabolica.*

Singulariter abhorret diabolus nostram orationem, et propterea omnem movet

lapidem ut nos orantes vel impediat, vel vexet, vel cruciet, vel perturbet ; et multiplici quidem id facit astu.

a. Modo injicit menti inopportunam sollicitudinem de rebus agendis.

b. Modo efficit sub vario prætextu ut orationem differamus.

c. Modo instigat ad fingendam quamdam lassitudinem. « Sede ; melius procedet meditatio. » Sedet noster sacerdos, et rapitur in somnum.

d. Modo impellit ad continuam mentis distractionem, ita ut omnia distracte fiant. Fit distracte signum crucis, distracte oratio præparatoria, distracte tota meditatio.

e. Modo aggreditur orantem tamquam furibunda bestia. Tali modo frequenter aggrediebatur sanctum Antonium. Sicut hic magnus vir, reluctemur. Contemptu et constantia superandæ sunt hujusmodi molestiæ. Minime omittamus orationem, sed contra potius eam protrahamus.

III. *Propria negligentia.*

Hæc negligentia est acedia quædam et spiritualis pigritia quæ nos impedit quin oremus *frequenter*, *reverenter*, *devote*, *tempore opportuno*, *debito modo*.

Merito dicit sanctus Augustinus : « Multi languescunt in orando ; et in novitate suæ

conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter. » (Super Ps. LXV.)

Quis nostrum non id expertus est in vita sua ? Quoties post annua Exercitia feliciter peracta incepimus in novitate vitæ ferventer orare. Ferventes eramus in meditatione præparanda ; ferventes in meditatione facienda, ferventes in ea per multiplicia colloquia absolvenda. Sed quanta brevi mutatio !

IV. *Divina probatio.*

Hanc probationem sic describit sanctus Ignatius in libello Exercitiorum : « Voco, ait, desolationem obtenebrationem animæ, turbationem in illa, motionem ad res infimas ac terrenas, inquietudinem variarum agitationum et tentationum, moventem ad diffidentiam, sine spe, sine amore, cum se reperiat anima totam pigram, tepidam, tristem et veluti separatam a Creatore ac Domino suo. »

Docet autem cum omnibus vitæ spiritualis magistris tres esse causas hujus animæ dispositionis.

« Prima est, quia sumus tepidi et pigri, seu negligentes in exercitiis nostris spiritualibus ; atque ita ob culpas nostras elongatur spiritualis consolatio a nobis.

Secunda, *ut probet nos Dominus* quantum valeamus, et quousque procedamus in ejus servitio et laude absque tanto stipendio consolationum et specialium gratiarum.

Tertia, ut det nobis veram notitiam et cognitionem, qua intime sentiamus non esse ex nobis acquirere vel retinere magnam devotionem, amorem intensum, lacrimas, neque ullam aliam consolationem spiritualem ; sed totum esse donum et gratiam Dei Domini nostri ; et ne in aliena domo nidum ponamus, efferendo intellectum nostrum in aliquam superbiam vel vanam gloriam, attribuendo nobis ipsis devotionem vel ceteras partes spiritualis consolationis. »

III^um^ PUNCTUM : Ratio difficultates superandi.

A. In « ordine nostro diurno » primas partes æstimationis et diligentiæ habeat oratio.

B. Oratio nostra ordinata sit : *a)* quoad locum, — *b)* quoad tempus, — *c)* quoad libellum meditationum.

C. Semper sit digna Deo nostra oratio. Proinde instituatur *reverenter*, *attente*, *devote*.

Ad hoc mirifice juvabunt sequentia.

1° Nos colligere aliquantulum antequam incipiamus orare.

2° De Deo præsente cogitare.

3° Signare nos signo crucis lente, attente, cum aliqua majestate.

4° Profunda genuflexione Deum adorare.

5° Incipere prima verba orationis lente, attente, cum affectu.

Juxta sanctum Augustinum (*Epist. 130 ad Probam*), absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Multum enim loqui, ait, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis : multum autem precari, est ad Deum quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare ; nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu.

D. Quoad desolationem :

1° Nunquam mutatio facienda est, sed standum firmiter et constanter in propositis et determinatione in qua erat homo in præcedenti consolatione.

2° Licet in desolatione non debeamus mutare priora proposita, valde tamen juvat intense mutare se in modo pugnandi contra ipsam desolationem, verbi gratia insistendo magis orationi et extendendo nos magis in aliquo convenienti modo faciendi pœnitentiam.

3° Ille qui est in desolatione, laboret ut persistat in patientia, quæ est contraria vexationibus quæ sibi ingruunt, et cogitet se cito esse consolandum.

***

Fenestræ spirituales præcipuæ sunt, ut jam insinuavimus : *Oratio* et speciatim, *meditatio*, — *lectio*, — et *frequens ad Deum aspiratio*. Ad singula descendentes, de natura orationis generatim sumptæ modo diximus. Nunc de meditationis *usu* et praxi agendum. Sit igitur

CONSIDERATIO DE MEDITATIONE IN SPECIE.

Si verum est, quod omnes fatentur, quemlibet sacerdotem esse debere *virum orationis*, pariter fatendum est id minime restringi posse ad orationem vocalem. Propterea commendatur ei ab omnibus sanctis ut assiduus sit in considerandis veritatibus fidei, maxime per attentam et seriam considerationem sacræ Scripturæ ; et ut ibi quærat non tantum scientiam speculativam, sed sui ædificationem et *lumen* quo suam aliorumque animam repleat.

Opportune ergo scripsit Pater Franciscus Neumayr S. J., vir rerum spiritualium peritissimus : « Præter orationem *vocalem*, ut amet *mentalem* sacerdos, omnes sancti

hortantur, volentes ne ullus sit qui non (ordinarie saltem) ante aut post sacrum, dimidiam ad minimum horam, aut certe *quadrantem* Meditationi rerum divinarum *quotidie* consecret, *nulla* excusatione admissa, quam aliqui a mole laborum, alii ab artis ignorantia, alii a distractionibus in intellectu et ab ariditate in voluntate prætexunt. »

Multi scripserunt de meditationis necessitate, de emolumentis ex meditatione profluentibus, deque ejusdem usu et praxi, adeo ut series bene multa opusculorum Sanctorum Patrum inscribatur hoc titulo *Meditationes*. Ex iis selegimus quæ aptiora nobis visa sunt ad dandam dilectis fratribus nostris sacerdotibus istius exercitii spiritualis notitiam quæ omnium, ut confidimus, votis et exspectationi respondeat.

Definitio et praxis.

Meditatio nihil aliud est quam attenta rerum divinarum eoque pertinentium investigatio consideratioque, qua animus ad pietatis ceterarumque virtutum studium excitatur atque inflammatur, cui permixta est familiaris ac frequens cum Deo Sanctisque tum mente tum voce sermocinatio.

Meditatio tribus animæ facultatibus exercetur :

1° *Memoria*, quæ materiam seu rem de qua meditatio instituenda est, complectitur et intellectui objicit.

2° *Intellectu*, qui rem a memoria sibi propositam intuetur atque excutit, ejus rei veritatem, causas, proprietates aliaque ejus adjuncta perpendens.

3° *Voluntate*, quæ, pro diversitate rerum ab intellectu consideratarum, ad diversos affectus concitatur atque impellitur.

Hisce voluntatis affectibus animus aut ipse in se aut in Deum tendit. In seipsum, cum aut proprium suum unde exstitit nihilum, naturæ vilitatem, vitiorum probra, criminum multitudinem, atrocitatem, debita supplicia expendens, justa in se indignatione exardescit, vindictam punitionemque de se voluntariis sui vexationibus sumere decernit, et culpas priores indefesso virtutum studio sedulaque Christi, beatissimæ Virginis aliorumque Sanctorum imitatione compensare ac eluere. In Deum vero tendit, cum, considerata divinæ naturæ dignitate, potentia, sapientia, bonitate, pulchritudine, liberalitate, clementia, justitia, insigni ejus in homines caritate, tot beneficiis testata, tantæ majestatis amplitudinem

miratur, laudat, extollit, gratias agit, seque ad tantum numen quanto potest maximo amore venerandum excitat.

Præludia meditationis.

1. Vespere, prius quam te ad quietem componas, ea capita studiose prælegenda sunt, de quibus postridie meditandum est.

2. Mane, cum expergisceris, continuo iterum in animum revocanda, quæ pridie ad meditandum fuerant proposita.

Exordium meditationis.

I. Poscenda breviter a Deo auxilia ad bene utiliterque meditandum necessaria.

II. Objicienda animo, et quasi præsentia sibi mente effingenda loca, personæ aliaque cum meditationis argumento conjuncta.

III. Petenda a Deo gratia qua instructi ex præsenti meditatione singularem aliquem fructum capere possimus.

IV. Componendum eo situ corpus quem ad attentam meditationem instituendam commodiorem fore putamus, seu pedibus consistendo, seu genibus nitendo, sedendo, aut alia quacumque decenti compositione.

V. Nunquam omittenda 3ª ex *Additionibus* sancti Ignatii, quæ sic sonat : Uno vel

duobus passibus ante locum in quo contemplaturus sum, *stabo* spatio unius *Pater noster*, elevata sursum mente, considerans quomodo Deus Dominus noster me respiciat, et faciam actum reverentiæ seu humiliationis.

De ipsa veritatum consideratione quæ fit inter meditandum.

I. Excutiendum inspiciendumque primum meditationis præstitutum caput, eique inhærendum quamdiu in eo invenitur quod aut intellectum erudiat, aut voluntatem pio sensu afficiat, et quasi gustu quodam retineat, licet in eo solo omne meditationi præfixum tempus contingeret impendi.

II. Primo materiæ puncto sic excusso, transeundum erit ad secundum, et sic deinceps. Quod si contingat, pertractatis excussisque singulis ad meditandum præfixis, necdum meditationis tempus effluxisse, possunt eadem a principio, aut illa saltem in quibus major fuerit animi sensus, iterato retractari.

III. Tempore meditationis prope elapso, concludenda erit, oratione ad Deum instituta, quæ aut sola mente aut verbis etiam exterius prolatis fieri potest.

Potest hæc oratio diversimode concipi, prout diversarum personarum conditio, quas inter orandum quivis in se suscipere potest, requirit.

1. Potest fieri tamquam a facinoroso coram judice, a quo veniam admissorum postulet.

2. Tamquam ab inope ad opulentum ac præpotentem regem, cui calamitatem suam explicet.

3. Tamquam a servo ad dominum suum, cum omni reverentia et submissione.

4. Tamquam ab infirmo ad medicum, a quo, ostensis vulneribus ac morbis, remedia postulet.

5. Tamquam a filio ad patrem aut amantissimam matrem.

6. Tamquam a sponsa ad castissimum animæ suæ sponsum.

Observatio circa colloquium.

1. Possunt hujusmodi colloquia institui, non solum in extremo meditationis, verum etiam quoties id affectus inter meditandum suaserit.

2. Non solum cum Deo hujusmodi colloquia, verum etiam cum Beatissima Virgine aliisque Sanctis fieri possunt, prout

in diversis meditationibus subjectis animus suggesserit.

3. Finita meditatione per colloquium, Deo seu verbis seu sola cogitatione gratiæ pro successu meditationis agendæ, petendumque ab eo præsidium ut ea quæ inter meditandum sancte perfecturos nos statuimus, reipsa perficere possimus.

Delectus argumenti meditationis.

Tria sunt hominum genera quorum magna est ratio habenda in omni exercitiorum ac meditationum delectu.

Primi sunt *incipientes*, qui nullam adhuc virtutum aut sanctioris vitæ experientiam habent, aut qui adhuc omnino mundi voluptatibus irretiti ac peccatorum cœno infixi hærent.

Secundi *proficientes*, qui, vitiorum nexibus expediti, magno conatu ad virtutem nituntur.

Tertii *perfecti*, qui, virtutum præsidiis instructi, in eo toti sunt ut quam arctissime cum Deo amoris vinculis conjungantur.

Primis necessariæ sunt eæ meditationes quæ animum vitiorum sordibus expiare possint, atque ad scelerum detestationem rerumque fluxarum despectum perducere

Cui rei maxime serviunt hæ meditationes :

1. De ultimo fine ad quem homo est conditus.

2. De peccato angelorum.

3. De peccato primorum parentum, Adami et Evæ.

4. De peccatorum gravitate.

5. De propriis cujusque peccatis.

6. De mundi vanitate ac fallacia.

7. De morte.

8. De judicio particulari.

9. De judicio universali.

10. De purgatorio.

11. De pœnis inferorum.

Secundis conveniunt eæ meditationes quæ in ipsis virtutis studium promovere possunt. Quod fieri solet meditationibus

1. De vita, passione et morte Christi.

2. De vita B. Virginis aliorumque Sanctorum.

3. De septem petitionibus Orationis Dominicæ.

4. De octo beatitudinibus.

5. De Salutatione angelica, *Ave Maria*, *Salve regina*, *Ave maris stella*. Item de insignioribus sententiis a Deo aut Sanctis pronuntiatis.

Tertiis utiles sunt quæ mentem cum Deo

amoris ac caritatis nexu arctius devincire possint. Quales sunt :

1. De magnitudine, bonitate, sapientia aliisque divinæ naturæ proprietatibus.

2. De beneficiis Dei in homines.

3. De iis quæ accidere post Christi a mortuis resurrectionem.

4. De sempiterna gloria ac præmiis quæ Deus sanctis suis in æterna vita præparavit.

Non tamen hinc sequitur neminem se primis meditationibus occupare posse aut debere, nisi qui prima vitæ melioris rudimenta moliatur ; nec item iis quas tertio loco recensuimus neminem præter eos qui perfectionem virtutum attigerint,

Quædam cavenda iis qui meditari volunt.

Cavendum ne inter meditandum nimia contentione vim inferamus :

1. *Imaginativæ*, vehementi nimium rerum repræsentatione.

2. *Memoriæ*, nimis multa ei committendo.

3. *Intellectui*, nimium contenta rerum curiosarum, subtilium, supervacanearum investigatione.

4. *Voluntati*, nimium vehementibus atque extortis affectibus.

Præcavendæ etiam dæmonis insidiæ atque impugnationes, quas subinde illustrationum, cohortationum impulsionumque ad virtutem specie occultare solet.

Discrimina inter affectus ac illustrationes a Deo, a natura aut a dæmone profectas.

I Quidquid a dæmone proficiscitur, plerumque ad inconstantiam, inquietudinem ac perturbationem animum pertrahit. Facit ut alte de nobis rebusque nostris sentiamus. Non raro etiam pusillanimitate quæ ad desperationem pertineat,animum conturbat.

Quod si vero quandoque bonas animo affectiones ad virtutem spectantes suggerat, eæ ut plurimum brevissimæ sunt, recedentesque hominem anxium, mæstum, pusillanimem et subinde etiam nimium præfidentem relinquunt ; aut denique tempore ac loco importuno, ut majus bonum præpediant, ingeruntur.

II. Affectus qui a natura tantum excitantur, plerumque in suavi quodam sensu ac quasi gustu consistunt ; nec ulterius quidquam spectant, ibique desinunt ubi suavis illa naturæ concitatio evanescit. Interim hoc efficiunt plerumque ut nos ipsi nobis nostraque nimium placere incipiant.

Unde apte dici solet meditationes hujusmodi naturæ affectibus abundantes arbores esse quæ præter flores et folia fructum nullum ferunt.

III. Qui vero a Deo sunt, ii plerumque secum habent :

1. Permanentem animi voluptatem.
2. Insignem mentis constantiam.
3. Magnam animi tranquillitatem.
4. Incitata desideria ad multa, Dei causa, perferenda.
5. Generosam rerum terrenarum despicientiam.
6. Ardentem rerum divinarum sitim.
7. Magnam sui ipsius ac proprii judicii despicientiam, promptitudinemque ad se in omnibus arbitrio eorum quibus subest, submittendum.
8. Incitatum se emendandi ac Deo perfecte obsequendi desiderium.

Frequentatæ meditationis fructus.

1. Piis meditationibus crebro iteratis, inutiles ac noxiæ cogitationes ex animo profligantur. Cum enim in eo ex meditatione frequentes piarum divinarumque rerum imagines exsistant, vanis ac inutilibus nec locus nec otium relinquitur. Immo, ut solis

præsentia omnem ex aere caliginem exigit, ita lumen quod in mente meditandi consuetudine accenditur, omnes vanarum cogitationum nebulas dissipat.

2. Peccatorum etiam nox ac tenebræ, quas rerum corporearum mundanarumque usurpatio offundere menti solet, meditationis radiis effugantur, excitanturque paulatim in animo adversus hostium incursiones validissima propugnacula, omni armorum genere instructa, quæ hominem contra omnes hostium molitiones impugnationesque inexpugnabilem reddunt.

3. Meditationum usu excitatur voluntas ad horrorem peccatorum, virtutum studium, divini Numinis amorem ac reverentiam.

4. Corroboratur animus meditationis subsidio, ita ut facilius expeditiusque a se hostium assultus propulset, rarius gravioribus culpis succumbat, ac, si quandoque naturæ fragilitate eum prolabi contigerit, promptius resurgat, nec diutius in peccatorum luto infixus hæreat.

5. Plurimum etiam a quotidianis leviorum noxarum erratis hominem avocat meditatio, dum sensim nimiam in vitia proclivitatem ceteraque omnia ad peccatum impellentia tollit.

6. Affert quoque meditationum usus ma-

gnum animo rerum corporearum fastidium, quippe quas non modo inanes ac futiles esse, verum etiam plurimum boni illius consecutionem ad quod possidendum a Deo conditi sumus, impedire ostendit.

7. Meditationes sunt instar saluberrimorum medicamentorum, quæ ab anima languorem omnem et infirmitatem depellunt, ejusque valetudinem et vires novo semper vigore confirmant.

8. Idem in animo efficiunt quod in agris industrii agricolæ solent, qui ex iis sterilem omnem glaream egerunt, inutiles noxiasque stirpes evellunt, omnique culturæ genere ad bonos satus excipiendos parant. Nam meditationis frequentatio animum purgat, purgatum excolit, excultumque ad uberes virtutum fruges producendas fecundum reddit.

9. Intellectum magna divinarum rerum cognitione ac virtutum scientia illustrat.

10. Labores qui in virtutis via prosequenda subeundi sunt, faciles reddit, efficitque ut magna animi jucunditate difficultates omnes ac impedimenta quæ virtuti objici solent, superentur.

11. Ex meditatione id quoque homo consequitur ut e rebus adversis non minorem quam e prosperis voluptatem capiat,

cum e vita Christi Domini, B. M. V. aliorumque sanctorum perspicue videat tutissimam hanc esse ad beatitudinem viam.

12. Anima frequenti meditatione exculta majore in dies sapientia illustratur: ita ut paulatim res omnes penitus introspicere et de unaquaque certo et vero sensu judicare incipiat, mundanas omnes fugaces ac perituras æstimare, indignasque ad quarum amorem se animus, ad Dei amorem efformatus, abjiciat; cœlestes vero æternas reputare ac tales quæ solæ humanam mentem exsatiare atque ad æternam felicitatem possint evehere.

13. Animum quoque liberalem ac munificum meditatio efficit. Facile enim nimiam fluxarum opum cupiditatem exuunt, qui, perspecta earum rerum fugacitate, animum suum ad rerum cœlestium amorem transtulerunt. Omnia enim hujus vitæ bona pro luto ac sordibus habent, atque inter ea numerant quæ, cum nihil admodum ad æternam felicitatem consequendam juvare possint, nos in maxima ejus amittendæ discrimina conjiciunt, quæque omnia tum Deus ipse tum quotquot ejus consilia secuti sunt, spernenda prorsus abjiciendaque sibi putavere.

14. Avaritiam quoque omnem, vana de-

sideria, anxias sollicitudines, superbiam fastumque omnem exstinguit, cum perspicue omnibus ostendat solam humilitatem aditum hominibus ad æternam gloriam aperire.

15. Hominem ad perfectam sui ipsius cognitionem perducit, sine qua fieri vix potest ut depravatæ omnes animi propensiones exstirpentur et pro iis vera menti virtutum germina inserantur.

16. Est etiam instar suavissimi unguenti aut aromatis, quod jucundissimum suum odorem ad summum usque cœlorum diffundit.

17. Meditationis beneficio anima maximis cœlestium voluptatum deliciis perfunditur ; quarum suavitas efficit ut quidquid vulgo homines dulce et jucundum putant, ipsi insipidum plane ac amarum videatur.

18. Accenditur quoque in anima vehemens in proximum caritas : qua fit ut magnopere exhilaretur, si quando occasione oblata ad proximi salutem promovendam subsidium aliquod afferre possit; quod tam studiose agit ut, sui quasi oblita, nunquam ita suis commodis serviat ut non magis semper proximi salutem prosperitatemque procuret.

19. Præterea affert meditatio placidissi-

mam animæ pacem atque tranquillitatem ; internam omnem perturbationem et inquietudinem sedat, ita ut vix unquam ulla rerum perituraram tempestate concutiatur animus qui se intra frequentis meditationis portum recepit.

20. Mentem sibi familiarem procul ab omni rerum temporalium sollicitudine deducit, per despectum fluxarum opum, voluptatum, honorum, ac pro iis spem certissimam cœlestium deliciarum bonorumque animo inserit ; et, quantum præsentis vitæ conditio patitur, hæc etiam gustanda prælibandaque offert.

21. Unde fit ut hujusmodi anima, tamquam in terrestri Paradiso constituta, curam, cogitationem et affectum omnem in Dei amorem rerumque cœlestium contemplationem transferat, ac præter hunc nihil optet aut desideret.

22. Anima meditandi consuetudine instructa ita placide præsentis vitæ miserias tolerat ut quæ certo norit semper in se Dei oculos conjectos intentosque esse : quæ res, cum illi magnam voluptatem afferre solet, tum etiam ab omni eo quod aliquam peccati speciem habere posset, avertit.

23. Nascitur quoque in anima ex meditationis usu constans ac stabile gaudium

quod mærorem omnem ac tristitiam ex animo ejiciat. Quicumque enim cogitationes suas omnes, studia, dicta factaque ad Dei honorem et cultum promovendum dirigit, nec aliud quidquam spectat quam ut ubique, in omnibus, voluntati ejus obtemperet atque ab omni se peccato abstineat (quantum mortalis imbecillitas permittit), quid illi mærorem aut tristitiam afferre possit? Immo, quid eum a continua hilaritate et lætitia impedire queat?

24. Est denique meditandi consuetudo tamquam suavissimarum vocum ac fidium concentus atque harmonia, quæ mentem humanam assidua cœlestis felicitatis, divinæ bonitatis ac opulentiæ contemplatione occupatam incredibili lætitia ac voluptate demulceat. Unde fit ut quicumque in hac calamitosa vita meditationis suavitate delectari cœperit, verissime cum Propheta dicere possit: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (Ps. LXXXIII), et *Qui sperant in te, in æternum exsultabunt* (Ps. V).

§ 2. — Lectio pia.

Alterum exercitium quod in templo nostro spirituali, simul cum studio orationis et meditationis, pro fenestra esse debet, est *Lectio pia.*

CONSIDERATIO DE NATURA ET USU LECTIONIS PIÆ.

Lectionis spiritualis utilitatem abunde demonstrat exemplum sancti Ignatii Loyolæ, qui, conversus per lectionem Vitæ Christi et Sanctorum, ad tam insignem sanctitatem pervenit. — Merito dixit aliquis librum pium esse *speculum* in quo homo se intuens quæ prava sunt in se corrigit, quæ pulchra plus ornat.

In legendo, sapiens sacerdos attendet sedulo ad sequentia magistrorum vitæ spiritualis consilia.

1. Nullus prætereat dies in quo non aliquid pium legas, *tempore et spatio* ad id præfixis.

2. Lectioni præmittenda *intentio* profectus spiritualis, legendi scilicet, non ut doctior, sed ut melior fias.

3. In legendo *modum* serva, ita ut nec curiositate nec aviditate abripiaris. Ut nimietas ciborum obruit stomachum, ita animum nimietas librorum. Proinde non *multos* libros *perfunctorie*, sed *paucos* legito *accurate*, cum debita mora, tractim et quiete, ut divinæ illustrationi et inspirationi aditus pateat. Ubi autem voluntas afficitur vehementius, *siste*, et affectibus quos experiris attende. Interdum, clauso libro, quæ legisti

mente revolve, ut altius animo infigantur. Gallinæ bibentis instar, caput ad cœlum identidem erige.

4. *Delectus* librorum habendus in tanta eorum multitudine ; nec sufficit ut pii sint et boni, sed debent præterea, o sacerdos, tuæ vocationi, genio tuo et spiritui esse conformes, ita ut omnia quæ leguntur ad propriam vivendi formam dirigantur.

5. Si *Scripturas sacras* legis, recordare eas fuisse ipso Spiritu sancto conscriptas, et in eis verbum vitæ æternæ contineri. — Si *Sanctorum Vitas* pervolvis, cogita tibi imitandum esse fervorem quo ad virtutes exercendas tam generose laborarunt, quamvis non semper tibi robur sit ad omnes eorum actiones imitandas. — Si denique librorum asceticorum lectioni das operam, veritatem quære, non eloquentiam, utilitatem, non subtilitatem sermonis. Inter ceteros omnes hujus generis libros, maximi faciendus est, post Evangelium, aureus libellus *de Imitatione Christi.*

6. Ante lectionem, *brevi oratione* præpara animam tuam, ut Deus et Dominus noster adaperiat aures cordis tui, quatenus possis discere quæ recta sunt et ea opere complere. — Tum eam aggredere cum vehementi desiderio Deum clarius cogno-

scendi, ardentius amandi, studiosius illi serviendi in omni sanctitate et justitia. — Cum sæpe lectio spiritualis parum prosit, quia fit animo distracto, mentem tuam collige antequam illam aggrediaris, et ad illam anhela tamquam ad *epistolam*, divinæ voluntatis interpretem, tibi exsuli e patria cœlesti missam, paratus ad ejus jussa et consilia exsequenda.

7. Lectionem brevi gratiarum actione conclude, Deique implora auxilium ad recte obeundum quod propositum et constitutum est. « Da, Domine, quod jubes, et jube quod vis, » aiebat sanctus Augustinus.

8. Aliquid de lectione notatu dignum libello ad hoc parato excipere expedit, et, quantum fieri potest, in memoriæ thesauro reponere.

O quantum is excresceret, si quotidie aliquid ei adjiceretur!

§ 3. — Aspirationes ad Deum.

In capite I hujus operis valde commendatur *exercitium præsentiæ Dei*, nec minus ibi commendatur frequens renovatio bonæ intentionis.

Hoc duplex exercitium maximi sane momenti est in vita spirituali, et varias habet utilitates, quas exponunt Alvarez de Paz

(tomo 3, *De inquisitione pacis*) et Lancicius (in *Opusculo* XI, cap. 1).

Hoc exercitium multum commendabat sanctus Ignatius filiis suis, ut testatur Ribadeneira in Vita ejus, dum scribit : « Familiare nostris optabat esse ut Deum in rebus omnibus præsentem cernerent et mentes suas non in oratione tantum ad cœlestia attollerent, sed universas res atque actiones singulas in Deum referrent, neque minorem devotionis spiritum in actione quam in ipsa meditatione sentirent. Et hanc quidem orandi consuetudinem assiduam, cum in aliis, tum vero in hominibus pie occupatis tamquam magis expeditam probabat. » Et addit Lancicius loco paulo superius citato, ex Archivo romano Societatis: « Cum sanctus Pater interrogatus fuisset a P. Brandano in Lusitaniam discessuro, in quibus devotionibus scholasticus Societatis, dum vacat litterarum studiis, se exercere deberet, respondit eum præter auditionem quotidianam Missæ, et examina conscientiæ et unam horam orationis (prout tunc fiebat), et confessionem ac communionem octiduanam, posse se exercere *in quærenda Domini nostri præsentia* in omnibus rebus : in conversando, in ambulando, in aspiciendo, in gustando, in audiendo,

in cogitando, et in omni re quam facimus, cum certum sit exsistere divinam Majestatem in omnibus rebus, per præsentiam, potentiam et essentiam. Et hunc modum meditandi, inveniendo Dominum nostrum in omnibus rebus, esse faciliorem quam si elevemus nos ad res divinas cogitandas magis abstractas, faciendo nos cum labore illis præsentes : et pariet hoc exercitium bonum (si nos disponemus) magnas visitationes Domini, quamvis in una brevi oratione fiat. Præterea, potest se exercere in offerendis sæpe Domino Deo nostro suis studiis et laboribus suis, quos pro ejus amoresubimus, postponendo nostros gustus, ut aliqua ratione suæ Majestati serviamus, adjuvando illos pro quorum vita ille mortuus est. Et de his duobus exercitiis nos possumus examinare. »

« Quia crebris negotiorum tumultibus, scribit P. Claudius Aquaviva (*in epistola de Oratione et pœnitentia*), sanctæ contemplationis tranquillitas in Societate frequentissime interturbatur, illud in nostris desiderabat Beatus Pater Ignatius, ut in omni loco constituti et quibuslibet implicati negotiorum vinculis, *per aspirationes frequentatas* mente ad Deum evolarent, eumque locorum ubicumque præsentem invenirent,

et hoc peroptimum orandi genus existimarent, cum sua omnia ad Dei cultum et gloriam ampliorem revocarent. »

Ipse sanctus Pater in hac arte valde excelluit, teste Ribadeneira in ejus Vita (lib. 5, cap. 1). « E plantulæ, frondis, floris, fructus aut vermiculi aspectu super cœlos mox se attollebat, atque in minimis Deum maximum agnoscebat. » Et huc recidit Annotatio ad quartam Hebdomadam, in qua B. Pater admonet eum qui Exercitia peragit, ut claritate lucis et commoditatibus tempestatis utatur, puta veris et æstatis tempore refrigerio auræ, herbarum, florum etc., in quantum existimat sibi posse esse adjumento ad gaudendum in Creatore et Redemptore suo.

***

Ad hoc exercitium adeo a sanctis commendatum nihil magis confert quam *Orationes jaculatoriæ.*

Ita vocantur *crebræ* ac *breves* de Deo divinisque rebus cogitationes, desideria, vota, quæ etiam *aspirationes* vocari solent, quia per ea crebro iterata animus ex Dei rerumque cœlestium recordatione novum quasi spiritum trahit. Singulis horis et etiam frequentius usurpari possunt. Cui rei multum serviet habere in promptu breves fer-

ventesque precatiunculas, quibus se animus ad pios affectus concitare sanctaque desideria crebro in se suscitare valeat.

Aspirationes hujusmodi magnam afferunt facilitatem ut expedite meditationis scopum consequamur, et præcipue ut Dei in nobis caritatem accendamus, utpote quæ ob brevitatem facillimæ sunt, maximeque expeditæ,ac minime dolis atque insidiis dæmonis obnoxiæ.

Multiplicem utilitatem harum aspirationum exponit Neumayr in opere *Vir apostolicus*, parte I, cap. II, art.4. «Usus aspirationum, ait, nutrit in *incipientibus* spiritum compunctionis,carnis acediam subigit, mundi fallacias detegit, dæmonis audaciam frangit, amaritiem pœnitentiæ novæque vitæ tristitiam temperat.— In *proficientibus* exercet contemptum præsentium, curam futurorum intendit, inflammat amorem virtutis, servit prudentiæ, commendat temperantiam, invigilat justitiæ, fortitudinem animat, atque per actus frequentatos in omni virtutum genere habitum parit. — In *perfectis* per hanc praxim vivit fides, crescit spes, religio viget, zelus ardet, caritas agit et patitur ; denique *vita* Christus est, *mori* lucrum.

In mystica theologia, quæ alio nomine

sapientia unitiva sive affectiva vocatur, primus ad summam contemplationem gradus est *lectio*, secundus *meditatio*, tertius ac proximus apici *usus frequens aspirationum* ac colloquiorum cum Deo, quippe per quæ contingit ut anima, tamquam a compedibus terrenorum affectuum libera, quoties vult ad cœlum se efferens, rectissima via et sine ambagibus in ipsum cor Dei se inferat, eique tam tenaciter conglutinetur ut sæpe, nisi per violentiam, avelli non possit. Gluten dulcedo est, inter summas etiam ærumnas non raro tanta, ut homo mortalis, voluptati cœlesti impar, exclamare cogatur : *Satis est, Domine, satis est !* »

Aspirationes
ad Dei amorem excitantes.

Psalm. III, 3. Tu, Domine, susceptor meus es ; gloria mea, et exaltans caput meum.

Ps. VIII, 1. Domine Dominus noster, quam admirabile nomen tuum in universa terra !

Ps. VIII, 6, 7. Minuisti eum paulo minus ab angelis ; gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ps. IX, 1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua.

Ps. XI, 7. Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Ps. XII, 6. Exsultabit cor meum in salutari tuo. Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

Ps. XV, 5. Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.

Ps. XV, 9. Propter hoc lætatum est cor meum et exsultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe.

Ps. XVI, 15. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Ps. XX, 4. Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Ps. XXII, 1. Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Ps. XXII, 5. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est!

Ps. XXII, 6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Ps. XXX, 20. Quam magna multitudo

dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!

Ps. XXXII, 1. Exsultate, justi, in Domino: rectos decet collaudatio.

Ps. XXXII, 2. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.

Ps. XXXIV, 9. Anima mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.

Ps. XXXV, 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Ps. XXXVI, 4. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

Ps. XXXIX, 17. Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ps. XL, 1. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Ps. XL, 2. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Ps. LVI, 8. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam.

Ps. LX, 5. Inhabitabo in tabernaculo tuo

in secula; protegar in velamento alarum tuarum.

Ps. LX, 6. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Ps. LXII, 2. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Ps. LXII, 4. Melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.

Ps. LXV, 4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo.

Ps. LXVII, 4. Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.

Ps. LXXII, 1. Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde !

Ps. LXXII, 25. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram ?

Ps. LXXXIII, 1. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro exsultaverunt in Deum vivum.

Ps. LXXXIII, 11. Melior est dies una in atriis tuis super millia.

Ps. LXXXVIII, 1. Misericordias Domini in æternum cantabo. In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Ps. LXXXVIII, 16. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo

exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.

Ps. LXXXIX, 2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a seculo et usque in seculum tu es Deus.

Ps. XC, 1. Qui habitat in adjutorio Altissimi in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino : Susceptor meus es tu et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.

Ps. XC, 9. Tu es, Domine, spes mea. Altissimum posuisti refugium tuum.

Ps. XCVII, 5. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Ps. CII, 1. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.

Ps. CV, 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus ?

Ps. CVI, 1. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

Ps. CVII, 5. Magna est super cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

Ps. CXII, 5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in cœlis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra ?

Ps. CXVIII, 103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo.

Ps. CXXI, 1. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.

Ps. CXXXVI, 5. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea!

Ps. CXXXVI, 6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ!

Ps. CXLI, 6. Clamavi ad te, Domine; dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Ps. CXLI, 8. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi donec retribuas mihi.

Ps. CXLII, 6. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Ps. CXLIV, 3. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.

Ps. CXLIV, 9. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Ps. CXLIV, 21. Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus, in seculum et in seculum seculi.

ARTICULUS II. — De cura fenestrarum.

In ordine materiali, templi fenestræ impediuntur quandoque quin transmittant

lumen de cœlo in ædem interiorem, ex eo quod nimio pulvere obductæ sunt et squalore. Oritur inde necessitas eas identidem abstergendi vel etiam abluendi. Impediuntur etiam non raro quominus aerem vitiosum expellere valeant et vivificum adducere, ex eo quod propter nimiam rubiginem seræ quibus fenestræ aperiendæ et claudendæ sunt, manui jam non obediunt : unde necessitas rubiginem tempestive abigendi. — Idem locum habet in ordine spirituali. *Pulverem* hic vocamus excessivum rerum mundanarum et vanarum amorem, *squalorem* vero, affectum habitualem ad peccata venialia. Quod ad *rubiginem* attinet, merito dixerit aliquis hanc esse tristem illum situm quem acedia et tepor in anima producunt et quo illam quodammodo obtegunt.

His et similibus sordibus liberandæ sunt fenestræ nostri templi spiritualis — per debitam scilicet *cordis mortificationem* et frequentem *mentis recollectionem.* — Hoc pulcherrime explicatur in *Expositione in librum I Regum* quæ est inter opera sancti Gregorii M. et ejus doctrinam refert : « Mens quæ in æternorum bonorum contemplatione se noviter elevat, ad ea tanto tardius assurgit quanto humanitatis suæ familiares tenebras velociter non deponit ;

quia, dum a se abjicere mundanas curas non prævalet, *velut in oculis gestat pulverem*, quo id quod cupit videre non potest. Prius ergo abjiciendus est pulvis ex oculo, deinde oculus refovendus. Pulvis quippe abjicitur, cum ab intentione mentis cuncta rerum corporearum phantasmata removentur, et oculus refovetur, cum usu continuæ meditationis eadem mentis intentio ad æterna sustollitur (Loco cit., lib. I, cap. II).» *Et additur paulo inferius*: « Per contemplationem rimari cœlestia volumus, qui non solum cordis, sed etiam corporis custodiam non habemus. Et quidem sæpe indecenter aspicimus, otiosa audimus, superflua loquimur, somnum, cibum non ad refectionem corporis habemus, sed ad usum delectationis. Itaque, cum discutere ambigua volumus, superna conspicere, tenebras nostras deserere, internæ dulcedinis saporem gustare, ab illius secreto merito repellimur. »

Aureus sane locus est ubi idem exprimit Thomas a Kempis (*Imit.*, III, 31): « Oportet igitur omnem supertransire creaturam et se ipsum perfecte deserere... Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis. Ideo pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum

sequestrare... Plures reperiuntur contemplationem desiderare ; sed quæ ad eam requiruntur non student exercere. Est magnum impedimentum quia in signis et sensibilibus rebus statur, et parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid est, quo spiritu ducimur, et quid prætendimus, qui spirituales dici videmur, quod tantum laborem et ampliorem sollicitudinem pro transitoriis et vilibus rebus agimus, et de interioribus nostris vix raro plene recollectis sensibus cogitamus. »

Juxta hanc doctrinam merito concludit sanctus Ignatius 2am Hebdomadam exercitiorum his verbis : « Cogitet unusquisque *tantum* se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus, *quantum* exiverit a proprio suo amore, a propria voluntate et commoditate propria. »

In eamdem sententiam sanctus Aloisius, teste P. Cepari in ejus Vita (lib. II, c. XI) utebatur hac similitudine : « Quemadmodum agitata ventis aqua astantis hominis effigiem, vel, quod turbida sit, omnino non ostendit ; vel, si limpida est, non membra omnia trunco hærentia, sed seorsum quasi concisa et dispersa repræsentat : ita etiam hominis animum qui inter contemplandum contrariis perturbationum flatibus confli-

ctetur, aut affectibus desideriisque commotus rapiatur, negabat ad imaginem Dei referendam aut ullam tantæ Majestatis quam considerat similitudinem arripiendam ullo modo aptum aut rite præparatum esse.»

Ex his quæ præcedunt, sufficienter patet curam fenestrarum spiritualium consistere in mortificatione cordis et frequenti mentis recollectione. — De mortificatione cordis seu abnegatione sui jam diximus in capite I hujus operis, § 3. Hic proinde unice agendum erit de recollectione. Sit igitur

CONSIDERATIO
DE FREQUENTI RECOLLECTIONE.

Multiplex est recollectio : quotidiana, — hebdomadaria, — menstrua — et annua. De singulis quæ cujusque ex his propria sunt, notemus.

§ 1. **Recollectio quotidiana.**

Hæc recollectio consistit in primis — in meditatione fideliter præparata et diligenter peracta, — in actione gratiarum post Missam, — necnon in visitatione SS^mi; — deinde etiam in piis cogitationibus et sanctis affectibus quibus indulgendi occasio per diem se offert, 1. Quando animus ab aliis curis vacat. 2. Quando via longior

(forte ad ægrum visitandum) instituenda est solitatim. 3. Quando mentem subit fastidium aut tristitia, desitura in languorem, nisi spiritus excitetur.

§ 2. Recollectio hebdomadaria.

Hæc recollectio institui potest magno fructu, et ad eam faciendam eligitur dies sabbati vel dies Dominica. Fit autem per modum inspectionis hebdomadæ tunc jam finem habentis. Discutitur profectus examinis particularis, et ultima hebdomada cum præcedenti confertur. Deinde examinat unusquisque quomodo se gesserit erga Deum in caritate et devotionis exercitiis; erga confratres quoad caritatem et benevolentiam; erga seipsum quoad temperantiam, humilitatem, resignationem, patientiam et operum ordinariorum perfectionem. Denique excitatur dolor de defectibus, cum emendationis proposito et petitione gratiæ.

§ 3. Recollectio menstrua.

Recollectio menstrua paulo prolixior est, et plusculum temporis requirit; ideoque institui potest ultimo vel primo die mensis, vel primo Dominico aut festivo die minus impedito.

I. *Præparatio.* — Hæc ante eam præmittuntur: Pridie vel ipso die recollectionis assumitur pro materia meditationis consuetæ materia aliqua recollectioni aut necessitati spirituali uniuscujusque accommodata, v. g. de stimulis proficiendi, de brevitate et pretio temporis, de æternitate, de beneficiis divinis, de virtutibus et vitiis, de industriis ad cavenda peccata. Quævis alia meditatio facile huc trahi potest. — Lectio aliqua fit aut consideratio renovationi spiritus apta, ut de modo ferventer progrediendi in via perfectionis, ejusque mediis efficacibus et motivis. — Ante et post synaxin sacram, ferventius institutam, desideria Christo offeruntur, gratia ejus et benedictio enixe petitur. — Exercetur opus aliquod vel humilitatis vel pœnitentiæ.

II. *Finis.* — Ut cum fructu majore hæc recollectio fiat, per modum meditationis vel considerationis ejus finis serio expendendus. Est autem *a)* Continuus progressus in triplici via perfectionis, securior migratio ex hac vita et major gloria in altera. — *b)* Major proximorum ædificatio, incrementum gratiæ et gloriæ eorumdem. — *c)* Major inde emergens Dei gloria.

Expendi quoque potest recollectionis hujus *dignitas*, ob fines adeo excellentes;

ejus *necessitas*, ob fragilitatem nostram semper deorsum vergentem; *utilitas* et *suavitas*, ob fructus copiosos serenitatis conscientiæ, gratiæ in vita, solatii in morte, lætitiæ et gloriæ in æternitate.

Consideretur denique modus adeo facilis quo sine temporis dispendio et tanto spiritus compendio instituitur.

III. *Præstanda in ipsa recollectione.* — 1. Expende quem profectum facere debueris mense elapso, utpote tanto amore tantisque beneficiis a Deo præventus... quem vero feceris.

Ac *primo* quidem quomodo te gesseris erga Deum ipsum. *a)* Utrum magis eum diligas quam præterito mense, utrum majore reverentia coram eo ambules, in omni actione, in conversationibus et recreationibus. *b)* Utrum majore pietate, devotione, accuratione et fervore obiveris Sacrum, meditationem, Officium, preces et alia hujusmodi exercitia. *c)* Utrum creveris in profectus desiderio, in fervore spiritus, in resignatione et conformitate voluntatis propriæ cum divino beneplacito, in virtute patientiæ. — Si defecisti, contritionem elice et meliora propone.

Secundo, expende quomodo te mense elapso gesseris cum proximo tuo, cum col-

legis et externis, cum illis maxime a quibus aversionem sentis vel a quibus offensus es. Vide num eos sincero et dulci amore prosequaris, eumque amorem ore, vultu, signo et re ipsa demonstres, amice illos alloquendo, consolando, iis compatiendo, opera caritatis illis velut ipsi Christo exhibendo, bene de illis loquendo, defectus eorum excusando, bona eorum merita laudando.

Tertio, expende qua ratione te habueris erga superiores ; num præstiteris eis debitum amorem et honorem, promptam obedientiam absque excusatione, cum resignatione ad omnia, instar baculi in manu senis.

Quarto, expende quomodo curam gesseris tibi commissorum : discipulorum... parochianorum... pœnitentium... subditorum... Exiget enim Deus rationem a te, qui eos pietate et litteris instruxeris, qui ad observationem præceptorum Dei et Ecclesiæ excitaveris, salutis impedimenta et peccandi occasiones ab iis removere conatus fueris. Vide num hæc omnia melius præsenti præstiteris mense quam elapso feceras.

Quinto, expende et inspice teipsum, an melior sis, *a)* Quoad minuendum peccatorum numerum et gravitatem. Unico id intuitu videbis, si in tabella menses duodecim toti-

dem lineis distinxeris, atque in ea lapsus examinis particularis, aliosque notabiliores, vel singulis diebus vel saltem in fine hebdomadis annotaveris. *b)* Quoad passiones refrenandas. *c)* Quoad modum bene faciendi opera ordinaria. *d)* Quoad fervorem in operando. *e)* Quoad minorem fugam adversitatum et sensum earum. *f)* Quoad magis proficiendi desiderium. *g)* Quoad observationem obligationum propriarum tui status. *h)* Quoad modestiam in vultu, verbis, vestitu, conversatione. *i)* Quoad curam corporis et quoad temperantiam in victu, in vestitu, in habitatione, in ludo, in studio...

Nec omitte dispicere num proposita in exercitiis annuis et in recollectione præcedenti concepta exsecutioni data sint. — Denique dolorem elice, iterum propone, gratiam pete. Dispice num materia examinis particularis mutanda sit, et quænam in mensem sequentem sit assumenda. (Cf. Dirckinck, S. J. *Appendix ad Horologium scholasticorum*, praxis 17.)

***

Valde optandum est ut Recollectio menstrua, ubi id commode fieri potest, instituatur a multis sacerdotibus in unum locum ad hoc congregatis.

De præstantia, utilitate et jucunditate

recollectionis taliter factæ fuse egimus in « Allocutione ad sacerdotes » quæ prævia est operi nostro *Sacerdos*, ibique exposuimus formam seu methodum quæ ubique usu et fructu apud omnes conspicitur comprobata.

§ 4. Recollectio annua — *seu* Sacer secessus.

Inter omnes recollectionis praxes jam inde a plus tribus seculis in Ecclesia adhiberi solitas, *Exercitia spiritualia* sancti Ignatii maxime conducunt ad obtinendum insignem ac velocem profectum spiritualem. Expertus est eorum efficaciam, inter innumeros alios præstantes viros, sanctus Carolus Borromæus, qui et initia et incrementa admirandæ omnibusque numeris absolutæ sanctitatis hausit ex Spiritualibus sancti Ignatii exercitiis, ideoque hæc bis quotannis iterabat, et non solum, dum ea obibat, ab aliquo e Societate Jesu quoad interiores motus animi et exteriores actiones, novitii instar, dirigi volebat, sed etiam jubebat ut ab eodem ipsa meditationum puncta, ante quamlibet meditationis horam sibi aliisque famulis suis in iisdem exercitiis occupatis, traderentur. Narratur idem sanctus Cardinalis dixisse duci Mantuæ se pluris facere hunc parvum libellum Exercitiorum sancti

Ignatii quam totam suam bibliothecam, quæ tamen copiosa erat et valde selecta. — Venerabilis vir, Ludovicus Blosius, abbas Lætiensis Ordinis S. Benedicti, post obita Lovanii exercitia spiritualia S. Ignatii, scribebat anno 1550, vivente adhuc S. Ignatio, ad P. Adrianum Adriani, præpositum scholasticorum nostrorum in Belgio, hæc verba notatu digna, quibus intima cordis sui sensa pandebat : « JESUS. Gratiam habeo, Domine « mi, Caritati vestræ quod me dignatus sis « commendare precibus Institutoris et Su- « perioris vestri [Ignatii]... Puto D. Urs- « marum vobis per litteras indicasse *exer-* « *citia quædam tradita esse nostris juveni-* « *bus.* Utinam hoc factum fuisset ante « annos viginti ! *Ita enim cum senioribus* « *multo melius forte ageretur.* Laudamus « benignissimum Deum, qui per vos istam « rationem nos docuit. Ex ea et ipsius Dei « honor et salus animarum, uti confido, « consequetur. » *(Repiritur textus in* Actis Sanctorum, *ad diem VII Januarii.)*

Liceat hic apponere recentissimum testimonium, verba scilicet summi Pontificis Leonis XIII, clerum Carpinetensem alloquentis, per quæ manifestum fit quanti æstimaret praxim de qua hic agimus. En ejus verba : Non pauca equidem in bonum

« natalis oppidi perficienda curavi. Illud « vero *præ ceteris salutare* videtur, et ani- « mum complet suavitate, quod Clero facul- « tatem præbui *actitandi Spiritualia exerci- « tia*... Ipsemet quondam, ut solidum « animæ alimentum quærerem mihi, alios « atque alios perlegi libros : nullus tamen « ad desiderium sapuit. Tandem, cum liber « occurrisset Exercitiorum S. Ignatii, ultro « dixi expertus : Hinc sane teneo alimen- « tum animæ meæ quæsitum ! Exinde *hunc « a me librum nunquam dimisi*... Illa de « fine hominis meditatio *omni civitatis or- « dini instaurando vel una sufficit.* »

« Neque hic fructus, ait P. Neumayr, ad paucos pertinet, sed ad omnes plane, qui quidem seriæ applicationis in plures dies continuandæ capaces sint. Si enim verum est axioma theologorum : Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, dicite, quando dicemur facere quod in nobis est, si applicatio ad Exercitia sancti Ignatii non meretur hanc laudem ? In Exercitiis igitur resuscitabitur gratia, quæ malos convertet in bonos, bonos in meliores, optimos in sanctos. Exercitia animabus ægrotantibus medicina sunt, languentibus refectio, sanis jucundum convivium. Per Exercitia pellitur ignorantia Dei, sui et mundi ; tollitur fra-

gilitas, sive quæ a temeritate, sive quæ ab ignavia nata est; expugnatur malitia, et quam desperatio, et quam præsumptio peperit. Quod commodum naves in portu, idem animæ in hoc sacro secessu inveniunt: quassatæ reficiuntur, lassæ quiescunt, integræ de recente commeatu et aqua dulci sibi prospiciunt; omnes, recreato per aliquot dies spiritu, alacriores ad mare redeunt, periculis, laboribus, tædiis longæ navigationis facile succubituræ, nisi se ac sua, exscensione interdum facta, extra fluctuum tumultus positæ, per sanctum otium restaurarent. Nemo ex hac schola prodit sine profectu. Docemur principia vitæ supernaturalis; arguimur de erroneis dictaminibus et opinionibus falsis circa bonum et malum; corripimur de stultis affectionibus atque inanibus curis; erudimur de via recta per quam ad perfectionem statui congruam sine ambagibus itur. Excitantur juvenes ad serio cogitandum de negotio salutis; conjugati adducuntur ad methodum vitæ solide christianæ, litterati ad studium divinæ sapientiæ, nobiles ad appetitum veræ excellentiæ, Clerici ad curam sacrorum et animarum, religiosi ad amorem virtutis characteristicæ suo Ordini. Denique, nullus est post Exercitia qui nesciat quid ex obligatione status et

officii sui facere, fugere ac ferre debeat; vix ullus qui non velit facere etiam plus quam debet. »

Sed nihil magis commendat hæc exercitia nostra quam ipse Ignatius, qui totus quantus exivit ex exercitiis Manresæ factis. Liceat mihi ante oculos ponere

EFFIGIEM SANCTI IGNATII

in qua apparebit talis qualis e sanctis suis exercitiis prodiit.

I. Ab initio hujus sacri secessus intellexerat id quod dicit Psalmista : *Mihi adhærere Deo bonum est* (Ps. LXXII). — Voluit ergo adhærere Deo suo, et illi adhæsit tota mente, toto corde, totis viribus. Neque exiguo temporis spatio ei adhæsit, sed sine intermissione, in singulos dies magis ac magis illud vinculum stringens quo Deo suo alligabatur. Et experientia didicit bonum revera sibi fuisse Deo adhærere. — Utinam et nos id intelligamus, dum meditamur veritatem Fundamenti, non speculative tantum, sed et practice! Sæpe dicamus ex toto corde : Mihi adhærere mundo malum est! Mihi adhærere carni malum est! Dicamus cum sancto Ignatio : Deo meo adhærebo in æternum! Sic enim dispositus exivit e solitudine Manresiana.

II. Exivit e suis exercitiis *totaliter conversus*. — Per exercitia valedixit peccato, rebus mundanis et vanitatibus hujus seculi; nec unquam ad ea reversus est. In æternum deinceps abstinuit a peccato et ab iis omnibus quæ cum peccato aliquam habent connexionem. Conversio ejus fuit vera, plena, constans. — Utinam conversio nostra probetur fuisse vera et plena ! Utinam sit constans ! Ut autem sit, caveamus a tepiditate; et ut a tepiditate immunes maneamus, fidelissime peragamus exercitia spiritualia quotidiana, et in primis quotidianam meditationem quanta possumus cura instituamus. Qui enim meditationem instituit quotidie debito modo, ad tristissimum statum tepiditatis nunquam deveniet.

III. Ex exercitiis suis exivit Ignatius *imbutus spiritu Jesu Christi*. — Spiritus Christi contradicit spiritui mundano in omnibus, eique in omnibus opponitur : est enim spiritus paupertatis, humilitatis ; et propterea se tradidit Ignatius totum studio illarum virtutum quas admiratus fuerat, dum eas in divino suo exemplari Christo Jesu contemplabatur. Quadam die convocavit ad se omnes suos socios qui Romæ degebant, dixitque eis : « Mea voluntas est vivere

vitam simillimam vitæ Christi Domini. » — Sacerdos vacare non potest *serio* annuis Exercitiis sancti Ignatii, quin sinat se imbui hoc spiritu Jesu Christi. Proinde quo frequentius facit hæc exercitia, tanto etiam magis evadere deberet addictus paupertati, magis patiens laboris, magis obediens, magis humilis, magis pius.

IV. Exivit ex exercitiis suis *ardentissimo zelo inflammatus.* — Zelus est amor Dei se diffundens ut alios eodem amore inflammare valeat. Zelus sancti Ignatii fuit zelus vere apostolicus, habens omnes qualitates apostolici zeli. Erat purus, id est a proprio commodo alienus ; erat simplex, id est sine acceptione personarum ; erat prudens, se accommodans videlicet personis, locis, temporibus, quo plus boni eliceret ; erat fortis, nam superabat difficultates et tollebat obstacula, nec vincebatur laboribus, injuriis et ingratitudine ; erat denique fecundus. Quis enarrabit gigantea opera quæ fecit Ignatius per se et per alios ? — Nunquam intellexi quomodo sacerdos per quinque dies vacare possit exercitiis sacri secessus quin in pectore suo concipiat divinum illum ignem quem Dominus Jesus venit mittere in terram, et quem tam ardenter desiderat accendi in cordibus sacerdotum suorum.

Nunquam intellexi quomodo exire possit sacerdos ex his exercitiis quin sentiat se ardere apostolicis flammis ad laborandum et ad moriendum pro gloria Dei et salute animarum.

*
* *

Sed hæ omnes recollectionis *praxes* non facient sacerdotem *virum esse orationis*, nisi *habitualis* in eo perseveret recollectio, ea scilicet de qua agunt textus a nobis paulo superius citati, S. Gregorii Magni, Thomæ Kempensis, S. Ignatii et S. Aloisii. Omnis videlicet qui vult esse vir orationis, debet naturali *dissipationi mentis* et *effusioni ad exteriora* opponere strenuam curam ut vires animæ suæ collectas et ad nutum obedientes habeat. Ut autem hunc fructum consequatur, non solum vitanda est ei *omnis inordinatio*, sed etiam curandum ut rebus et negotiis profanis *sese accommodet solummodo*, tantum quantum pro ratione muneris et status requiritur, neutiquam vero sese iis *tradat* vel se ab illis *abripi* sinat. In hac re sequentia præscribit suis sanctus Ignatius : « Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum, oculorum præcipue, aurium et linguæ, ab omni inordinatione custodire, ac se in pace et vera humilitate

interna conservare et eam in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum, in circumspectione et ædificatione verborum, et modestia vultus, ac maturitate incessus motuumque omnium, sine ullo impatientiæ aut superbiæ signo exhibere. »

CAPUT SEXTUM.

De janua templi spiritualis.

IN ordine materiali, templi janua tanti est momenti ut in Ecclesia Christi sub ductu Spiritus sancti institutus sit ordo Levitarum quibus janua templi custodienda committeretur. Audi iterum, o sacerdos, verba quibus te allocutus est Pontifex, dum tibi contulit ordinem Ostiarii : « Suscepturi, filii carissimi, officium ostiariorum, videte quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei qui prædicat. Providete igitur ne, per negligentiam vestram, illarum rerum quæ intra ecclesiam sunt, aliquid depereat ; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam ut, sicut materialibus clavibus ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo et aperiatis Deo, ut divina verba quæ audierint corde retineant et opere compleant. Quod in vobis Dominus perfi-

ciat per misericordiam suam. — Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur. »

In ordine spirituali, sacerdos, cum sit ipse templum in quo habitat Spiritus sanctus, debet quoque et ipse hujus templi esse *janua.*

Functio autem januæ, ut patet ex pulcherrimis verbis modo recitatis, est ita claudi et aperiri opportune ut omnia quæ in templo peragi debent, peragantur in pace et tranquillitate, et ut nihil extranei in templum introducatur unde nasceretur quæcumque perturbatio. Atqui talis eris, o sacerdos, si eis polleas virtutibus quarum ope a templo arcere poteris *indignos* et expellere ex eo quidquid occurrit perniciosum. Ut autem eas possideas in summo gradu, assuesce eas contemplari in B. M. V., quæ et ipsa janua fuit sui templi in terris, et nunc gloriosissimo fruitur titulo « Januæ cœli. »

Jam vero, quænam sunt dotes quibus nos instrui oportet, ut simus vere janua templi nostri spiritualis ? Sunt illæ nimirum quas in suis apostolis adesse volebat bonus Magister : *prudentia* scilicet, *simplicitas*, *fortitudo animi* et generosa *corruptelarum vitatio.*

Ergo, o sacerdos esto

prudens ut serpens;
simplex ut columba;
fortis ut leo,

ad arcendum malum; et ad conservandum bona Domini tui, sis *Custos fidelis*.

§ 1. — **Prudens ut serpens.**

Estote prudentes sicut serpentes. (Matth., x, 16). Sancti Patres pulchre et varie explicant hoc monitum Jesu.

1° Ut per prudentiam devitent insidias, ait Hieronymus post Hilarium, etiam serpentis astutia ponitur in exemplum, quia *toto corpore occultat caput*, ut illud in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus (in Matth. cap. x), id est fidem integram et incorruptam servare studeamus.

2° Solet, ait Rabanus (in eumdem locum), eligere rimas strictas, per quas transiens *veterem pellem exuat* : similiter prædicator, transiens per angustam viam, veterem hominem omnino deponat.

3° Remigius (apud a Lapide) : Pulchre etiam Dominus prædicatores serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est, ac si diceret : Quia hostis callidus fuit ad decipiendum

vos prudentes sitis ad liberandum : *ille laudavit* lignum, *vos laudate* crucis virtutem.

Addit Hilarius : Ille falsam promisit immortalitatem et divinitatem, dicendo : *Eritis sicut dii* ; vos veram promittite, ac angelis similes futuros qui credunt.

4° « Prudentia serpentis est, ait Beda, quod unam aurem petræ opponit, alteram cauda claudit, *ne audiat incantantes* » (Cf. August. in Psalm. LVII, 5, 6. *Sicut aspidis obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium*). Ita Christi discipulus et apostolus contra diaboli et impiorum suggestiones claudat aures cauda et terra, id est meditatione finis, puta mortis et sepulcri, sibique dicat : *Memento, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

5° Serpens acutissime videt ; unde adagium : *Serpentis oculos.* Sic apostolus omnia acuto mentis intuitu prospiciat, ut mala avertat ac bona accersat.

Quis vero dubitet sacerdotibus, quippe qui mediis in periculis versentur, opus esse multa prudentia, circumspectione et integritate summa, ad hoc ut eorum missionis fructus colligatur? Utique prudentia illis opus est ad vitam suam tali modo instituendam ut nemini ansam præbeant calumniandi nec alicujus malitiam provocent

Opus est quoque prudentia in docendo populum, ad hoc ut, adhibita circumspectione ac consideratione, et quasi introspecta, ut ait sanctus Hilarius, uniuscujusque natura et voluntate, sic doctrina proponatur ut audientium animi ad eam amplectendam alliciantur.

Vide, o sacerdos, num tua ratio judicandi, loquendi, agendi, respondeat iis quæ modo ex sanctis Patribus de prudentia serpentis allata sunt. Utque deinceps majori prudentia utaris, attenta mente contemplare Illam quam Ecclesia proclamat « Virginem prudentissimam. »

Et re quidem vera prudentia B. M. V. fuit sub omni respectu perfectissima :

1° Quia se extendebat ad omnia ad quæ se extendere potest ;

2° Quia caruit defectibus prudentiæ contrariis ;

3° Quia caruit omni vitioso excessu.

A. Extendebat se ad omnia ad quæ se extendere potest :

a) Ad pericula, ut vitarentur. Custodia sensuum in Maria erat admirabilis, et modestia vere singularis. Hinc merito jam dicitur Virgo prudentissima, propter hanc curam qua tam sedulo vitabat quidquid virginitatem ejus obnubilare potuisset

b) Ad secretum, ut servaretur. Nunquam ulli homini, ne sancto Joseph quidem, divinum secretum prodidit quod illi commissum fuerat. Tot annos vixit cum Filio Dei ; nunquam tamen divinum secretum detexit.

c) Ad electionem, ut recte fieret. Semper visa est Maria partem eligere quæ coram Deo optima erat, id sibi assumere quod videbat Deo magis placere. Hinc factum est ut pro Deo parentes reliquerit, ut virginitatem prætulerit maternitatis honori, ut pluris fecerit semper paupertatem quam divitias, vitam absconditam quam vitam oculis hominum expositam seu speciosam.

B. Caruit B. M. V. defectibus prudentiæ contrariis.

a) Caruit *præcipitantia* in judicando et in agendo ; quæ quidem præcipitantia, ut dicitur in conclusione articuli 3, quæst. LIII, 2^{a} $2^{æ}$ apud s. Thomam, vitium est sub imprudentia contentum, quo quis per impetum voluntatis vel passionis, *gradibus prudentiæ contemptis*, in ruinam labitur.

b) Caruit *temeritate ;* nunquam enim agebat vel loquebatur absque maturo consilio, nec ex contemptu regulæ dirigentis, quod proprie importat temeritas, ut notat sanctus Thomas ibidem.

c) Caruit *inconstantia*, quæ sæpe indicium est magnæ imprudentiæ.

C. Caruit B. M. V. omni prudentiæ vitioso excessu.

a) Excessivæ prudentiæ genus est *astutia* seu *politica* ratio agendi. Maria autem quam simplex, quam recta, quam sincera in omnibus!

b) Excessivæ prudentiæ genus est *prudentia carnis*, quæ semper quærit quæ sua sunt, quæque quærit sollicite commoda corporis. Quam longe abfuerit ab hac prudentia beata Virgo, facile est intelligere.

c) Excessivæ prudentiæ genus est sollicitudo circa temporalia et tempus futurum. Iterum, quam longe abfuit a tali prudentia optima Mater nostra!

Utinam et nos caveremus semper ab omni vitioso prudentiæ excessu!

§ 2. — Simplex ut columba.

Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ. (Matth., x, 16.)

Ex his verbis Jesu patet, o sacerdos, utramque virtutem, prudentiam scilicet et simplicitatem, jungi oportere. Simplicitas enim sine prudentia, propter fraudem et malitiam aliorum, plurima damna afferre solet; prudentia autem sine simplicitate

facile evadit vafrities, astutia, calliditas. Prudentes ergo nos esse oportet, sed ita ut simplicitatem non amittamus.

Vult nimirum Jesus, o sacerdos, ut scias simul et serpentis prudentiam et columbæ simplicitatem imitari.

Jam vero in columba laudant sancti Patres studium nitoris et puritatis, et quod nulli dolos struat aut insidietur, nec sese opponat iis qui pullos ei abripiunt, sed denuo ad eos accedat, quasi nihil mali suspicata. In ea igitur depingitur animus sincerus, candidus, ab omni fraude, simulatione et fallacitate alienus, suspicionem abhorrens, integer ac simplex.

Vita omnium apostolorum Christi, sed vita præsertim sancti Pauli tota columbæ simplicitatem præ se fert, cum ipse ubique simplex, sincerus, humilis, patiens, simultatis ac simulationis ignarus exstiterit.

An talis fuit vita tua, o sacerdos ? Ut deinceps talis sit, accipe egregium simplicitatis exemplum quod nobis dedit B. M. V.

Ille merito dicitur *simplex*, qui in omnibus suis relationibus ad quemlibet alium, sinit se duci spiritu fidei. Talis enim sincerus erit, candidus, apertus et verax. Talis fuit Maria : simplex erga homines, — simplex erga Deum.

I. *Maria simplex fuit erga homines.*

a) Sive hi infantes erant, infirmi, pauperes, rudes, infimæ plebis opifices : omnes hos tantillos oculo fidei aspiciens, eos habebat ut filios Dei, ut singulariter dilectos a Deo, ut destinatos ad regnandum aliquando cum Deo per totam æternitatem. Quare omnes venerabatur et singulari amore prosequebatur. Nullum unquam despexit, nec a se repudiavit, ne peccatores quidem.

b) Simplex erat erga alias filias Judæ quibuscum vitam degebat. Oculis ipsius erant imagines Dei, creatæ ad Dei similitudinem ; et ut tales omnes amplectebatur affectu sincerissimo.

c) Simplex erat erga omnes qui ipsi præerant. Considerabat enim eos ut ministros Dei, ut vices gerentes Dei, ut instrumenta quibus Deus utebatur ad significandum ei sanctissimam suam voluntatem. Hinc erga illos summa ejus reverentia, sincerus amor et admirabilis obedientia.

d) Maria simplex erat *erga seipsam.* In nulla re seipsam, id est, sua privata commoda quærebat. Ignorabat proinde mille industrias quibus amor proprius ubique et in omni re sese prodere solet. Cum loque-

batur, minime quærebat excitare sui admirationem ; cum in publico apparebat, id minime faciebat ad convertendum in se oculos hominum, sed ex officio vel caritate.

Intuere hoc speculum simplicitatis, o sacerdos, et vide an non nimium dispar sis ab exemplo quod tibi in B. M. V. demonstratum est.

II. *Maria simplex fuit erga Deum.*

Firmiter credebat Maria 1° nihil omnino fieri in hoc mundo nisi per voluntatem Dei ; 2° Deum facere semper quod est optimum, juxta leges sapientiæ suæ ; 3° Deum facere etiam quod nobis maxime utile est, juxta bonitatem suam et amorem in nos. Hinc in corde B. M. V. fiducia erga Providentiam divinam firmissima et vere filialis. Experientia etiam didicerat quod postea ad nostram consolationem prædicaturus erat Paulus, sic dicens : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom., VIII, 28).

O sacerdos, hæc sit tua erga Deum simplicitas ; sit fiducia scilicet quam nulla adversitas unquam infringere valeat. Hæc fiducia extendat se ad præterita, ad præsentia, ad futura ; ad res corporis, ad res

animæ ; ad adversa sicut ad prospera ; ad hominum malitiam sicut ad eorum benevolentiam ; ad infirmitates sicut ad valetudinem ; ad mortem sicut ad vitam. Dic frequenter : Volo quod vult Deus ; volo quia vult Deus ; volo sicut vult Deus ; volo quamdiu vult Deus. — Deus meus et omnia !

§ 3. — Fortis ut leo.

Si officio *januæ* fideliter fungi velis, o sacerdos, fac ut invicta animi fortitudine indutum te inveniant innumeri adversarii qui templum cordis tui invadere conabuntur. Continua tibi lucta sustinenda est cum dæmone, cum mundo, cum tuo amore proprio, sensuali et carnali. Leonem igitur te exhibe, siquidem Spiritus sanctus dicit : *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit* (Prov., XXVIII, 1) ; et de Rege tuo scriptum est : *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David* (Apoc., V, 5).

Sed cave ne etiam leo sis tuis ; dedit enim et hoc monitum Spiritus sanctus: *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi* (Eccli., IV, 35). Quin immo, etiam dum resistis adversariis fortiter, fac ut tibi applicari possit quod legitur in Scriptura sacra de leone

quem Samson occiderat: *Ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis* (Judic., XIV, 8).

Nonne talis apparuit inter homines admirabilis vir Franciscus Salesius, *leo in corde* vi voluntatis, sed simul *apis* et *favus mellis in ore*, suavitate sermonis ? Nonne talis coram nobis apparuit illustris Pontifex Leo XIII, impavido corde ut leo resistens persecutoribus Ecclesiæ, et simul suavitate sermonis eosdem ad meliorem frugem, ut pater, alliciens ? Ambo hi magni viri in hoc fideles se exhibent imitatores Dei, *qui attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (Sap., VIII, 1).

Ut cœlestem hanc fortitudinem addiscas, o sacerdos, iterum conjice oculos in egregium exemplar quod Deus tuæ imitationi proponere dignatus est in Filii sui benedicta Matre. In ipsa enim invenire est quidquid requirunt theologi ad perfectam fortitudinem christianam.

Fortitudo, aiunt, est donum Spiritus sancti quo datur fiducia evadendi quælibet pericula et perveniendi ad finem cujuslibet operis. — Duplex est actio fortitudinis, ait sanctus Thomas : sustinere et aggredi.

Fortissima fuit B. M. V., sive spectetur *materia* circa quam fortitudo exercetur, —

sive *motivum*, — sive *modus*, — sive *tempus*.

I. *Quoad materiam.* — Omnia complectebatur hæc Mariæ fortitudo ; fuit enim fortissima tum in rebus prosperis, tum in rebus adversis quæ vel ipsi vel dilectissimo Filio suo accidebant. — An idem dici potest de te, o sacerdos ? An non deficit fortitudo tua in adversis, ita ut statim animum despondeas et victas des manus ? An non deficit rursus fortitudo tua in prosperis, ita ut non valeas iis resistere, sed ab iis te abripi sinas et elatius loquaris et agas cum collegis et subditis tuis ?

II. *Quoad motivum.* — Adversa superabat Maria non ad vitandas pœnas, non ad obtinendam compensationem, sed ad amorem suum testificandum. Dura sustinebat fortiter, quia fortiter amabat. — Quid nos solet incitare ad patiendum ea quæ nobis patienda occurrunt ?

III. *Quoad modum.* — Sunt qui sustinent mala sua *silenter*, absque murmuratione ; sunt qui sustinent mala sua *æquanimiter*, ita ut pacem cordis non amittant ; sunt qui sustinent mala *lætanter*, saltem in superiori parte animæ ; sunt tandem qui ea sustinent *desideranter*. Jam vero Maria omnia mala sustinuit non solum silenter et æquanimi-

ter, sed lætanter etiam et cum desiderio ampliora patiendi. — Et nos, in quo gradu fortitudinis stare consuevimus ?

IV. *Quoad tempus.* — Diu pati debuit adversa benedicta Jesu mater ; nunquam tamen visa est deficere. — Utinam idem dici possit de unoquoque nostrum !

§ 4. — Custos fidelis.

Non solum, o sacerdos, *templum* aliquod veri nominis es tu, et simul hujus templi *janua ;* sed etiam custos constitueris eorum omnium quæ in hoc templo recluduntur. Igitur quærendum restat quis sit *custos fidelis*, et talis quidem de quo cum veritate dici queat : *Vir fidelis multum laudabitur ; et qui custos est Domini sui, glorificabitur* (Prov., XXVIII, 20 et XXVII, 18).

Ad hanc quæstionem admirabiliter respondet exemplo suo sanctissimus Joseph, custos a Deo constitutus et Filii Dei et ejus sanctissimæ Matris.

Circa depositum, ad tria generatim obligatur a jure depositarius : *a)* Ut depositum in bono statu ab eo conservetur, et etiam, si opus sit, defendatur. *b)* Ut ex illo depositarius nullum emolumentum sibi sumat. *c)* Ut depositum reddatur domino suo, cum repetitur.

Videamus quam perfecte sanctus Joseph hæc impleverit.

I. Depositum divinitus ei commissum fuerat, scilicet Jesus et Maria. Hoc depositum sedulo servavit, et ad hoc passus est exsilium ; utque illud defenderet, se multis et gravissimis exposuit incommodis atque periculis.

II. Consortium Mariæ et Jesu non attulit sancto Joseph divitias vel honores humanos; e contrario, pro remuneratione accepit vitam absconditam, pauperem, laboriosam, ærumnis plenam.

III. Depositum reddere debuit divinæ Providentiæ: cum scilicet per mortem suam abripi a se vidit Jesum et Mariam ; et tunc sine ulla cunctatione, sine ulla murmuratione, toto animo annuit divinæ voluntati.

Et nos depositarii sumus, animarum scilicet. Nam, ut nihil hic dicamus de anima propria, quæ prima esse debet in cura nostra, monente Spiritu sancto : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (Prov., IV, 23), debemus animas nobis a Deo commissas custodire, servare, defendere. Non licet ex iis quærere nobis lucra temporalia. Denique eas Deo reddere debemus, verbi gratia quando Deus permittit ut

animæ illæ, hucusque nostræ, aliis manibus excolendæ tradantur.

Imitemur igitur in his omnibus magnanimitatem sancti Joseph, et ut ipse ingentem consequemur laudationem et gloriam.

DEDICATIO

Templi spiritualis Sacratissimo Cordi Jesu.

O Jesu, Servator misericordissime, Pater amantissime, non possum operi quod Te inspirante, Te duce, Te potentissimo tuo favente auxilio, ad majorem tuam gloriam suscepi, finem imponere, quin id Tibi offeram in testimonium grati animi et filialis affectus. Et quid Tibi acceptius esse potest, quam si verba usurpem quibus tribus abhinc fere annis Vicarius tuus, sanctissimus pontifex Leo XIII, solemniter se et totam Ecclesiam, immo universum genus humanum Cordi tuo, utpote Regi cordium, omnino consecravit.

Toto igitur affectu Tibi iterum dico :

« Jesu dulcissime, Redemptor humani « generis, respice nos ad altare tuum humil- « lime provolutos. Tui sumus, tui esse « volumus ; quo autem firmius Tibi con- « juncti esse possimus, en hodie Sacratissi- « mo Cordi tuo se quisque nostrum sponte « dedicat. Te quidem multi novere nun- « quam ; Te, spretis mandatis tuis, multi « repudiarunt. Miserere utrorumque, beni-

« gnissime Jesu, atque ad sanctum COR « Tuum rape universos. Rex esto, Domine, « nec fidelium tantum qui nullo tempore « discessere a Te, sed etiam prodigorum « filiorum qui Te reliquerunt : fac hos, ut « domum paternam cito repetant, ne miseria « et fame pereant.

« Rex esto eorum quos aut opinio- « num error deceptos habet aut discordia « separatos, eosque ad portum veritatis « atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi « fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto « omnium qui in vetere gentium superstи- « tione versantur, eosque e tenebris vindi- « care ne renuas in Dei lumen et regnum. « Largire, Domine, Ecclesiæ tuæ securam « cum incolumitate libertatem ; largire « cunctis gentibus tranquillitatem ordinis ; « perfice ut ab utroque terræ vertice una « resonet vox : *Sit laus divino CORDI, per « quod nobis parta salus !* Ipsi gloria et « honor in secula ! Amen. »

Truncinii, in domo Noviciatus Provinciae Belgicae Societatis Jesu, 1902.

INDEX.

Pag.

PRÆFATIO. ... ...
Exhortatio prævia ex testimoniis Sanctorum. ... 1

CAPUT PRIMUM.

De Fundamento templi spiritualis.

ARTICULUS I. — Præparatio loci. — Soli delectus. Soli præparatio. 6

ARTICULUS II. — Instrumenta ad hanc præparationem : Examen conscientiæ quotidianum et frequens confessio. 8
Examen circa mortem moralem morti corporali præviam, tamquam adjumentum ad bene utendum duobus instrumentis præcedentibus. 11
Meditatio de fundamento templi spiritualis. (Recapitulatio et transitio.) 14
1um Punctum. — Theoria. 15
2um Punctum. — Praxis. 18
De conscientia scrupulosa. 19

ARTICULUS III. — De lapidibus angularibus templi spiritualis. 26

§ 1. Primus lapis angularis : *Habere Deum semper ante oculos.* — Meditatio circa *exercitium præsentiæ Dei.* 27
1um Punctum. — Præstantia hujus exercitii in se spectati. ... ... *ibid.*
2um Punctum. — Fructus hujus exercitii. 30
3um Punctum. — Methodus practica. ... 33

§ 2. Secundus lapis angularis : *Habere semper Jesum pro exemplo.* 35
Consideratio de paupertate Christi. 36
Examen circa spiritum paupertatis. 38
Meditatio de humilitate D. N. J. C. 40

Pag.

1um Punctum. — Humilitas est fons vitæ. 41
2um Punctum. — Humilitas, probatio amoris. 45

§ 3. Tertius lapis angularis : *Ego semper pro victima*, seu de abnegatione et crucis nostræ bajulatione. 48
Meditatio circa hanc materiam. ... ... *ibid.*
1um Punctum. — Principii explicatio. ... »
2um Punctum. — Abnegatio. 50
3um Punctum. — Crucis bajulatio. 51
Examen circa illusiones spirituales. 53

§ 4. Quartus lapis angularis : *Maria semper pro auxilio.* 61
Meditatio de Beata Virgine Dolorosa. ... ... *ibid.*
1um Punctum. — Quare patitur Maria ? ... »
2um Punctum. — Quomodo patitur Maria ? 64
3um Punctum. — Quid exspectat a nobis Maria ? 67

CAPUT SECUNDUM.

De Pariete templi spiritualis.

ARTICULUS I. — Ipse paries templi spiritualis, seu Lex Dei custodita. 69
Explicatio Psalmi CXVIII. 70

[In Breviario, ad Primam.]

Prima meditatio de pariete templi spiritualis. ... *ib.*
Octonarius primus, Aleph *(Versiculus 1-8).*
Secunda meditatio de pariete templi spiritualis. ... 81
Octonarius secundus, Beth *(Versiculus 9-16).*
Tertia meditatio de pariete templi spiritualis. ... 89
Octonarius tertius, Ghimel *(Versiculus 17-24).*
Quarta meditatio de pariete templi spiritualis. ... 99
Octonarius quartus, Daleth *(Versiculus 25-32).*

[Ad Tertiam. — I.]

Quinta meditatio de pariete templi spiritualis. ... 108
Octonarius quintus, He *(Versiculus 33-40).*

Pag.
Sexta meditatio de pariete templi spiritualis. ... 118
Octonarius sextus, Vau *(Versiculus 41-48).*

[Ad Tertiam. — II.]

Septima meditatio de pariete templi spiritualis. ... 128
Octonarius septimus, Zain *(Versiculus 49 56).*
Octava meditatio de pariete templi spiritualis. ... 137
Octonarius octavus, Heth *(Versiculus 57-64).*

[Ad Tertiam. — III.]

Nona meditatio de pariete templi spiritualis. ... 149
Octonarius nonus, Teth *(Versiculus 65-72).*
Decima meditatio de pariete templi spiritualis. ... 158
Octonarius decimus, Jod *(Versiculus 73-80).*

[Ad Sextam. — I.]

Undecima meditatio de pariete templi spiritualis. 169
Octonarius undecimus, Caph *(Versiculus 81-88).*
Duodecima meditatio de pariete templi spiritualis. 177
Octonarius duodecimus, Lamed *(Versiculus 89-96.*

[Ad Sextam. — II.]

Decima tertia meditatio de pariete templi spiritualis. 186
Octonarius decimus tertius, Mem *(Versiculus 97-104).*
Decima quarta meditatio de pariete templi spiritualis. 196
Octonarius decimus quartus, Nun *(Versiculus 105-112).*

[Ad Sextam. — III.]

Decima quinta medit. de pariete templi spiritualis. 206
Octonarius decimus quintus, Samech *(Versiculus 113-120).*
Decima sexta medit. de pariete templi spiritualis. 218
Octonarius decimus sextus, Aïn *(Versiculus 121-128).*

Pag.

[Ad Nonam. — I.]

Decima septima medit. de pariete templi spiritualis. 227
Octonarius decimus septimus, Phe *(Versiculus 129-136.*

Decima octava medit. de pariete templi spiritualis. 237
Octonarius decimus octavus, Tsade *(Versiculus 137-144).*

[Ad Nonam. — II.]

Decima nona meditatio de pariete templi spiritualis. 244
Octonarius decimus nonus, Coph *(Versiculus 145-152).*

Vigesima meditatio de pariete templi spiritualis. 250
Octonarius vigesimus, Resch *(Versiculus 153-160).*

[Ad Nonam. — III.]

Vigesima prima medit. de pariete templi spiritualis- 257
Octonarius vigesimus primus, Sin *(Versiculus 161-168).*

Vigesima secunda med. de pariete templi spiritualis. 266
Octonarius vigesimus secundus, Tau *(Versiculus 169-176).*

Conclusio practica. 277

ARTICULUS II. — Anterides parietis templi spiritualis. 279

Anteris prima : Statuta diœcesana. ... ... *ibid.*

Meditatio de Statutis diœcesanis. 281

1um Punctum. — Æstimatio.

2um Punctum. — Observatio. 285

Anteris secunda : Castitas sacerdotalis 288

Excerpta quædam ex duabus Epistolis quæ feruntur sancti Clementis I ad Virgines.

I. Dignitas et excellentia castitatis sacerdotalis. 290

II. Caute custodienda castitas sacerdotalis. 293

III. Sors male custodientium castitatem. 298

IV. Felicitas castitatem bene custodientium. 303

Pag.

Anteris tertia : Consociatio sacerdotum « *Union Apostolique.* » 307
Consideratio de hac Consociatione sacerdotum. 308
I. Origo. ... ... *ibid.*
II. Excellentia. 311
III. Fructus. 317
IV. Quo oculo aspicienda. 320
Examen Fratribus consociatis propositum. ... 321

CAPUT TERTIUM.

De Tecto templi spiritualis, id est immensa in Deo fiducia. 325

1um *Elementum hujus tecti :* FUGA PUSILLANIMITATIS. ... ... *ibid.*
Consideratio de pusillanimitate. ... ... »
1um Punctum. — Fons pusillanimitatis. ... »
2um Punctum. — Remedium contra pusillanimitatem. 327
3um Punctum. — Conclusio practica. ... 331

2um *Elementum hujus tecti :* EXERCITIUM INVICTÆ PATIENTIÆ. 332
Consideratio de patientia. 334
1um Punctum. – Patientiæ necessitas. ... *ibid*
2um Punctum. — Patientiæ fructus. 341

3um *Elementum hujus tecti :* SUMMA NOSTRÆ DEIQUE VOLUNTATIS CONSENSIO. 345
Consideratio de conformitate nostra cum voluntate divina. 346
1um Punctum. ... ... *ibid.*
2um Punctum. 349
3um Punctum. 350
4um Punctum. De tertio gradu humilitatis. 352

DE CRUCE TEMPLI SPIRITUALIS. 355

Consideratio : Crux Christi, cathedra docentis. 356
Crux Christi, tribunal judicantis. 359
Crux Christi, thronus miserentis. 363

CAPUT QUARTUM.

Pag.

De Turri templi spiritualis, seu de *Excelsitate cogitationum* filiorum Dei. 366

Consideratio de iis in quibus consistit hæc *excelsitas cogitationum.* 370
Capitulum I : *Agere.* ... ... *ibid.*
Capitulum II : *Pati.* 372
Capitulum III : *Omittere.* 373

De campanis templi spiritualis. 375

Quid in sacerdote sit ad instar campanarum. *ibid.*
Rationes similitudinis. 376
Rationes discrepantiæ. 378

De gallo in turri templi spiritualis. ... 382

1um Punctum. — Gallus in turri, Memoriale. ... ... *ibid.*
2um Punctum. — Gallus in turri, Incitamentum. 388
3um Punctum. — Gallus in turri, Signum seu symbolum. 394

CAPUT QUINTUM.

De Fenestris templi spiritualis.

Articulus I. — De natura et usu fenestrarum spiritualium. 397

§ 1. Oratio et Meditatio. 398
Consideratio de oratione in genere. ... ... *ibid.*
1um Punctum. — Orationis jucunditates. ... 399
2um Punctum. — Difficultates orationis. ... 402
3um Punctum. — Ratio difficultates superandi. 405
Consideratio de meditatione in specie. 407
Definitio et praxis. 408
Præludia. 410
Exordium meditationis. ... ... *ibid.*
De ipsa veritatum consideratione. 411
Observatio circa colloquium. ... ... *ibid.*
Delectus argumenti. 413

Pag.
Quædam cavenda. 415
Discrimina inter affectus ac illustrationes a Deo, a natura aut a dæmone profectas. 416
Frequentatæ meditationis fructus. 417

§ 2. Lectio pia. 423
Consideratio de natura et usu lectionis piæ. 424

§ 3. Aspirationes ad Deum. 426
De Orationibus jaculatoriis. 429
Aspirationes ad Dei amorem excitantes. ... 431

ARTICULUS II. — De cura fenestrarum, seu de mortificatione cordis et animi recollectione. 436
Consideratio de frequenti recollectione. 440
§ 1. Recollectio quotidiana. ... ... *ibid.*
§ 2. Recollectio hebdomadaria. 441
§ 3. Recollectio menstrua. ... ... *ibid.*
§ 4. Recollectio annua—seu *Sacer recessus.* 446
Effigies sancti Ignatii. 450
De recollectione habituali. 453

CAPUT SEXTUM.

De Janua templi spiritualis.

Qualis debeat esse sacerdos in hac *functione januæ.* 455
§ 1. *Prudens ut serpens.* 457
Prudentia B. M. V. 459
§ 2. *Simplex ut columba.* 461
Exemplum hujus simplicitatis in B. M. V. 462
I. Maria simplex fuit erga homines. ... 463
II. Maria simplex fuit erga Deum. ... 464
§ 3. *Fortis ut leo.* 465
Quomodo B. M. V. exercuerit animi fortitudinem. 466
§ 4. *Custos fidelis.* 468
Quomodo sanctus Joseph in hac re exemplum exsistat. ... ... *ibid.*

Dedicatio Templi spiritualis Sacratissimo Cordi Jesu. 471

Imprimé par Desclée, De Brouwer et Cie, Bruges (Belgique)

Typis Soc. Sancti Augustini, Desclée, De Brouwer et Soc.

Templum spirituale
SACERDOTIS.

Templum spirituale

SACERDOTIS

EX APOSTOLI PAULI ET MULTORUM
SANCTORUM CONSILIO
EXSTRUENDUM.

Cor Jesu, Templum Dei sanctum et
Tabernaculum Altissimi, miserere nobis.
(Litaniæ Sacrat. Cordis.)

SACRÆ COMMENTATIONES
VENERABILI CLERO
ACCOMMODATÆ
AD SPIRITUS RENOVATIONEM

AUCTORE
PATRE ADULPHO PETIT, S. J.

TOMUS II.

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.
Brugis et Insulis. — MCMVII.

Ego Josephus De Vos, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Rogerio Freddi, ejusdem Societatis Vicario Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Templum spirituale Sacerdotis, tomus posterior*, a Patre Adulpho Petit, sacerdote Societatis Jesu, conscriptum et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 20 Augusti 1906.

J. De Vos, S. J.
Præp. Prov. Belg.

IMPRIMATUR :

Brugis, 5 julii 1907.

H. P. Lahousse, can. *lib. cens.*

PRÆFATIO.

DEI favore singulariter opitulante, eatenus jam, quatuor abhinc annis, construximus *Templum spirituale sacerdotis*, ut in ipsius sacerdotis persona, qualem eum in primo nostro volumine adumbravimus, locum inveniant, sensu spirituali certe sed tamen adæquato, ea omnia quæ in ordine materiali ad *externam* fabricam templi alicujus materialis requiruntur.

Restat ut ostendamus, cum eadem divina gratia, quomodo varia elementa quæ templum materiale *intrinsecus constituunt*, in ipsa anima sacerdotis affatim et in altiori gradu inveniri possint. Et quoniam delectu opus est in tanta quae animo cogitanti hic se objicit rerum dicendarum abundantia, visa est mihi apta effulgere tractationis limitatio et determinata argumenti partitio ex iis quæ præscribit Pastorale pro introductione novi parochi in suam parœciam. « Delegatus cum parocho et testibus ascendit ad altare, in quo posita esse debent Missale, Rituale et claves ecclesiæ, ibique dicit : Auctoritate Reverendissimi Domini Episcopi, et in exsecutionem litterarum collationis ab eo factæ, trado tibi possessionem curæ parochialis ecclesiæ sancti N... et omnium jurium et pertinentiarum ejusdem, per traditionem Missalis, Ritualis et clavium ecclesiæ, in nomine Patris, etc. Parochus autem singula successive tangit.

» Deinde parochus ducitur successive ad *Tabernaculum*, *fontem baptismalem*, *confessionale* et

cathedram ; et stanti ante ea dicit Delegatus : Assigno tibi Tabernaculum, et admoneo te ut in eo sanctissimam Eucharistiam fideliter custodias, et hoc salutari cibo frequenter pascas oves tibi concreditas. In nomine Patris, etc.

» Assigno tibi fontem baptismalem, et admoneo te ut sacramentum Baptismi rite et decenter administres. In nomine Patris, etc.

» Assigno tibi sedem confessionalem, et admoneo te ut commissum tibi munus patris, doctoris, medici et judicis fideliter adimpleas. In nomine Patris, etc.

» Assigno tibi cathedram, et admoneo te ut ex illa populo tibi commisso verbum Dei competenter annuncies et viam salutis demonstres. In nomine Patris, etc.

» Novus parochus cum testibus aliisque sacerdotibus se sistit ante cathedram ; Delegatus vero eam ascendit, et adstantibus fidelibus brevi sermone de obtento novo parocho gratulatur, eosque monet ut ei constanter obedientiam et reverentiam exhibeant, atque ad eum pro sacramentis aliisque salutis mediis cum omni fiducia recurrant. »

Itaque eadem ferme partitione ea quibus templum materiale intrinsecus constat dividentes, agemus ex ordine

de sanctuario,
de cathedra,
de confessionali,
de baptisterio,

et ita perstringere conabimur singula, ut probe intelligat pius sacerdos et *quomodo* se gerere

debeat in omnibus quæ peraguntur in templo materiali, et simul quo pacto contendere debeat ut hæc omnia *peragat in semetipso* spiritualiter.

Methodus qua utemur in rebus proponendis, valde simplex est et facilis. Liceat mihi in antecessum ponere monitum aliquod, nempe elucubrationem meam *dirigi ad eum sacerdotem* qui serio cupiat esse *perfectus*, qui tota sua agendi et vivendi ratione mereri cupiat gloriosum nomen *viri supernaturalis*. Porro duplici modo se probabit sacerdos supernaturalem : primo quidem omnia quæ in templo materiali conspiciuntur et quæ in eo peraguntur, considerando, non oculo humano, ut solet plerumque ea considerare sacerdos naturalis, sed oculo divino, id est juxta lumen fidei. Deinde, cum sit ipse templum spirituale, uti jam fuse in primo volumine explicavimus, eadem quæ in templo materiali ad laudem Dei fiunt, in semetipso Deo suo exhibere conabitur.

Et quandoquidem secundum sanctum Thomam *vita perfecta* ea est quæ constat et contemplatione et actione, idcirco proponimus sacerdoti duplex exercitium, meditationem scilicet et considerationem. Meditatio est pro contemplatione, consideratio pro actione. Proponimus modo unam, modo alteram, prout id postulaverit argumentum tractandum et finis quem intendimus, nempe sacerdotis perfectio et sanctitas.

Declaramus ingenue nos plenis manibus hausisse non pauca ex fontibus eximiis et longo usu comprobatis, qui sunt opera antiquorum ascetarum, eorum præsertim qui seculis decimo sexto

et decimo septimo floruere. Quare nihil hic tradam, benevole lector, quod non ante me tradiderint viri in vita spirituali eruditissimi et mysticæ theologiæ peritissimi: nisi forsan nova nonnihil videbitur adhibita a me veritatem proponendi methodus, et quod apprime perspicuitati et enucleatiori materiarum distributioni studui cum familiari et simplici stilo.

Domine Jesu, fac ut tam copiosa, tam sancta, tam sublimia argumenta apposite tractem, ut sic oriatur ex hoc opusculo divinæ Majestati tuæ laus et gloria maxima, et dilectissimis sacerdotibus tuis fons pietatis et sanctitatis in dies abundantior.

LIBER PRIMUS

SANCTUARIUM

CAPUT PRIMUM. — De cura Sanctuarii a sacerdote gerenda.

SANCTUARIUM pars est præcipua ecclesiæ, tota quanta destinata ad custodiendam et glorificandam sanctissimam Eucharistiam.

Pius sacerdos, lumine fidei ductus, hunc locum summa veneratione prosequitur et affectu amoris maximo: est enim oculis ipsius *Sancta sanctorum*, *Paradisus terrestris*, *Cœlum anticipatum*, *Domus Dei*. Gaudet vehementer quod Deus dignatus sit ipsi committere curam omnium rerum quæ ad bonum statum hujus loci aliquid creduntur posse conferre. Non ignorat munditiem et ordinem constituere præcipuam templi interioris exornationem.

Et re quidem vera ingredientibus templum quodcumque, sive amplum sit sive exiguum, suboritur ingens animi voluptas, si omnia quæ in eo conspiciuntur, splendescere videantur ordine atque nitore. *Mundities* igitur et *ordo* primum sint templi nostri spiritualis ornamentum.

Hoc autem ornamentum, o sacerdos, du-

plici ratione tibi comparabis. 1° Si singularis sit tibi cura cunctarum rerum ad tuam ecclesiam pertinentium, ita ut omnia munda sint et convenienti ordine collocata.

2° Si tanta tibi sit *circa animam tuam* diligentia, ut nihil in ea esse patiaris quod non sit venustum in oculis Dei et ordinatum secundum ejus beneplacita nota tibi. — Sapienter igitur ages, si statutis temporibus oculo vigilanti tuam perlustres ecclesiam, et si, quod ad animam tuam pertinet, ipsam quoque perscruteris serio, ut scias an non jam quædam incipiant in ea pulvere oppleri, squalore vel rubigine sordescere. Hinc *duplicis examinis*, generalis et particularis, diligenter instituendi apparet necessitas.

***

Ut autem magis intelligas, o sacerdos, quantum sit quamque sublime donum Eucharistiæ, et quantopere mereatur zelum tuum domus in qua hoc donum asservatur, attente considera quæ hic sequuntur.

I. Omnes merito miramur grande illud et magnificum convivium potentissimi regis Assueri, de quo sermo est in libro *Esther*, quodque rex ille magnatibus suis fecit, duravitque dimidia parte anni. Miramur item alterum convivium quod post hoc ap-

poni jussit idem rex septem diebus sequentibus, et ad quod invitavit omnem populum qui inventus est in civitate Susan, a maximo usque ad minimum. « Bibebant, ait textus sacer, qui invitati erant, aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur. » At longe magnificentius est convivium illud quod facit Ecclesiæ catholicæ Deus ipse, in quo scilicet Pater cœlestis apponit nobis Unigenitum suum, panem cœli, panem verum, postquam Spiritus sanctus gratia sua præparavit mensam in qua divinus ille cibus accipitur, hominum corda inquam, ne indigne illum sumant et sic judicium sibi manducent et bibant. Neque hoc convivium est unius tantummodo civitatis, non unius regni aut alterius, uno dimidio continuatum anno ; sed toti mundo præparatur, et usque ad futurum seculum duratura est hæc institutio mirabilis in qua manducat Dominum suum pauper servus et humilis.

II. Arca fœderis, qua nihil in religione mosaica sanctius, figura tantum erat Eucharistiæ quæ data est nobis in lege nova. Et tamen coram Arca obtulit David rex holocausta et pacifica ; deducebatque eam

ipse et omnis populus ejus cum omni genere musicorum instrumentorum, et honorabat eam rex omni modo. Filius ejus Salomon eidem Arcæ magnificentissimum templum exstruxit, quale alias non vidit orbis, in quo templo ipsa Arcæ sedes omni ex parte auro mundissimo vestita erat. Rursus in hac arca nihil certe plus erat, teste sancto Paulo in epistola ad Hebræos, quam « urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti. » At vero per sacram Hostiam non manna nobis porrigitur, quod utique ex se corruptibile erat, quamquam miraculosum, sed datur panis vivus et plane incorruptibilis, qui de cœlo descendit; non est hic frondens virga Aaron sacerdotis, sed ipse summus omnino Pontifex, ipse qui est vere sacerdos in æternum, Christus scilicet Jesus, per hanc virgam figuratus; non denique decalogus mandatorum in tabulis lapideis descriptus, sed ipse legislator, Deus homo factus. Quantum itaque lux distat ab umbra et ipsam umbram vincit, tanto excellentius est sacramentum Eucharistiæ præ arca veteris fœderis, tantoque dignius habendum, colendum et adorandum.

Ex his deduces, o sacerdos, tibi incumbere officium omnem adhibendi laborem,

omnem conatum, omnem industriam ad custodiendum fideliter, ad ornandum omni quo potes modo Sanctuarium ecclesiæ tuæ, ut Dominus Jesus, rex tuus, cujus est habitaculum, nihil in eo videat quod oculos ipsius offendat, nihil quod cordi ipsius displiceat. Neque oblivisci potes te templum ejus esse spirituale.

III. Ecce principes terræ omni qua fieri potest honoris et reverentiæ significatione afficiuntur, quotiescumque, palatio suo egressi, apud aliquem subditorum suorum hospitari dignantur. Verum an non absque comparatione major requiritur apparatus in sensu spirituali, ad suscipiendum quotidie intra te Regem gloriæ, regem regum, cœli terræque dominum, immortalem Deum? Præparandum proinde est huic regi seculorum cœnaculum grande, id est anima tua magnis desideriis dilatata, firma fide solidata, ingenti spe in sublime erecta; cujus cœnaculi fundamentum sit profunda humilitas; cujus amplitudo repleatur filiali affectu et ardenti caritate; cujus pavimentum respersum sit diversis bonorum operum floribus. Mensa denique sit in eo cor tuum instratum candida et tenui sindone, teneritudine videlicet et puritate conscientiæ tuæ.

Quin immo tota interior domus nostra

omnigenarum virtutum odore repleta esse debet; debetque nardus nostra, id est anima nostra, in accubitu summi regis præbere illi unguentum suavitatis quod a nobis expetit, conformitate voluntatis nostræ cum ipsius voluntate et imitatione exactissima virtutum ejus.

Propterea procul hinc absit omnis peccatorum fœtor, omnis profanus ardor, omnis seculi fumus, omnis humanorum affectuum graveolentia.

CAPUT SECUNDUM. — De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ.

MEDITATIO.

Excellentia sanctissimæ Eucharistiæ.

1um Præludium. — Conspicere Jesum recumbentem cum apostolis in ultima cœna, et instituentem augustissimum sacramentum Eucharistiæ.

2um Præludium. — Petere a Patre æterno gratiam summe æstimandi et ardenter amandi sanctissimam Eucharistiam.

1um PUNCTUM. — Præcipua Dei attributa elucent in hoc sacramento.

I. Mire prodiga est Dei erga hominem LIBERALITAS et MUNIFICENTIA. Postquam enim illi terram in temporalem dedisset habitationem, et cœlum promisisset in mansionem æternam ; postquam in hac terra ad hominis emolumentum animalia, plantas et tot alias creaturas produxisset, quin ipsa astra, solem et lunam in ejus utilitates ordinasset, ut suis eum influxibus foverent et adjuvarent ; postquam ipsos quoque angelos in ministerium hominis deputasset, eosque illi custodes dedisset: cum jam nihil restaret

inter res creatas quod donare posset, ipse Deus homo factus homini se dedit socium, et tandem in ultima cœna, post vitam ærumnosam pro homine impensam, mox se daturus pro eo in pretium, prius se dedit ei insuper in edulium perenne!

Deus profecto nec majus aliquid per totam suam omnipotentiam facere, nec præstantius aliquid inscrutabili sua sapientia invenire, nec melius aliquid infinita bonitate sua dare potuit, quam quod dat nobis in hoc venerabili sacramento, quandoquidem nihil majus, nihil præstantius, nihil melius esse potest ipso Deo, qui se hic totum præbet, divinitatem suam præbens cum humanitate, sanguinem cum carne, animam cum corpore.

II. Admirabilis etiam Dei POTENTIA hic emicat, quia in hoc sacramento sub modicis panis atque vini speciebus per stupendam utriusque transsubstantiationem, conservatis sine subjecto accidentibus, exsistit corpus Christi totum sub toto et totum sub qualibet parte specierum, modo substantiis spiritualibus proprio. Et hæc mirabilia peraguntur in momento, ad sancta verba a sacerdote prolata; atque sic se multiplicat in dissitissimis terræ locis ille idem qui eodem tempore sedet ad dexteram Dei Patris in cœlo.

III. Summopere se prodit divina SAPIENTIA in hoc mysterio, dum Filius Dei modum excogitavit quo se, non solum in cœlis per visionem beatificam, sed etiam in terris sub speciebus earum rerum quæ tamquam cibus et potus homini maxime congruunt, in spirituale ejus animæ nutrimentum porrigeret, et secundum utramque naturam suam, divinam et humanam, intima conjunctione singulis hominibus per veram et internam præsentiam sese communicaret.

IV. Manifestatur quoque hinc immensa Dei erga hominem BONITAS, quod non semel, sed quoties fit consecratio panis et vini, totum illum ineffabile mysterium impletur de quo non minus quam de primo Christi adventu in terras dicere licet : *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (Jo., III, 16); est enim secundum sanctos Patres consecratio eucharistica Incarnationis extensio et quasi renovatio.

Domine Deus, qui dixisti olim de Synagoga (apud Isaiam, V, 4) : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ ?* verius hoc de Ecclesia tua in lege gratiæ dicere potes, cui, te dato, nihil ultra dari potest. Quin immo, Domine, non fecisti dumtaxat Ecclesiæ tuæ quod debuisti, sed quod potuisti,

donando teipsum illi in cibum et potum, tu qui es panis ille pinguis qui *præbebit delicias regibus* (Gen., XLIX, 20), animabus scilicet devotis quæ affectus suos regere norunt et ad te dirigere. Fac ut jugiter esuriam et sitiam hanc escam, hunc potum, et nauseem ollas ægyptiacas, delicias mundi, in quibus mors est.

IIum PUNCTUM. — Plures Christi Domini virtutes in hoc venerabili sacramento promicant.

I. Inter insigniores virtutes quas incarnatum Dei Verbum in venerabili sacramento exercet, præ omnibus aliis est profundissima *humilitas*, dum cœli terræque imperator, angelorum et hominum caput, sese de cœlo ex throno divinitatis suæ in terram demittit, et venit ad miseros homines, ad vilissimos vermiculos, in eorum ora intrat, sæpe male olentia, in eorum stomachum, fœdo phlegmate plenum, et, quod amplius, visitat animas quæ paulo ante erant propter peccata ut spelunca latronum, stabulum vitiorum et habitaculum dæmonum. Item dum se inferri sinit vilibus et fœtentibus tuguriolis et portari ad infirmos fœdissimis morbis laborantes, — etsi nullam ab his omnibus possit contrahere maculam.

II. *Obedientia* Christi Domini, quæ

humilitatis ejus serva est, mire hic apparet, dum, instar famuli, sicut olim sol materialis stetit in cœlo ad vocem Josue, ipse nunc, qui est sol justitiæ et splendor Patris, descendit in aram atque in manus sacerdotis, ad nutum ejus et ad paucorum verborum prolationem, voci hominis obediente Deo. Hoc autem facit quandocumque et quoties placuerit sacerdoti, qui sæpe somnum et nimium levia vel etiam ludicra negotia præmittit eaque Christo præponit, usque dum ad aram, sacrificaturus, accedat.

III. Quantopere Christus amet *puritatem et castitatem*, significatur hic per candorem specierum panis et per hoc quod omnia tam munda et tam pura esse debent quæ in Missæ sacrificio adhibentur, maxime quæ tangunt corpus Christi. Quam ergo purus debes esse, o sacerdos, qui tractas Agnum Dei immaculatum et eum qui est filius Virginis virginum!

IV. Invenitur tandem hic Christus in summa *paupertate*. Pauper certe jacuit in præsepio, et vilibus tantum involutus pannis: hi tamen panni aliquid substantiæ in se habebant; at jacens in altari, nudis absque substantia accidentibus tegitur panis et vini. Nonne hæc est vere ultima egestas?

V. Sunt et aliæ virtutes Christi quæ elucent in Eucharistia : inter has *patientia* qua se tractari et moveri permittit, agni instar mansuetissimi, ut placitum est sacerdotis, fertque tot nostros in celebratione divinorum mysteriorum defectus, tot irreverentias, etiam parvam ac tepidam devotionem erga sacratissimum Sacramentum.

Adde *constantiam* qua usque ad consummationem seculi sub eucharisticis speciebus latens remanebit, ut promissa sua impleat.

III^um^ PUNCTUM. — **Excessivus Christi amor erga nos in hoc sacramento.**

I. Elucet præ omnibus aliis mirabilibus quæ in hoc sacramento deprehenduntur, summa Christi in nos *dilectio*. Hinc est quod sanctum Tridentinum concilium dicit (Sess. XIII, cap. 2) Salvatorem nostrum in eo « divitias divini sui erga homines amoris velut effudisse, » et quod fere nuncupari solet « sacramentum amoris. » Sanctus autem Joannes Damascenus (De fide orthodoxa, lib. IV, capite 13, De sacrosanctis et immaculatis mysteriis) illud comparat carboni ardenti quem in manu unius de seraphim vidit Isaias propheta (Is., VI, 6) ; et per hoc innuit quomodo *participatione ignis divini* in sacramenti hujus re-

ceptione corda nostra accendenda sint. Sanctus Thomas in officio Corporis Christi dicit Christum instituisse hoc sacramentum tamquam miraculorum ab ipso factorum maximum. Ait etiam Eucharistiam esse sacramentum caritatis Christi expressivum, et caritatis nostræ factivum. (In IV Sent., dist. 8, quæst. 2, art. 2, quæstiuncula 3ª, ad 5um.) Adde hic contineri amorem a quo bona omnia originem trahunt.

II. Verus amans et amicus, qui cum amato et amico unum cor est, nihil magis desiderat et optat quam semper eidem esse præsens. At quis melius hoc amoris et amicitiæ officium implevit quam Christus Dominus, amator et amicus animarum nostrarum? Ipse nobis semper præsens est et erit in hoc sacramento; nec tantum ut ibi a nobis adoretur, sed etiam ut in nos veniat per modum cibi et potus : neque etiam ita præstat hoc ultimum, quasi ipse in nos transeat et in nos mutetur, sed ita ut ipse nos in se convertat, quod longe majus est et melius. Sic enim loquentem inducit Christum sanctus Augustinus : Manducabis me, nec tu me in te mutabis, sed tu mutaberis in me. (Confess. lib. VII, cap. 10.)

III. Unde cum Christus, qua Deus, homini invisibiliter semper sit præsens,

voluit et visibiliter ei præsens esse, assumendo humanam naturam, ut, teste eodem Augustino, familiarius diligeretur ab homine. Verum quia hæc præsentia visibilis non ultra triginta tres annos duratura erat, invenit novum modum quo semper apud nos maneret usque ad finem mundi, implens scilicet sub speciebus eucharisticis quod ante dixerat in libro Proverbiorum : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Atque hinc amplius agnosce, o sacerdos, Dei erga hominem dilectionem, quod qui secundum divinitatem, ratione infinitæ perfectionis naturæ suæ et ratione divinæ immensitatis, omnibus creaturis suis *necessario* intime præsens est, *libere* quoque nobis adesse voluit; et, ut plus honoraret hominem, quasi mutuo accepit ab eo naturam humanam, quam cum summo fœnore, cum sua nempe divinitate, ei in hoc venerabili et amorem eloquente sacramento restituit.

O amor maxime, o amor divine, quam merito ingemiscere audiris : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ ?* Quo non progressæ sunt adinventiones tuæ ! Deus fit homo, et homo Deus fit cibus hominis ! Quis, antequam hæc mirabilia facta sunt, vel angelicus intellectus ea unquam excogitare potuisset ? O Domine, vere

tu es Deus qui facis *mirabilia magna solus.* (Ps. CXXXV, 4.) Unde exclamare possum, et uti verbis illis Davidis prophetæ : O sacerdotes,*confitemini Domino et invocate nomen ejus ;* sacrificando et concionando *notas facite in populis adinventiones ejus.* (I Paral., XVI, 8.)

CAPUT TERTIUM. — De stupenda Jesu sufferentia in Eucharistia.

UT melius intelligas, o sacerdos, quousque nos dilexerit Dominus Jesus in instituendo hoc venerabile sacramentum, perpende quæ de hac institutione scripsit sanctus Paulus in I Cor., XI, 23 : « Dominus Jesus *in qua nocte* tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit, et dixit, » etc. Ad vesperam scilicet et noctem quæ erat initium corporalis Christi passionis, adeoque eo tempore quo tradebatur in manus peccatorum, tradidit se in hoc sacramento in remedium peccatorum ; eo tempore quo odium Judæorum in illum supremum attingebat apicem, summum in nos demonstrabat ipse amorem ; eo tempore quo parabatur illi mors et jamjam intentabatur, dedit nobis vitam cœlestem, seipsum dando in sanctissima Eucharistia. Verissime de Christo dicitur illud Cantici canticorum : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem;* aquæ multæ, id est populi multi, illi qui contra illum, ad eum torquendum et exstinguendum, surrexerunt : impleri enim tunc

incipiebat illud Psalmi : *Fremuerunt gentes et populi... convenerunt in unum ;* aquæ multæ, id est aquæ tribulationum, tormentorum, dolorum : hæc enim impendebant ex parte inimicorum, immo et discipulorum, ob proditionem Judæ, ob negationem Petri, ob ignavam et turpem fugam ceterorum; aquæ multæ, aut verius multus sanguis quem copiose in passione sua effusurus erat, usque ad ultimam guttam e latere profluentem, non potuerunt exstinguere caritatem, quominus in nos summum demonstraret amorem, sacramentum amoris instituendo.

Non solum autem gravissima peccata mox in Christum committenda et acerbissima mors non potuerunt impedire et exstinguere caritatem ejus ; verum etiam diceres hujus amoris motum *in fine* vitæ ejus velociorem fuisse et majorem.

Sed neque innumeræ irreverentiæ, blasphemiæ, hæreticorum denegationes et irrisiones, ac nefanda scelera quæ erga ipsum in Eucharistia latitantem usque ad ultima secula erant patranda, quæque clare et distincte ab ipso erant prævisa, impedire valuerunt quominus se in venerabili sacramento traderet ad sanctificandas animas hominum.

Primo, prævidit fore ut plurimi christiani parum revererentur corporalem ipsius in Eucharistia præsentiam et eam vel prorsus negligerent ac parvi facerent, vel, si ob metum damnationis ecclesias adirent, eos valde irreverenter se habituros esse in illis, confabulando, ridendo, deambulando, dormiendo, immo impudica multa oculis, lingua aliisque modis committendo.

Prævidit *secundo* multos non solum cum exigua nimis reverentia et præparatione, sed et cum deliberato habitu multorum peccatorum venialium de quibus minime dolent, accessuros ad Eucharistiam sumendam, et post sumptionem nihil aut parum attendendo divinam Christi dignitatem, mox se e templo subducturos et ad vana reversuros.

Tertio, prævidit plures etiam in statu peccati mortalis constitutos, tamquam servos diaboli, quin et in eo statu per multos annos hærentes, absque bona confessione et pœnitentia, absque ullo timore tremenda mysteria esse frequentaturos : alios, horrendum dictu ! sacras hostias Judæis, juratis Christi hostibus, venditurus, ut de novo ab eis contumeliose tractetur ; alios ad magicas et superstitiosas artes sacris hostiis abusuros, quin ad conventus sagarum eas laturos

et (horrent aures audire et lingua eloqui) indignissimis modis cum dirissimis blasphemiis Christum tractaturos ex instinctu spurcissimi dæmonis.

Manet ergo aquas multas, id est innumeras ignominias a Christo prævisas, non potuisse exstinguere caritatem ejus.

Ah! quanta Christi caritas! quanta humilitas! quam invicta patientia! A paucis hominibus creditur vere adesse et latere sub speciebus eucharisticis, et a paucioribus adhuc christianis digne in hoc sacramento tractatur, immo a multis pessime.

O vos, angelici spiritus, quid cogitatis, dum intuemini Deum pro hominibus hominem factum in assumpta natura humana, quin et in sua divinitate tam indigne, tam sacrilege ab hominibus tractari? Si tota terra diluvii undis submersa fuit, et ignis sulphureus de cœlo in Pentapolim descendit, ideo quod homines in suam carnem peccabant; si Dathan, Core et Abiron, aperiente se terra ingenti hiatu sub pedibus eorum, absorpti sunt vivique, ut Scriptura loquitur, in infernum descenderunt: cur ergo ob ausa nefanda quæ in innocentissimam et augustissimam Filii Dei carnem ejusque divinam personam tam sæpe perpetrantur, vindictam non sumunt omnia

mundi elementa cum cœlo et tartaro? Nimirum Deus in novo testamento, sub lege gratiæ, in hoc seculo longanimis est; at vero in altero vindictam sumet de inimicis suis et de rebellibus, quando illis dicet in die illa tremenda, cum jam non erit misericordia: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. »

Scimus quid factum fuerit illis qui non sat reverenter egerant circa Arcam fœderis, quæ figura tantummodo et quasi umbra fuit sacrosanctæ Eucharistiæ. Hinc sanctus Thomas a Villanova, severissima divinæ vindictæ exempla ob Arcam minus religiose habitam considerans, velut attonitus exclamat: O quanta gravitas! quanta severitas! quanta majestas! quantus horror! quantus terror in Arca! Tantane tibi, Domine, cura de ligno? Non utique, sed propter nos hæc omnia facta sunt. In illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur quanti piaculi simul et periculi sit indigne tractare aut sumere sacrosanctum Christi corpus in hostia salutari, cujus typum sic magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit. Hinc et jure optimo clamat Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* (Heb., x, 31.) Audito hoc tonitru, quis non contremiscat? Ad hujus tubæ sonum cujus aures

non tinniant? Quis de cetero, his cognitis, impurus et immundus audeat accedere? » Ita sanctus Thomas a Villanova in festo Corporis Christi.

CAPUT QUARTUM. — De potestate sacerdotis in corpus Christi reale et in corpus ejus mysticum.

ANTEQUAM procedas, o sacerdos, ad cetera consideranda quæ ad sanctissimam Eucharistiam pertinent, intelligere conare quanta liberalitate erga te usus sit Deus, quandoquidem te exornavit dignitate immensa et potestate propemodum divina. Attenta igitur mente considera 1° quanta sit potestas sacerdotis in corpus Christi mysticum ; 2° quanta sit potestas ejus in corpus Christi verum et reale.

ARTICULUS PRIMUS. — Potestas sacerdotis in corpus Christi mysticum.

Magna profecto est potestas principum hujus terræ, cum vitæ et mortis imperium exercent. At vero potestas hæc solum est ad tollendam aut conservandam vitam temporalem ; sacerdotis autem potestas per absolutionem sacramentalem a peccatis pertinet ad dandam vitam æternam, vel ad non dandam illam, per denegationem absolutionis justa de causa factam : in legiti-

mis enim sacerdotibus Ecclesiæ operatur verbum illud quod locutus est Jesus ad apostolos suos : *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* (Jo., xx, 23.)

Quam magna res est hæc potestas clavium, cui monarchæ ipsi, qui sphæram auream gestant velut insigne majestatis suæ, se subdere debent : provolvuntur enim etiam ipsi in genua ad pedes sacerdotis, ut absolvantur ab eo a delictis suis et ut eis sicut ceteris reseretur regnum cœlorum quod sibi suis peccatis clauserant. Quod enim sacerdos ligat in terris aut solvit, ligatum quoque aut solutum est in cœlo ; quod judicat homo, approbat Deus ; id ratum habet, et judicio hominis stat Judex supremus hominum.

Quanta res est hæc potestas qua fit ut peccator, filius prodigus, vix non nudus, famelicus, qui ad siliquas porcorum adigebatur, in momento in gratiam redeat cum Patre cœlesti, induatur stola prima seu optima gratia sanctificante, et mactato vitulo saginato seu Christo Domino pro nobis in cruce immolato, per communionem sanctissimæ Eucharistiæ cœlesti dape reficiatur !

Admirare amplius potestatem sacerdotis ad mutationem peccatoris, quam efficit ille virtute sacramenti pœnitentiæ. Magna sine dubio foret virtus, si quis informe monstrum continuo in pulchrum juvenem, vel nigrum corvum in albam columbam mutare, si hominem multis et fœdis morbis laborantem in momento sanare aut omnino mortuum suscitare posset. Verum major est potestas sacerdotis, qui peccatorem absolvit et eum qui secundum animam coram Deo et angelis tamquam turpe monstrum erat, transformat in formosum juvenem, nigerrimum in candidum, infirmum in sanum, immo mortuum in vivum membrum mystici corporis Christi. Reum inferni, e cœlis extorrem, mancipium ac filium diaboli, in servum Dei, in filium Dei, in heredem Dei atque coheredem Christi transmutat, dum vi clavium perditam ei gratiam restituit, et ex dejecto peccatorum gradu ad supremam dignitatem, ad consortium naturæ divinæ evehit. Merito exclamat vir quidam sanctus: « O efficax virtus sacramenti! O magna potestas sacerdotis! O singularis consolatio peccatoris! Profecto si foret universalis aliqua medicina ad tollendos omnes morbos, sine labore comparanda; si medicus peritissimus inveniretur qui absque gravi dolore

et sine ullis sumptibus infirmitatibus, alias insanabilibus, mederi posset et vellet, quis ægrotus non sine mora se ad hunc medicum conferret, quis non hanc saluberrimam medicinam acciperet ? Habet peccator apud sacerdotem et in sacramento pœnitentiæ quod administrat, obviam medicinam, vicinum medicum, qui hujus medicinæ virtute omnes ejus ægritudines cito et facile curare potest. »

ARTICULUS II. — Potestas sacerdotis in corpus Christi verum et reale.

I. Hæc potestas in corpus Christi verum eo major est potestate in corpus ipsius mysticum, quo majus est caput membris, Christus suis fidelibus, creator creatura, dominus servo.

Magna est potentia angelorum, qui vastissima corpora absque mora et defatigatione celerrime movent, ut pueri pilam. Magnum aliquid præstitit Josue, cum solem in cœlo consistere fecit. At quantum Deus, quantum universorum creator supra creaturam suam eminet, tantum eminet sacerdos supra angelos, dum immania corpora volvunt, et supra Josue dominantem soli, quia sacerdos in momento, absoluta prolatione sacrorum verborum, Filium Dei, solem

justitiæ ac dominum cœli terræque, ad dexteram Patris in summo cœlorum residentem, per immensa spatia ad terram usque trahit et in ara sistit, velatum sub speciebus panis et vini.

II. Ad quinque verba, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, a beata Maria Virgine prolata dum ab angelo mater Dei futura salutabatur, Verbum Patris humanum corpus virtute Spiritus sancti e virgineo sanguine formatum et animatum induit, homo factus. Sic et ad quinque verba consecrationis panis, *Hoc est enim corpus meum*, ponitur Christus sub speciebus panis: unde et a Patribus et Doctoribus consecratio Incarnationis extensio dicitur. Adeoque, sicut beata Virgo dedit Christo esse substantiale, ita sacerdos dat illi esse transsubstantiale. Quin immo, cum sacerdos sæpe Christum in ara sistat, et quidem ut perfectum, impassibilem, immortalem; beata Virgo contra semel tantum illum genuit, et ut parvulum, passibilem, mortalem, sacerdos in modo præcellit illi, etsi in substantia facti, ut loquitur Pater Nieremberg, Deipara sacerdotalis operationis sit fundamentum.

III. Loquens propheta regius de distinctione hominis ab angelo: *Minuisti eum*, ait

Deo, *paulo minus ab angelis* (Ps. VIII, 6) ; quod est intelligendum de potestate super naturalia et materialia, quæ utique major est in angelis quam in hominibus. Sed quoad supernaturalia et spiritualia, dicere possumus de sacerdotibus Deum eos multum supra angelos exaltasse. Hi siquidem non habent potestatem in corpus Christi, ut illud evocent e cœlo et tractent suis, ut ita dicam, manibus in terra, recipiant intra se et aliis distribuant, ut sacerdos facit ; sed tamquam servi exspectant Christi, regis sui, mandata, coram quo procidunt, operientes facies suas præ reverentia et sacro tremore : quin summopere gaudent quod sacerdoti sacrificanti inservire possint, et coram videre atque adorare in terris Christum Dominum, quem semper vident et adorant in cœlis.

Vides igitur, o sacerdos, non esse in creatis potestatem quæ supergrediatur vel etiam exæquet potestatem sacerdotum Christi, quippe cui sacerdotali potestati omnis potestas humana substernitur, etiam illa quæ suprema est, id est regia, et qua vel angelica potentia longe inferior est, quandoquidem ipsa non terrena est, ut potestas regum, aut naturalis dumtaxat, ut potentia angelorum, sed cœlestis et super-

naturalis, animabus dominans, non corporibus tantum.

Merito proinde exclamabis : O sublimis potestas sacerdotis ! O profunda humilitas et submissio Christi, obedientis voci creaturæ suæ, humiliantis se e cœlo usque ad terram propter pauca verba ab homine prolata ! Perpende hoc bene, o sacerdos, et qui Deiparæ assimilaris, imitare ejus virtutes. Cum vero angelos potestate tua superes, sanctior angelis esse deberes. Cura saltem ut in terris angelicam vitam ducas et ut, toties stans inter angelos, cum summa puritate, humilitate et reverentia præstes quæcumque ad Eucharistiam spectant et sancta sancte tractes.

CAPUT QUINTUM. — De triplici dispensatione SS. Eucharistiæ.

OMINUS Jesus donum hoc suum maximum voluit filiis suis communicari triplici, ut ita dicam, dispensatione : — scilicet per *tabernaculum*, — per *aram*, — per *mensam sacram*.

Sciebat enim benignissimus Salvator, et insuper propria experientia didicerat, hanc terram in qua nobis commorandum est, esse locum exsilii, nosque, tristissimos filios Evæ, quo magis laboraverimus ut in nobis formetur, ut debet, homo cœlestis, eo etiam magis clamare, gemere et flere in hac lacrimarum valle. Hac de causa sese exsilii nostri *consolatorem* constituit, et sic ob consolationem nostram dedit nobis *Tabernaculum*, in quo nobis semper præsto esset, et ubi eum semper adire et invenire possemus.

Sciebat nos, licet sanguine suo pretiosissimo redemptos, iterum peccaturos esse, et ideo necessarium fore ut quasi *continuata divinæ victimæ immolatione* quotidie redimeremur ; et propterea nobis dedit *altare*.

Non ignorabat quam debiles quamque

imbecilles nos fecerit peccatum, et propterea excogitavit *cibum et potum* exquisitissimos, quibus assidue reconvalescere possemus : et sic nobis dedit *mensam sacram.*

*
* *

Antequam hæc tria evolvamus, juvabit paulisper sistere et in nos ipsos animum reflectere, quandoquidem nos elegit Christus ut per nostrum ministerium fidelibus suis Eucharistiam daret sub triplici largitionis modo quem diximus.

O sacerdos, quam magnus, quam divinus mihi appares ! Vere vir Dei es ! An ubique, an semper, an in omnibus te geris ut se gerere debet vir Dei ?

An *cogitationes* tuæ sunt cogitationes viri Dei ?

An *affectus* cordis tui sunt affectus viri Dei ?

An *verba* tua sunt verba viri Dei ?

An *opera* manuum tuarum sunt opera viri Dei ?

An oculorum *aspectus* sunt aspectus viri Dei ?

An *incessus* tuus est incessus viri Dei ?

An tota *conversatio* tua est conversatio viri Dei ?

Ecce inveniuntur sacerdotes qui nullate-

nus loquuntur et nullatenus agunt ut viri Dei, ut homines divini, ut homines supernaturales ; sed qui loquuntur et agunt ut homines *mere naturales*, *sensuales*, *materiales*, *mundani*.

Faxit Deus ut omnis sacerdos qui hæc serio legerit, firmiter statuat talem ducere vitam ut merito insigniri possit nobilissimo titulo « viri Dei. »

Profecto ille quo Deus utitur ad dispensationem divinorum mysteriorum de quibus hic sermo est, *sanctus* esse debet, sanctus mente, sanctus corde, sanctus ore, sanctus corpore, sanctus in omnibus. Utinam cordi nostro vivis litteris insculpta maneant mandata quæ Dominus jubebat Moysen loqui ad sacerdotes filios Aaron, quæque referuntur in libro Levitici : *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus. Incensum enim et panes Dei sui offerunt ; et ideo sancti erunt.* (Levit., XXI, 6.) Hoc nobis præter libros sacros templi sanctitas in quo ministramus, hoc nobis ara, hoc vasa sacra, hoc Missæ sacrificium omnesque aliæ sacri ministerii functiones in quibus quotidie versamur, inclamant. Quod si ex ipso illo libro Levitici patet toties dictum fuisse a Moyse, jubente Deo, ad cunctum populum Hebræorum : *Sancti estote*, quia ego sanctus sum

(Levit., XI et XIX), quanto districtius putandum est id nobis applicari. Audiamus ergo nobis inculcari : *Sancti estote*, id est segregati ab omni iniquitate, quia ter sanctus est Dominus Deus exercituum, cui militatis.

Sancti estote, quia sanctus est Pater qui vos elegit, sanctus Filius cujus personam geritis, sanctus Spiritus sanctus quem in sacra ordinatione accepistis quique vos sibi signat et consecrat.

Sancti estote, tamquam qui in officiis vestris similes estis angelis Dei, ac proinde obligatissimi ut cum summa sicut et illi puritate coram Deo assistatis eique ministretis.

Sancti estote, utpote qui perfusi estis oleo sanctificationis a Sancto sanctorum defluente in vos tamquam a capite Aaronis, ut deinceps per vos variarum unctionum et benedictionum gratiæ usque ad infima Ecclesiæ membra et quasi usque in oram vestimenti Christi deriventur.

Sancti estote, quia characterem sacerdotalem in ordinatione accepistis, non solum tamquam signaculum potestatis traditæ, sed etiam tamquam signaculum gratiæ eximiæ quæ vobis datur, et sanctitatis perfectioris quæ a vobis exigitur.

Sancti estote, quandoquidem quotidie

Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ Deo offertis.

Sancti estote, quoniam totius sanctitatis vasa, sacramenta scilicet novæ legis, vestræ dispensationi commissa sunt, e quibus tamquam e sanctificationis fontibus vobis aliisque omnia bona cœlestia derivare debetis.

Sancti estote, tamquam speciales filii matris sanctissimæ Mariæ, cui cooperatores esse debetis, ut cum ipsa in cordibus fidelium Jesum possitis parturire ac deinde gratiam sic obtentam fovere, donec, ut loquitur Apostolus, Christus in eis formetur.

Sancti estote, utpote quibus commissæ sunt tot animæ, pretiosissimo Jesu Christi sanguine emptæ ; quo etiam sanguine easdem spargere debetis, pretium sanctum pro ipsis expensum ipsis applicando, ut ipsæ vobiscum fiant genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, de quo loquitur Petrus apostolus (II Pet., II, 9).

Sancti estote, tamquam *nazaræi*, hoc est sancti, segregati, coronati; tamquam *levitæ*, id est assumpti et specialiter electi ; tamquam *clerici*, id est de parte et hereditate sancta Domini ; tamquam *ecclesiastici*, hoc est de congregatione sancta, utpote *filii*

primogeniti sanctæ matris Ecclesiæ ; denique tamquam *mediatores* Deum inter et homines, Aaronis, Moysis, Samuelis, immo Christi ipsius locum tenentes.

En quot titulis ad vitæ sanctitatem obligati simus. Dicat igitur unusquisque nostrum ex toto corde illi qui nos ad tam altam conditionem evexit : Domine Jesu, quidquid habeo, a te accepi : a te habeo potestatem in exercitu tuo et in sacra militia tua, tamquam miles a duce ; a te vitam habeo, tamquam membrum a capite ; a te spiritum habeo, tamquam corpus ab anima vivificante ; a te succum gratiæ, tamquam palmes a vite ; a te rorem consolationis, tamquam terra arida a cœlo irrorante ; a te lucem, ut luna mutuatur a sole lucem qua nos collustrat ; a te motum omnem, tamquam instrumentum ab artifice ; a te unctionem, tamquam ab olei fonte, quia, ut scribit apostolus tuus Joannes, unctio tua docet nos de omnibus. (I Jo., II, 27.) Tibi ergo omnia accepta referre cupio ; tibi adhærere volo et nexu indissolubili uniri, ut semper a te participare valeam lucem et unctionem, gratiæ succum et rorem ; ut semper sentiam in me intus operantem motum tuum, spiritum tuum, vitam tuam. Ita vivere volo ut tu sis mihi omnia in omnibus. Amen.

CAPUT SEXTUM. — Tabernaculum.

MEDITATIO.

1um Præludium. — Audire Jesum dicentem e Tabernaculo : « Venite ad me omnes. »

2um Præludium. — Petere a Patre æterno gratiam perfecte cognoscendi, summe æstimandi et ardenter amandi Tabernaculum.

Quid esse debet oculis tuis Tabernaculum, o sacerdos ? Nonne domus est Dei tui ? domus Salvatoris tui... regis tui... fratris natu majoris... judicis... medici... advocati... consiliarii... amici ? Est igitur Tabernaculum tibi domus divina, domus regia, domus sancta, domus sub omni respectu utilissima, locupletissima, deliciis plena. Domus proinde talis ac tanta a te, o sacerdos, est *custodienda*, — a te *frequentanda*, — a te *glorificanda*.

1um Punctum. — Domus eucharistica a sacerdote custodienda.

Quisnam sacerdos dici potest bene custodire Tabernaculum ? 1° Ille qui valde sollicitum se præbet de bono statu materiali Tabernaculi ; qui minime patitur illud in-

curia æditui seu sacristæ sordescere ; qui severe et constanter exigit ut quidquid in Tabernaculo reconditur, mundissimum sit.

2° Ille qui ab oculis Jesu respicientis e Tabernaculo quæ in ecclesia fiunt, sedulo amovet quidquid divinos oculos posset offendere.

3° Ille qui omni conatu populum suum allicit ad invisendum frequenter et cum filiali pietate divinum nostrum Hospitem.

4° Ille qui, ut omnibus præeat exemplo, sæpe dirigit gressus suos versus domum Regis sui et Salvatoris, ut cum ipso agat de necessitatibus populi sibi commissi, vel ut, ante pedes ejus et coram regali throno ejus, sublimi fungatur legatione nomine Ecclesiæ, per piam Breviarii recitationem.

5° Ille qui ita omnia disponit, ut cuivis ex populo copia sit identidem per diem visitandi Jesum in humili suo palatio.

O mi Jesu, quam triste est videre sacerdotes fere quotidie summo mane claudere ecclesiam, et abire ad visitandos amicos, te interim, omnium amicorum maximo, in diuturna solitudine relicto. Ut venias ad nos, stupenda patras miracula ; et manes nobiscum die ac nocte, ut exsilium nostrum tua reali præsentia in paradisum terrestrem convertas : et ecce, isti sacerdotes taberna-

culum tuum tibi in solitudinem convertunt ! Hoc sane dolendum est.

IIum PUNCTUM. — Domus eucharistica a sacerdote frequentanda.

I. Considera, o sacerdos, quot titulis impellaris ad frequentandum Tabernaculum.

Sacerdos es Dei : adi ergo Deum tuum, ut eum adores cum angelis quibus bene multis circumdatus creditur ; et cum gaudio tuam adorationem ipsorum adorationi conjunge.

Socius es Salvatoris : adi ergo Salvatorem tuum et Magistrum, ut ab ipso artem edocearis peccatores convertendi animasque justas sanctificandi.

Aulicus es Christi regis et *legatus* ejus : adi ergo regem tuum, ut ipsi tua exhibeas fidelitatis obsequia ; ut tua præsentia ipsius animum recrees et consoleris, utque ex ore ipsius regia accipias mandata ad te et ad populum tuum spectantia.

Frater es Filii Dei : adi ergo fratrem tuum natu majorem, ut ipse apud Patrem pro te intercedere dignetur ; est enim adeo acceptus Patri ut nunquam aliquid ab eo petat quod non obtineat.

Reum te cognoscis culpæ : adi Jesum, eique animo contrito et humiliato delictum

confitere ; et continuo de venia concessa exsultare poteris.

Times futurum judicium : adi Jesum ; est enim advocatus tuus, et semper pro te apud Patrem interpellat.

Morbo laboras, sive corporali sive spirituali : adi Jesum ; est enim medicus peritissimus, et præditus est potentia ut et ipsos mortuos valeat ad vitam revocare.

Dubius es consilii vel gravant cor tuum anxietates : adi Jesum ; benevolentissimus enim consiliarius est, et tantæ sapientiæ ut nullus unquam qui eum cum fiducia adiit ab eo non acceperit lumen et robur, ad enucleandas quascumque difficultates, ad quæcumque pericula superanda.

Tristitia atque mærore consumeris : adi Jesum ; ipse enim est amicus tuus, omnium amicorum præstantissimus et fidelissimus. Nullus illo sapientior, nullus potentior, nullus amabilior. Diligit te amore infinito ; invitat te ingenti benignitatis affectu ad intime colloquendum cum ipso. Audi eum dicentem : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » (Matth., XI, 28.)

Superior es et *gubernator* alicujus communitatis : adi Jesum ; ipse enim in summo gradu arte pollet subditos gubernandi,

cunctasque res ad finem propositum perducendi fortiter simul et suaviter.

II. Accipe, o sacerdos, egregiam praxim qua uti solebat aliquis Superior, cum maxima consolatione sui et cum ingenti fructu suorum subditorum.

Singulis diebus ad vesperam, statuta hora, adibat Tabernaculum, ibique, facta piissima Christi Domini adoratione, sequentia præstabat. 1° Per manus Virginis immaculatæ jaciebat in cor Jesu quidquid male egerat ipse et quidquid male egerant subditi sui, ut omnia ab ipsis perperam facta in igne divini Cordis delerentur. 2° Per easdem manus Mariæ deponebat in Corde Jesu quidquid bene fecerat et quidquid bene fecerant sui subditi, ut hæc omnia per flammam divini amoris puriora evaderent et digniora quæ Patri æterno offerrentur. 3° Per Mariam commendabat paternæ Cordis Jesu providentiæ omnes res suas itemque res suorum subditorum, tum spirituales tum temporales; et multiplici experientia didicit id quod sic faciebat Domino Jesu valde placere. 4° Per Mariam postulabat a Corde Jesu pro se qualitates boni superioris et pro subditis qualitates bonorum subditorum.

Fatebatur mihi pius aliquis sacerdos

hanc praxim sibi fuisse per plures annos fontem inexhaustum luminis, virium et consolationum. Quidni tu idem, o sacerdos, experiri statuis?

III^um^ PUNCTUM. — **Domus eucharistica a sacerdote glorificanda.**

Zelosus custos Tabernaculi nec labori parcit nec sumptibus, ut omnis congruus honor sanctæ Dei domui ab omnibus exhibeatur.

I. SUPELLEX TEMPLI ET VESTES SACRÆ.

Effice, o sacerdos, ut illi quibus divina Providentia divitias temporales concessit, intelligant se nihil Deo gratius atque acceptius facere posse quam si partem divitiarum suarum impendant in honorem SS. Eucharistiæ, procurando ecclesiis Domini, in testimonium suæ pietatis, vasa pretiosissima, candelabra affabre facta, tintinnabula et thuribula ex materia non vulgari, indumenta sacerdotalia munda, pulchra et, si fieri potest, magnifica. Neque patiaris vestitum inservientium ad altare non esse decorum; sed cura tibi assidua sit ut is etiam nitore suo spectantes ædificet.

Puellis illis quæ libenter tempus suum liberum bonis operibus devovent, et cete-

roqui pietatem sanam habent, persuade ut aliquot horas singulis hebdomadis vel saltem singulis mensibus impendere assuescant in conficiendo et exornando sacra sacerdotum vestimenta et in pingendo acu pallas et alia similia quæ pertinent ad Missæ celebrationem et sanctissimi Sacramenti cultum. Utinam in parœcia tua tanta sit pietas erga sanctissimum Sacramentum, ut in omnibus familiis honestioribus, tempore recreationis post mensam, puellæ nunquam careant acu, non careant fuso! Eas exhortare ut sit inter illas sancta æmulatio in hoc labore, cui se accingunt ad gloriam amabilissimi Salvatoris. Sed caveat vir Dei ne occasione talis negotii nascatur paulatim nimia quædam familiaritas, quæ nunquam non est periculosa. Proinde semper menti nostræ præsens sit hoc aureum monitum sancti Augustini: Cum talibus brevis habendus est sermo; neque, etsi sanctiores sunt, ideo minus cavendæ: quo enim sanctiores sunt, eo magis alliciunt. (Cfr. S. Alphonsum, *Praxis conf.*, cap. VIII.)

II. Cantus et musica sacra.

Non minor sit tibi cura, o sacerdos, amovendi a sanctuario omnem musicam mundanam et fragosam, quam nuper, circa finem

anni 1903, summus Pontifex Pius X solemni judicio et « Motu suo proprio » condemnavit. Utinam hoc pontificale edictum ubique plenum effectum sortiatur! Nempe coram divina Majestate non nisi eæ voces et eæ musicalium instrumentorum species personare permittendæ sunt, quæ angelicarum vocum et angelicorum concentuum sunt æmulæ. Tu ergo, o sacerdos, serva fideliter et ex animo sequentia puncta a Pio X præscripta.

1. In officiis liturgicis adhibeatur præ ceteris cantus gregorianus. Legitime etiam adhibebitur cantus scholæ romanæ qui nomen habet a Palestrina.

2. Musica *recentior* non est omnino prohibita; sed hac in re moderamine utendum est et prudentia, ut scilicet ea musica recentior quæ admittitur, sit semper gravis et cultu divino digna.

3. Necesse est ut in omni officio *liturgico* adhibeatur solummodo idioma latinum. Proinde nihil nisi latine cantetur in Missa et Vesperis, necnon in Adoratione vespertina Sanctissimi (gallice *Salut*). Per totum ergo tempus quo durat officium liturgicum, abstinendum est ab omni cantu non latino.

4. Quoad *textum* cantus, prorsus prohibitum est aliquid in textu liturgico mutare,

eum decurtare vel in eo verba indebite duplicare. Ergo minime licet truncare *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, nec aliud quidquam eorum quæ pertinent ad Missam.

5. Sacerdos cantet quæ a sacerdote cantanda sunt, solus, ne organo quidem adjuvante.

6. Feminæ non admittuntur in choro seu schola clericali.

7. Curandum est ut et ipsi ecclesiæ cantores digni sint tam sancta functione et bona fama fruantur.

8. Prohibentur musicalia instrumenta nimis fragosa, ut sunt quæ vocantur gallice « tambour, » « grosse caisse; » vel nimium levia, ut sunt quæ vocantur « cymbales, » « carillons. » Item prohibetur instrumentum illud quod nomen habet « piano. »

9. Licet musica ecclesiæ propria sit musica *vocalis*, nihil tamen obstat quominus organum vel, si id permittat Ordinarius, aliud instrumentum ex iis quæ non sunt prohibita, cantum chori comitetur. Quamquam vox cantantium supra instrumentorum sonum semper eminere debet.

10. Prohibentur præludia longiora, necnon tractus musici intercalares.

11. Non possunt admitti intra ecclesiam profana musicorum sodalitia. Poterunt ta-

men extra ecclesiam interesse quibusdam cæremoniis liturgicis et processionibus, et sua instrumenta pulsare, dummodo licentia obtenta fuerit ab Ordinario, et ipsi cantum liturgicum non impediant nec turbent, nec aliquid profani concentus admisceant.

Omnem igitur impende curam et diligentiam, o sacerdos, in re tanti momenti. Fac ut quæcumque ad cultum divinum pertinent, digne, reverenter et sancte fiant. Tanta sit in ecclesia tua musicæ et cantus suavitas, ut mulceat animos fidelium et eis ad orandum juvamen sit et incitamentum. Faxit Deus ut populus tuus dicat de sua ecclesia quod dicere solebat de choro monasterii sui piissimus aliquis abbas: « Chorus mihi cœlum est in terris. »

III. Exercitationes sacræ.

Impiger sis, o sacerdos, in arripiendo omnem occasionem quæ occurrit augendi in populo tuo devotionem erga SS. Eucharistiam.

a) Singulis annis festum Corporis Christi multo ante præpara, ut splendide celebretur.

b) Magnopere conferunt ad gloriam Tabernaculi nunquam satis laudatæ praxes « Adorationis perpetuæ » et « Adorationis quadraginta, ut dicitur, horarum. » Concio-

nator bonus et confessarii extraordinarii in auxilium invitentur. Flores adhibeantur et luminaria, pia quadam prodigalitate. Sed quod caput est, legionem adoratorum formet pius pastor, ut ipso die adorationis omnes fere parœciæ incolæ, juxta ordinem præscriptum, per vices veniant ad ecclesiam, Jesum in sacramento sui amoris adoraturi.

c) Nihil forsan plus confert ad gloriam Tabernaculi quam institutio « Apostolatus orationis » et « communio generalis » quæ fit singulis mensibus, prima feria sexta mensis, in honorem sacratissimi Cordis Jesu. Incredibile est quantos soleat producere fructus hæc pia consociatio, dummodo consociationis rector omnes intendat vires ad eam in primo fervore conservandam per fidelem observationem regularum a Sancta Sede approbatarum. Compertum est multas parœcias in quibus incassum plura adhibita fuerant tentamina ad restaurandum in eis sacramentorum usum, hac sola semel instituta cœpisse quasi per miraculum vera pietate florere, et deinceps in frequenti usu sacramentorum perrexisse. Felix nimis sacerdos qui hoc intellexerit, et qui hoc et ipse tentaverit!

CAPUT SEPTIMUM. — Ara (1°). De finibus et fructibus Missæ.

NGREDERE mente templum hierosolymitanum et vide summum Judæorum pontificem, sacerdotalibus indutum vestibus, intra velum templi cum thuribulo ad Sancta sanctorum intrare, incensum offerre, fundere preces coram Arca, tum pro se et domo sua, tum pro universo cœtu Israel. Et hoc quidem semel tantum in anno fiebat, ut habetur in libro Levitici, capite XVI, et alibi.

I. Perpende jam quanto feliciores sint sacerdotes novi Testamenti præ sacerdotibus veteris, ut qui accedere possunt *omnes*, non unus, — non semel in anno, sed *quotidie*, — non ad Arcam, in qua Manna tantum, quæ Eucharistiæ figura erat, continebatur, sed ad Aram novæ legis, ubi *panis vivus* de cœlo descendens, Christus Dominus, offertur.

II. In lege veteri ob diversas causas et fines diversos diversa fiebant oblationes et sacrificia : quæ omnia evanuerunt coram unico novi Testamenti sacrificio, scilicet sacrificio Missæ, quod illis omnibus etiam

simul sumptis tantum supereminet quantum homo vivens superat hominem pictum ; siquidem, ut ait sanctus Leo papa I, in sermone 8 de Passione, Christum alloquens : « Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio ; quoniam tu es verus agnus Dei qui tollis peccata mundi, et ita in te universa perficis mysteria... » Et quamquam, ut docet sanctus Paulus, omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio (Hebr., IX, 22), tamen tanta est excellentia oblati semel in monte Calvariæ a Christo cruenti sacrificii per proprii sanguinis effusionem, ut ejus incruenta renovatio quæ in mysterio altaris quotidie a sacerdotibus perficitur, ad omnes fines quos populus christianus sibi præstituere potest ac debet, abunde sufficiat. Etenim

III. Incruentum missæ sacrificium dicitur et est — *primo* LATREUTICUM, quia in supremum Dei cultum, honorem et laudem institutum est, ut sic eum confiteamur esse Dominum vitæ et mortis nostræ. Quin et in gaudium accidentale vergit beatorum, tam angelorum quam hominum. — *Secundo*, est EUCHARISTICUM ; offertur enim in gratiarum

actionem ob innumerabilia ac pene infinita nobis tam naturalia quam supernaturalia collata dona et beneficia. — *Tertio*, est SATISFACTORIUM, pro innumeris scilicet hominum peccatis. — *Quarto*, est IMPETRATORIUM, ad hoc videlicet institutum ut per illud omnis generis bona obtineamus. Neque tot a Deo nobis conferri possunt beneficia, quin plura semper et majora nobis per passionem suam promeritus sit Filius Dei, cujus omnis actio et passio infiniti erat valoris. Ideoque per quæcumque beneficia et munera, quæ solum finita sunt et esse possunt, exhauriri nequeunt merita Christi.

IV. Multiplices hos effectus et fructus sacrificii Missæ paucis complexus est sanctus Bonaventura (De præp. ad missam, cap. 5) : « Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est privat sanctissimam Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, animas in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio ac semetipsum cœlesti medicina, necnon animæ ac corporis remedio excellentissimo. » Recole quod ait auctor Imitationis, lib. IV, cap. 5 : « Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat,

defunctis requiem præstat, et sese omnium bonorum participem efficit. » Inter fructus enim hujus sacrificii et sacramenti quod in eo sumitur, numerari possunt quoad ipsum sacerdotem celebrantem : remissio peccatorum præteritorum, præservatio contra peccata de futuro, refrenatio passionum, imminutio tentationum et motuum carnis, excitatio devotionis, fidei illuminatio, spei confirmatio, caritatis inflammatio, omnium Christi meritorum participatio et unio cum Deo.

Attendant hæc sacerdotes negligentes, qui ob levia negotia aut ex mera quandoque pigritia omnium negotiorum maximum, sacrificium scilicet missæ, omittunt. Attendant quot et quantis bonis tum seipsos tum Ecclesiam universam, et militantem in terris, et patientem in purgatorio, et in cœlis triumphantem, defraudent.

V. Quod si forte *timor* te retrahit, o sacerdos, a frequenti, immo quotidiana sancti sacrificii celebratione, scito *amorem* te magis impellere debere ut ad altare accedas. Melior est enim, ex mente sancti Thomæ, et utilior, statuique nostro congruentior *affectus amoris* quam timoris, præstatque ex illo accedere quam ob hunc abstinere, dummodo afferas ad missæ cele-

brationem eum conscientiæ statum quem concilium Tridentinum absolute requirit.

Maxime notandum et consolatione plenum est id quod narrat de Beato Alano de Rupe scriptor gravis, Eusebius Nieremberg, S. J., in Doctrina sua ascetica, libro 2, quomodo Christus eum severe corripuerit ob omissam missæ celebrationem; et quomodo eum ad quotidie sacrificandum hortatus sit. «Nihil tibi unquam, dicebat Christus servo suo Alano, tanti videatur cujus vel amore vel metu tremenda frequentare officia intermittas (excepto solum peccato mortali inconfesso); nec ab eis quempiam retardare sacerdotem debet ariditas indevotæ mentis, non occupatio urgens, non urens tentatio, nec aliæ spurcitiæ carnis involuntariæ. Vide quantis et quot donis privent desides sacerdotes sua cessatione: privant Deum gloria, me potentia et voto, matrem meam materna dignitate, angelos honore, sanctos lætitia, auxilio militantes, defunctos redemptione. Privant infirmos medicina, ignorantes scientia, alimonia esurientes, pauperes divitiis, suo mundum rege et universa suo servatore.» Hæc Christus. Ex quibus claret quotidianam missæ celebrationem summe laudabilem esse et salubrem, dummodo adsit conscien-

tia munda a gravi peccato et debita præparatio; defectus enim actualis devotionis supplet bona voluntas et conatus ad eam.

Ut autem quis magis paratus sit ad celebrandum et ad sacram Eucharistiam sumendam, studeat omnia sua pia opera ab ultima communione seu missa ordinare tamquam præparationes ad proximam celebrationem; sic enim opera illa duplex meritum participabunt: unum *ex opere operantis*, in quantum ab ipso opus faciente procedunt et tum ratione sui tum ex objecto suo proximo bona sunt, alterum vero *ex opere operato*, in quantum scilicet sacra communio ex Christi institutione infallibiliter gratiam producit in omni non ponente obicem.

CAPUT OCTAVUM. — Ara (2°). De excellentia Missæ.

EX jam dictis satis liquet quanta aviditate, reverentia et attentione Missæ sacrificium, non solum a sacerdote, sed et ab omni populo christiano offerendum sit, utpote quo nihil Deo honorificentius, nihil dignius aut sanctius, nihil ad bonam vitam et contra peccata efficacius, nihil omnibus Ecclesiæ membris utilius, nihil ipsis opulentius, nihil gratius Jesu Christo, Mariæ Virgini, angelis aut beatis mentibus ab ipsa Ecclesia militante præstari potest.

Satagat igitur sacerdos populo suo aliquid identidem explicare de excellentia sacrosancti Missæ sacrificii, de ejus utilitate, de jucunditate quam affert, — hocce fere modo :

Quid est Missa, nisi legatio quotidiana Sanctissimæ Trinitati facta, cum munere incomparabili conjuncta, in testimonium servitutis nostræ, in agnitionem quoque universalis dominii ejus, et ut eam confiteamur esse supremum numen infinitæ majestatis? In ipsa enim Deo, utpote auctori vitæ et mortis, offertur vita et mors Jesu

Christi, qui est primogenitus omnis creaturæ; offertur autem tamquam tributum quotidianum ab Ecclesia militante, cooperante et assistente cœtu totius Ecclesiæ triumphantis: ut Numini Trino et Uni supremus ab omni creatura honor impendatur, ejusque celebretur potentia, sapientia, bonitas, et aliæ infinitæ ejus perfectiones quæ in hoc sacrosancto mysterio elucent. Quid igitur potest esse Deo honorificentius quam quod cœlum et terra, omnisque creatura in Christo Jesu recapitulata et compendio collecta, simulque in ipso Deus ipse Deum colat summo honoris obsequio?

Quid est Missa, nisi perfectum holocaustum ardentissimæ caritatis, in quo ipse Deus sacri amoris, Christus Jesus, seipsum ut victimam offert et consumit in honorem Patris æterni? Renovat enim hic Filius Dei totum caritatis ignem flagrantissimum qui ejus Cor unquam, vel in ultima cœna, amoris extremi extrema scena, vel in cruce, igniti amoris exæstuante fornace, vel in tota simul vita, exussit. In hoc porro sacrificio invitat omnes nos, ut cum ejus in Patrem amore amorem cordis nostri jungamus, et nosmetipsos offeramus per ignitam et adurentem dilectionem, sicut ipse se

offert, ita ut exhibeatur Patri æterno acceptabile holocaustum, non solum corporis Christi veri, sed et corporis ejus mystici. Optat enim vehementissime Christus ut omnia membra sua mystica, hoc est omnes fideles, eodem quo ipse sacro igne exardescant, et sic hostia perfecta fiant in odorem suavitatis. Quid Deo acceptabilius, quid hominibus jucundius esse potest sacrosancto hoc missæ sacrificio ?

Quid est Missa, nisi epulum dignissimum et exquisitissimum, in quo ipsa divinitas, sanctæ humanitati Christi conjuncta, nobis ut cibus proponitur, cibus sanctorum, refectio animarum sanctarum in hoc peregrinationis tempore, donec adspiret dies æternitatis ? In hoc divino convivio propinatur insuper nobis, cum « frumento electorum, » « vinum germinans virgines » (Zachar., IX, 17), ac veluti libamen sacrum mystice effunditur sanguis ille pretiosæ uvæ de qua Jacob vaticinabatur ad filium suum Judam : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.* (Gen., XLIX, 11.) Quid ergo missæ sacrificio et convivio dignius aut sanctius ? Quid potest reperiri pretiosius in cœlo et in terra? quid dignius quod simul et Patri æterno offeratur et simul in spiritualem ciburn præbeatur hominibus?

Quid est Missa, nisi viva et perfectissima repræsentatio, immo renovatio incarnationis Filii Dei, nativitatis ejus, vitæ sanctissimæ, passionis et mortis, uno verbo totius redemptionis a Jesu Christo peractæ? Fit hic iterum oblatio vulnerum ejus; iterum vox sanguinis ejus ad Patrem pro misericordia inclamat; iterum intercedit hic pro nobis ille qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia. (Hebr., v, 7.) Quid igitur efficacius esse potest ad peccatum exstirpandum hoc sacrosancto missæ sacrificio?

Quid est Missa, nisi meritorum Christi efficax applicatio ac thesauri hujus apertio, ut nos ex eo opes cœlestes depromamus et nobis accumulemus, ac Deo debita omnia abunde persolvamus? Quid ergo missæ sacrificio opulentius? Quid homini utilius? Si autem Pater nobis iterum donat Filium, quomodo non etiam, ut loquitur sanctus Paulus, cum illo omnia nobis (Rom., VIII, 32), aut saltem propter illum donabit? Si impetrare possumus quidquid orantes petimus in nomine Filii, quanto magis id quod ipsemet Filius hic præsens, ut mediator et intercessor, ut sacerdos et hostia, a Patre pro nobis exposcet? Ergo gratiæ auxilia,

necessaria vitæ, pacem publicam, et quælibet cœlestia dona hic multo facilius quam alibi impetrare possumus.

Quid est Missa, nisi oblatio Jesu Christi, filii Virginis Mariæ, quem cum Maria Patri æterno præsentamus, ut agnoscat et quasi reminiscatur se eumdem voluisse habere cum illa filium, qui se pro fratribus usque ad finem seculi offerret et sacrificaret, litando scilicet carnem illam et sanguinem quæ a Virgine accepisset? Et quoniam Pater, hæc agnoscens, non potest non repetere: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, et per quem omnes mihi placent, quicumque placent, quid Mariæ Virgini potest esse gratius, quid nobis, filiis ejus, fratribus Christi, magis appetendum?

Quid est Missa, nisi erectio scalæ mysticæ cœlum et terram simul attingentis? Christus nempe ratione humanitatis suæ terram, ratione vero divinitatis suæ cœlum attingit. Ipse ergo per scalam illam designatur quam vidit Jacob, quia per ipsum ad cœlum ascendimus. Jam vero hæc scala nobis quotidie præsto est, in sacrosancto altaris sacrificio, ut per eam ad cœlestia nos tollamus. Quotidie nimirum hic veritatem habet quod aiebat Jesus ad Natha-

nael : *Videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* (Jo., I, 51.) Contemplemur ergo oculo fidei angelos ascendentes et descendentes, ut vota nostra ad cœlum ferant et inde in terram dona referant, et intelligemus nihil angelis gratius esse quam hoc suum ministerium in sacrosancto missæ sacrificio.

Quid est Missa, nisi commemoratio effusi olim in monte Calvariæ sanguinis Christi, ejus scilicet Christi qui dux et caput est martyrum, ac simul commemoratio omnium qui illum secuti sunt, maxime per proprii sanguinis pro ipso effusionem? Hi fuere veluti victimæ ei sanctificatæ; unde canit Psalmista : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* (Ps. CXV.) Quapropter, cum in missæ sacrificio simul cum morte unigeniti Filii Dei mors etiam martyrum ejus celebri ritu commemoretur, quid beatis illis martyribus gratius contingere potest quam quotidiana hæc oblatio?

Quid est Missa, nisi elevatio Agni quem Joannes apostolus (Apoc., IV et V) vidit « stantem tamquam occisum, » dum a mysticis quatuor animalibus dicebatur jugiter in laudem Dei sedentis in throno: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omni-

potens, qui erat, qui est, et qui venturus est, » et dum viginti quatuor seniores cœlestes, qui omnium Beatorum locum tenent, procidebant et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : « Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia ? » Deinde omnes simul ad Agnum conversi, cadebant coram eo, dicentes : « Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et *sacerdotes ;* » et : « Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. » Cum ergo agnoscant omnes Beatorum ordines coronas suas sibi ab Agno fuisse comparatas, quid illis gratius esse potest illo sancto sacrificio in quo Ecclesia triumphans cum sorore sua Ecclesia militante voces miscet exsultationis et confessionis ?

CAPUT NONUM. — Ara (3°). Explicatio mysteriorum Missæ et simul modus eam audiendi.

TROBE intelligere conare, o sacerdos, quæ quantaque sint sacrificii Missæ mysteria, ut scias tum eorum assidua meditatione ad animæ tuæ lucrum uti, tum eadem juxta concilii Tridentini præscriptum cum ingenti fructu populo tuo explicare. Etenim, quamquam ob gravissimas causas, quas inter alios exponit Benedictus XIV in opere suo De missæ sacrificio, Ecclesia vetat quominus preces liturgicæ celebrentur lingua vulgari, paucis admodum regionibus exceptis, mandat tamen concilium Tridentinum, sessione XXII, capite 8, « pastoribus et singulis curam animarum gerentibus ut frequenter inter missarum celebrationem... ex iis quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent. »

I. Maxime optandum est ut christianus quivis discat considerare auditionem Missæ tamquam privilegium, non vero tamquam onus solummodo. Jam vero ad id confert ipsum nomen *Missa*. Hæc enim vox, si

bene attendatur ejus origo, ideam ingerit venerationis debitæ ; siquidem antiquitus, cum ventum erat ad secundam partem sacri, in qua scilicet locum habet Offertorium, quo sacrificium proprie dictum inchoatur, illi soli in loco sacro remanere poterant qui censebantur gratiam baptismalem acceptam conservasse vel saltem per pœnitentiam recuperasse ; mittebantur autem foras catechumeni et pœnitentes, quibus in priore parte sacræ functionis interesse licuerat. Vocabatur hoc « missa » (sive *dimissio*) catechumenorum et pœnitentium, et excitabatur proinde in ceteris sanctum gaudium, propterea quod ipsis remanere daretur.

II. Eo tempore quod jam propius præcedit sacri celebrationem, cura ut ipse observes et inculca populo tuo ut religiose observet id quod a Domino præcipitur his verbis Ecclesiastici : *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* (Eccli., XVIII. 23.) Præmittat itaque celebrationi sacerdos orationem et meditationem, servetque usque ad illud tempus strictum silentium cum perfecta animi recollectione ; commendetque fidelibus ut, dum ipsi ad ecclesiam tendunt, servent itidem in via animi recollectionem

quæ christianos tunc maxime decet, et assuescant recogitare apud se quantum sit illud ad quod conveniunt. Quo fiet etiam ut semper curent tempore adesse, sicuti præcipitur, et ut adveniant cum sancta aviditate, ingeminantes cum cantico graduum: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus* (Ps. CXXI), et ut imitentur pastores Bethleemiticos, qui invitati ab angelis ad præsepe Domini, eo « venerunt festinantes, » ut ait sanctus Lucas.

III. Assuescat sacerdos seipsum considerare ut offerendum Deo cum Christo, sicut tota Ecclesia simul cum Christo æterno Patri offertur, juxta illud Augustini, *De civitate Dei*, libro X, capite 6: « Profecto efficitur ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo *per sacerdotem magnum*, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus... Quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur quod *in ea re quam offert*, ipsa offertur. » Inculca idipsum populo tuo, o sacerdos, sicut sanctus Augustinus faciebat.

IV. Dum sacras vestes induit sacerdos celebraturus, intimo mentis affectu gustet

mystica verba quæ pronunciat, et persuasum habeat id quod concilium Tridentinum affirmat, sessione XXII, capite 5, Ecclesiam scilicet adhibere « mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, *vestes*, aliaque id genus multa, *ex apostolica disciplina et traditione*, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum *quæ in hoc sacrificio latent*, contemplationem excitarentur. » Hoc idem gravissimi auctores omni tempore perhibuerunt. Quapropter, licet liberum sit unicuique omittere et negligere interpretationes eas symbolicas quas privati scriptores plus minus arbitrario excogitarunt circa cæremonias Missæ et sacra vestimenta sacerdotis, libenter amplectere, in spiritu Ecclesiæ, o pie sacerdos, quidquid in hoc genere ab ipsa Ecclesia authentice proponitur, et arripe hanc occasionem tam commodam sanctificandi quotidie magis in te templum divinitatis quod intra te est.

V. Adveniente tempore sacrosancti sacrificii, post lotionem manuum dicamus cum devotione ad impositionem *amictus* : « Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, » etc.; et quia amictus, antequam circum vestis non sacræ collarium applicetur, verticem

caput paulisper tangere debet, noverit sacerdos id ideo nunc eo modo peragi ut servetur memoria antiquæ cujusdam consuetudinis, quando videlicet amictus totum caput celebrantis tegebat in modum galeæ. Quoniam vero jam mos inductus est ut statim ad collum circumdandum applicetur, juvat meminisse verborum quæ a pontifice proferuntur in ordinatione subdiaconi, quando amictum qui in collo ordinandi jacet, imponit super caput ejus et dicit : « Accipe amictum, per quem designatur *castigatio vocis* » — id est, moderatio, ut scilicet cum loquimur, sermones nostri sint tamquam sermones Dei, ut ait Petrus apostolus. (I Pet., IV, 11.)

Alba, seu longa vestis linea albi coloris, quæ antiquitus « poderis » vocabatur, sicut adhuc nunc apud græcos, innuit certe in primis castimoniam et cordis puritatem quæ in sacerdote requiruntur. Proinde postulat sacerdos quotidie, dum albam induit, has virtutes sine intermissione in se augeri, dicens : « Dealba me, Domine, et munda cor meum, » etc.

Cingulum, seu zona, adhibetur quidem ad impediendum quominus alba defluat ; sed jam sub antiqua lege, in ritu mosaico, illi affigebatur mystica significatio, ita ut

designaret virtutem castitatis. Ideo dicat sacerdos cum pio mentis affectu : « Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, » etc.

Manipulus, primum ad usum vulgaris sudarii, etiam apud clerum in sacra functione, adhibitus, nunc jam ad ornatum reservatur, et ad mysticam designationem. Quare dum eum accommodat brachio suo sinistro, per quod juxta præstantissimos sacrarum scripturarum interpretes multis in locis ab ipso Spiritu sancto significatur conditio vitæ præsentis, jubetur sacerdos dicere: « Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris... » et verba sequentia alludunt ad Psalmum CXXV, in quo electi Dei dicuntur venturi cum exsultatione, portantes manipulos suos ; additur enim : « Ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris. » Nimirum vita præsens laboriosa est ; sed ex labore pro Deo suscepto proveniunt merita, et hoc nos monuit pontifex dum in ordinatione ad subdiaconatum nobis dixit : « Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum. »

Stola quæ nunc dicitur, antiquitus « orarium » vocabatur, eratque orarium pannus scilicet ad sudorem ab ore abstergendum, unde etiam facta est vox ὀράριον in usu loquendi ecclesiastico Græcorum. Adhibetur

autem ab Ecclesia ad ornamentum solummodo, et imponitur sacerdoti in ordinatione non jam, in humero, ut fit pro diacono, sed circa collum,cum his verbis: « Accipe jugum Domini ; jugum enim ejus suave est et onus ejus leve. » At dum idem sacerdos eam sibi imponit ante sacrum, jubetur dicere : « Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, » et debet eam non solum ante pectus suum decussare, sed nec potest, ut aliqui perperam faciunt, eam tam laxe collo imponere ut cervicem jam non tangat, sed inferius inter scapulas descendat. Portanda est enim stola sacerdotalis ut portatur jugum, id est in cervice : secus corrumpitur symbolica ejus significatio.

Casula vocatur vestis sacerdotalis extima, ex eo quod antiquitus quasi domus sive casa totum hominem, capite excepto, tegebat. Vocatur etiam *planeta*, quia propter formam suam circa sacerdotem quasi vagabatur. Fit autem non ex lino, ut alba, sed ex panno pretiosiore, et insignitur, ut olim laticlavus senatorum romanorum, larga fascia ex purpura vel panno serico, quæ jam a longo tempore in parte dorsuali figuram habet crucis ; immo etiam in parte anteriore talem figuram aliquando habuit, juxta id quod legitur apud Thomam Kem-

pensem in libro De imitatione Christi, libro IV, cap. 5, ubi ait : « Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. Habet *ante se et retro* Dominicæ crucis signum, ad memorandam jugiter Christi passionem. » In mente sanctæ Ecclesiæ significat casula *caritatem ;* dicit enim episcopus, dum eam in ordinatione sacerdoti imponit: « Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur. » Ipse autem sacerdos, dum eam ante sacrum induit, dicere jubetur orationem quæ alludit ad jugum Domini suave et ad onus ejus leve, quasi stola idem sit cum casula ; et reapse sunt semper hæc duo ejusdem coloris et ex eadem materia.

Sunt qui, ulterius progressi, per albam et casulam repræsentari dicunt vestem albam qua Herodes, et vestem purpuream qua milites Pilati Christum induerunt ; sed tales interpretationes non occurrunt in documentis liturgicis. Possunt tamen aliquo modo devotioni inservire, dummodo adhibeantur ut omnino secundariæ.

VI. Quod jam attinet ad ipsum sacrum, juvat in eo cum sancto Thoma (3ª p., q. 83) distinguere duas partes, quarum prior, quæ *præparatoria* est, extenditur usque ad offer-

torium, posterior vero cum offertorio incipit et ea omnia complectitur quæ constituunt proprie loquendo divini mysterii celebrationem. Sunt autem tria : *oblatio*, *consecratio* et *communio*. — Jam vero si omnia quæ in priori parte sacri fiunt, rite populo explanentur, non est timendum ne fideles sibi in animum inducant sufficere si intersint in sola secunda parte Missæ, et sic præceptum de audiendo sacro integro negligant. Urget enim Ecclesiæ lex de audiendo sacro integro, quidquid sit de ratione distinguendi theoretice partes sacri; et præterea tam pulchra dicenda sunt de prima parte hujus sacræ functionis, ut nihil sit ad quod christiani magis allici debeant, quam ad hanc partem, licet mere præparatoriam.

VII. Doceantur itaque fideles cogitare in initio sacri de hoc quod, ut loquitur sanctus Thomas in officio Corporis Christi, « immensa divinæ largitatis beneficia, exhibita populo christiano, inæstimabilem ei conferunt dignitatem ; » quod videlicet post breve tempus in altari aderit coram nobis et pro nobis ipse Deus noster. In his cogitationibus defixus, dicat unusquisque cum celebrante psalmum *Judica*, gratias agens Deo quod nos per baptismum et per

gratiam sacramentorum segregavit *de gente non sancta*, quodque ipse est *fortitudo nostra ;* quod lux ejus et veritas nos *deducunt et adducunt ad montem sanctum ejus et ad tabernacula* ejus, quodque nobis datur tam prope adire *ad Deum qui lætificat juventutem nostram.*

Reflectens deinde ad miserum statum in quo jacebat humanum genus ante Christi adventum, et ad proprias culpas, unusquisque dicat cum sacerdote *Confiteor ;* et si hoc fiat cum dolore et bono proposito, valet ad remittenda peccata venialia, etiam sine confessione sacramentali.

Perseverandum in his sensibus dum recitatur *Introitus*, vel in sensibus consonis festo quod eo die celebratur. Invocatur dein misericordia sanctissimæ Trinitatis per repetitam obsecrationem *Kyrie eleison ;* eademque sanctissima Trinitas egregio modo laudatur per hymnum *Gloria in excelsis ;* quæ laudatio ab omnibus qui adsunt, persolvi deberet, quandoquidem officium Deum laudandi computatur ut primarium inter omnia quæ creatura creatori suo præstare tenetur. Jungat se etiam unusquisque in spiritu cum celebrante, dum is recitat *collectas* seu primas orationes, et respondeat secreto *Amen* cum ministro qui sacro

inservit. Tunc enim omnia totius populi christiani vota nomine Ecclesiæ universæ a sacerdote *quasi in unum colliguntur* et Deo offeruntur per divinum mediatorem, Dominum nostrum Jesum Christum. Potentissima sane supplicatio!

Dum leguntur aut canuntur *epistola* et *evangelium*, qui mos antiquissimus est et inde ab ipso ævo apostolico usurpatus, protestentur fideles coram Deo velle se admittere toto corde omnia quæ Deus ipse sive per prophetas antiquæ legis sive per apostolos in lege nova nos edocere dignatus est. Immo, habeant ii qui magis litterati sunt, libros ex quibus certis saltem diebus ea legere possint quæ ab Ecclesia ex sacris Scripturis excerpta sub sacro legenda præscribuntur. Audita dein cum summa reverentia sacra concione, si qua fiat, recitetur cum vividæ fidei affectu *Credo*, si idem fiat ad altare.

Oblatio, quæ prima pars est sacrificii eucharistici proprie dicti, in mentem revocat tempora cum fideles ipsi panem et vinum asportabant ad usum sacri sacrificii. Dum autem sacerdos parat ea quæ necessaria sunt ad consecrationem, meminerit unusquisque eorum qui adsunt, se nihil melius hoc tempore facere posse quam si cor suum

per ferventem oblationem collocet in altari juxta oblata, rogetque Deum ut quidquid in hoc corde terrenum et vitiosum est, per merita passionis Christi expellatur et totum illud cor in cor Deo omnino subditum transmutetur, sicut panis et vinum transmutanda sunt in corpus et sanguinem Christi. His immoretur usque ad *Præfationem* et *Sanctus*.

Videndum jam hic oculo fidei id quod sanctus Chrysostomus monet, sanctos angelos scilicet de cœlo descendere et altare circumdare ut, quando mox rex ipsorum in illud descendet, coram eo præsto sint ad eum adorandum. Cum cœlestibus illis mentibus se conjungat proinde unusquisque fidelium qui adsunt, et faciat pro se suisque omnibus *memento* vivorum, offerens cor suum amore inflammatum et ab omni terreno cogitatu abstractum regi suo Christo qui interim per *consecrationem* jam præsens est. Aspicere audeat unusque hostiam sanctam quam sacerdos supra caput suum ad orationem fidelium ostendit, postuletque a Deo ut oculi qui has sacras species aspexerunt, jam non convertant se ad ea quæ aspectu christianorum indigna sunt. Gratias agat pro beneficio redemptionis, et petat applicari sibi et *animabus defunctorum* me-

rita Christi. *Pater noster* devote recitetur, et tota mentis intentio dirigatur sive ad communionem sacramentalem sive ad *communionem spiritualem*, et his rursus immoretur unusquisque usque ad finem sacri.

***

Hoc modo audiendi sacrum obtinebitur ut fideles copiosius percipiant sacrosancti sacrificii fructus, et ad illud frequentandum propensiores fiant. Hodierno tempore multum commendatur passim, et non sine causa, ut omnes, quantum fieri potest, sequantur in audiendo sacro preces liturgicas, etiam ii qui, quoniam legere nesciunt, mentem suam facilius colligunt ope rosarii beatæ Mariæ Virginis vel meditando in genere de passione Christi. Ratio certe habenda est etiam debitæ variationis ; sed optandum ut ab omnibus mysteriorum Missæ teneatur notitia.

Hæc proinde fidelibus inculcanda, et iis qui pleniorem et ulteriorem eruditionem circa hæc per seipsos adipisci queunt, libri de hac materia indicandi.

CAPUT DECIMUM. — Ara (4°). Rationes quæ movere debent ad audiendum Sacrum quotidie.

§ 1. — Ut non simus ingrati.

GRATIARUM actio est unum ex præcipuis debitis cultus divini. Oritur siquidem hæc obligatio ex essentialibus relationibus quæ Deum inter et hominem intercedunt. Quapropter nec ipse Deus hominem hoc officio eximere potest. Poterat eum non creare, sed, postquam eum creavit, cedere jam non potest honore et gloria illa externa quæ ipsi provenit ex grati animi significatione quam exhibet illi creatura ejus ob accepta beneficia. Unde mirandum non est districtam Dei voluntatem circa hoc toties et quasi per omnes sacræ Scripturæ paginas inculcari. Hinc est quod in lege veteri per seipsum tam particulatim ordinavit statutos dies festos et sacrificia in memoriam suorum mirabilium. Hoc idem munus gratias Deo agendi solemniter affirmatur in sacra liturgia novæ legis, cum ad verba celebrantis : « Gratias agamus Domino Deo nostro, » a tota plebe respondetur : « Dignum et ju-

stum est, » et a celebrante resumitur: « Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi *semper* et *ubique* gratias agere, Domine sancte... » Hujus officii adimpletio elucet in vita omnium qui ab initio mundi Deo placuerunt. Ipse autem Christus qua homo, in Evangeliis, et post ipsum apostoli in suis epistolis fere semper ut gratias Deo agentes exhibentur. Contra, negligentiam in hoc officio præstando exprobravit Christus Dominus palam, cum de decem leprosis quos mundaverat, dixit : « Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt ? Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. » De hac negligentia monet sanctus Bernardus, in sermone 51 in Cantica : « Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. » Jam vero si ingratitudo fugienda est, ubinam, quæso, major apparebit quam ubi agitur de neglectu talis Dei beneficii quo non potest dari majus ? Hoc autem est institutio sacrosancti sacrificii Missæ. Consequentia patet. Quapropter, licet fideles satisfaciant legi Ecclesiæ, si semel sacro intersint in dominica die et quibusdam diebus festis, cum

tamen nullo modo perfectius gratiæ agantur Deo quam per hoc divinum sacrificium, quod, ut diximus, excellenter et sine comparatione *eucharisticum* est, id est gratiarum actio ab ipso Christo nomine nostro Deo oblata, nonne ingrati dicendi sunt ii omnes qui, cum aliquo modo possunt, et sine gravi incommodo, *quotidianam* sacræ Missæ auditionem omittunt? Cultus Dei in hoc maxime constitutus est ut anima ei non sit ingrata, ait S. Augustinus, De spir. et litt., c. XI.

Nihil autem juvat opponere nos multis aliis modis Deo gratias agere posse ; nam, ut supra diximus, Deus hunc modum gratias agendi qui fit per Missæ sacrificium, christianis ipse præstituit ; ita ut ipsis liberum non relinquatur pro arbitrio suo modum actionis gratiarum seligere, si modum a Deo inductum sine sufficienti causa omittant.

Quamobrem si erga Deum grati esse volumus, id in primis ostendi debet, ut diximus, circa tale Dei donum quo non potest dari majus : hoc autem est institutio Missæ. De hoc ergo beneficio præsertim gratias habere et agere debemus, idque fieri oportet eo prorsus modo quem Deus instituit. Ex hac inconcussa veritate rursus apparet

quantopere deceat quotidie sacro interesse. Primus enim gradus gratitudinis in hoc consistit, docente sancto Thoma, *ut beneficium* benigne, id est libenter, *acceptetur*. Libenter ergo quantum potest quotidie sacro intersit quisquis erga Deum ingratus esse formidat.

§ 2. — Ut omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.

Pensandum deinde *quam proficua* sit quotidiana Missæ auditio. Si enim nihil est quod Deum magis ad indignationem movet quam neglectus suarum gratiarum, nihil vicissim eum magis ad misericordiam inclinat quam si nos videat sincero corde pro viribus exsequi id quod Raphael angelus Tobiæ commendabat : « Coram omnibus viventibus confitemini illi ; » id est, cum publice ostendimus nos ea quæ pro nobis fecit, magni facere. Deus quippe multum honoratur publica hac beneficiorum suorum memoria, per quam etiam testamur nos strenuo cœlestium bonorum desiderio teneri, et nos velle propter eorum adeptionem nosmetipsos variis incommodis obnoxios facere, ut sunt in præsenti materia hora matutina sacri, itineris longitudo, aeris intemperies, et alia hujusmodi. Unde mirum

non est Deum hac occasione præstare quod post beatam Virginem canit Ecclesia in officio Corporis Christi : « *Esurientes* replens bonis, *fastidiosos* divites dimittens inanes. » Deus enim, ut adagium habet sanctorum, non sinit se vinci generositate et liberalitate creaturæ suæ ; sed, sicut parentibus acceptum est cum summo mane ante omnia filii sui ipsos conveniunt et salutant, et sicut ipsi hæc pietatis et observantiæ studia amoris sui testificationibus rependunt, ita mirifice Christo placet ut quotidie fideles sui in sacro Missæ sacrificio eum adeant, salutent, adorent ; et ipse vice sua magnifice eos remunerat. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (Matth., v, 6.) Et quidem :

1. Quotidiana sacri auditio egregium est remedium contra quotidiana peccata. Præclare hoc docet concilium Tridentinum his verbis : « Christus, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus *in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum* applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchi-

sedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem :* uti semper catholica Ecclesia intellexit... »

2. Sicut aspectus serpentis in deserto sanitatem corporis reddebat lethaliter vulneratis, ita dubium non est quin Christi corpus, dum sub consecratione pie aspicitur, magnam virtutem habeat ad sanandas animas et gratiam necessariam conferat ad peccata mortalia, si opus sit, cum dolore confitenda et in posterum vitanda. Quoniam ergo « innumerabilibus peccatis venialibus, offensionibus et negligentiis » quotidie animas nostras aspergimus et singulis momentis in periculum incidimus mortalibus peccatis Deum offendendi, optime nobis consulimus, dum sacro Missæ officio quotidie adversus gravium peccatorum pericula nos munimus et conscientiam nostram a peccatis venialibus purgamus.

3. Non solum offertur in Missa aliquo modo sacrificium Deo ab omnibus qui pie

adsunt, et sic pro sua dispositione meritis ditescunt, sed insuper quotquot ibi devote se præparant et intentionem suam cum sacerdotis intentione conjungunt, partem habent in communione sacramentali sacerdotis et spiritualiter saltem corpore et sanguine Christi reficiuntur : quasi ipsi omnes per os sacerdotis communicent et fructum inde referant, sicut fit materialiter in corpore humano, cum ad varia membra per os cibus transmittitur.

4. Quia efficacissimæ sunt omnes sacrificii Missæ orationes, nunquam melius quam hoc tempore sive vivis sive defunctis opitulari possumus.

5. Solet peculiari modo Dominus in temporalibus etiam rebus illi magis favere quem videt ante omnia spiritualium rerum et divini honoris curam gerere; non enim sine causa dicit Christus in Evangelio : « Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. »

CAPUT UNDECIMUM. — Mensa sacra (1°).

MEDITATIO.

Sacræ Eucharistiæ sumptio.

1um Præludium. — In mentem revocemus id quod narratur libro secundo Regum, capite 9, de Miphiboseth, filio Jonathæ. Erat utroque pede claudus; cumque ei dixisset rex David : « Tu comedes panem in mensa mea semper, » adorans eum, dixit : « Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? »

2um Præludium. — Petamus a Deo gratiam ut sciamus nos humiliare exemplo Miphiboseth, dum ad divinam mensam, ad comedendum panem cœlorum, panem angelorum a Domino angelorum invitamur.

Ium Punctum. — Præparatio ad sacram communionem.

I. Cœlesti huic mensæ applicat Ecclesia hæc verba Salomonis : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem... Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* (Prov., IX, 1, 5.)

Nimirum quia novit Sapientiam æternam, Verbum Patris carnem factum, ædificasse sibi domum, Ecclesiam scilicet, et in ea ædificasse columnas septem, instituendo septem sacramenta, tamquam totidem fundamenta illius. Invitat autem Christus omnes ad mensam eucharisticam, apponendo panem, corpus, et vinum, sanguinem suum, quod utrumque sumant fideles sui sub una, et sacerdotes sui in sacrificio Missæ sub duplici specie. Quanto autem desiderio mensæ hujus struendæ flagrarit, satis indicavit cum dixit, referente nobis Luca evangelista : « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. » (Luc., XXII, 15.)

II. Desiderium vehemens seu *fames spiritualis* est proinde prima congruens præparatio ad venerabilis sacramenti sumptionem. Hanc in anima sua excitare conetur quisquis dulcedine cœlestis panis plenius refici et ex eo spirituale robur haurire cupit. « Oportet namque, ait sanctus Bernardus (Serm. 31 in Cantica), ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam ad quam est ipse venturus. » Quippe si unquam verum est famem optimum esse cibi condimentum, et quod sapit nutrire, hoc potissime de hac angelica mensa cum veritate dicitur. Appetentiam

autem et magnam famem excitat fides viva circa realem Christi in Eucharistia præsentiam et circa stupendam humilitatem qua adeo se demittit divina majestas, ut ad nos miseros homines et servos inutiles venire dignetur; item fides circa excessivam caritatem qua se cibum nostrum facit nosque tam intime sibi unire et unum secum efficere desiderat, quemadmodum esca materialis unum fit cum carne nostra, in cujus substantiam transit. Excita itaque, o sacerdos, palatum fidei, ut monet vir quidam sanctus; dilata fauces spei; viscera caritatis dilata.

III. Ad receptionem Christi intra nos necessaria est *magna animi puritas*. Id Christus ipse re satis declaravit, dum priusquam se suis apostolis in cibum daret eorum pedes lavit: nimirum leves etiam inordinatos animæ affectus esse mundandos, ut eo dignius et majori cum fructu ad divinam mensam accedamus. *Qui lotus est*, dicebat ad Petrum, mundus scilicet a gravibus peccatis, *non indiget nisi ut pedes lavet*, id est, ut peccatorum venialium et ejusdem generis affectuum et defectuum sordes abstergat pœnitentiæ sacramento aut alia æquivalenti ratione. Est et aliud factum quo ipse Salvator nos docuit hanc munditiem

requiri. Quamvis enim in sordido stabulo nasci dignatus sit, et in sordidiori adhuc loco, in monte scilicet Calvariæ, mori voluerit, hoc tamen Sacramentum in cœnaculo grandi, nitido et exornato instituit.

O desideratissime Jesu, siccine desiderio desideras ad me venire teque mihi in cibum et potum dare, et ego summo desiderio non flagrem te in me recipiendi! Quomodo ego non ardeam, dum ad te, ignem amoris, accedo! Num ego impurus esse sustinebo, dum tu me visitas, qui fons es puritatis? O Domine, ab occultis meis munda me! O Domine, ignis consumens, consume in me veterem hominem, et resuscita novum! O Domine, fac me virum desideriorum, ut quotidie magis te desiderem accipere et in te transmutari!

IIum PUNCTUM. — Quid sub ipsa communione observandum?

I. Infinitæ Majestatis cum humanitate sua sub panis et vini speciebus latitantis susceptio profundissimam a te, o sacerdos, *humilitatem* requirit, qua te infra omnes creaturas demittens, indignum te censeas quem terra portet, quem aer foveat, quem sol illuminet. Et sane quomodo dignus eris, quomodo satis mundus? Quomodo non

sancto horrore corriperis coram Deo, de quo Scriptura dicit: *Et cœli non sunt mundi in conspectu ejus* (Job, xv, 15), coram Deo, « sub quo curvantur qui portant orbem ? » Atque hos sensus eo magis te induere decet, quod paulo ante fortassis sentina fuisti vitiorum, latibulum inimicorum Christi, dæmonum videlicet, qui per peccata gravia te possidebant et cor tuum inhabitabant. Obstupesce immensam Dei misericordiam, infinitam erga te in hoc sacramento dignationem, excessivum ejus amorem, quem admirabilem prædicabis, si vel paululum eum contuleris cum extrema tua indignitate. *Domine, non sum dignus !*

II. Quod si mortiferis peccatis nunquam fuisti obnoxius, invenies nihilominus in te sufficientissimam materiam ad excitandum in te pudorem et contemptum tui coram tanto Domino, coram tanta sanctitate et puritate, respectu cujus nihil es nisi vas immundum, plenum culpis, defectibus, imperfectionibus, ob innumerabiles offensiones erga Deum et homines, ob caritatis languorem, ob mentis erga divina teporem, ob insufficiens studium perfectionis, ob tam facilem oblivionem divinissimi sacramenti. Si sancta Elisabeth a Deipara visitata cum admiratione interrogabat : « Et unde hoc

mihi ut veniat mater Domini mei ad me ?» quid nos peccatores exclamare decet, quos Dominus ipse visitare dignatur ? Nonne majori cum stupore et humilitatis sensu illud davidicum repetere nos oportet : *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum ?* et sicut Job : *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ?* (Job, VII, 17.)

III. Recordare, o sacerdos, cum quanto jubilo exceperit David rex Arcam et eam adduxerit in montem Sion, civitatem suam ; quomodo saltaverit totis viribus præ spirituali gaudio coram ea in itinere, ut legere est libro secundo Regum, capite VI. Recordare quomodo exsultaverit in gaudio Spiritus sancti Præcursor Domini, cum sensit eum non longe a se, virgineis adhuc visceribus clausum, clausus et ipse maternis. Perpende cum qua reverentia et caritate susceperit beata Virgo Filium Dei in utero, dicens : « Ecce ancilla Domini ; fiat mihi secundum verbum tuum, » et quo affectu postmodum quotidie eum acceperit e manu sancti Joannis evangelistæ in sacra hostia latitantem. Cogita denique cum quo gaudio et qua exsultatione comitati sint Christum Dominum sancti angeli, dum triumphator

mortis et diaboli in cœlum ascendebat. Audi cum Ecclesia quomodo ad socios qui in cœlo sunt, clament : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. » Dic tu similia, et cum summo amoris affectu suscipe in te Christum, qui amore tui totus diffluit, quique vera sui in te præsentia, et non animo tantum, ut amicus cum amico, unum quid tecum fieri desiderat, per communicationem corporis et sanguinis sui, tamquam cibi et potus.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. (Ps. CII, 1.)

III^um^ PUNCTUM. — Quid post communionem agendum ?

I. Post sumptam sacram Eucharistiam tria potissimum, o pie sacerdos, tibi observanda et exercenda.

Primum est, ut tanto ac tam liberali hospiti qui ab æterno te in divino suo pectore reconditum habuit, qui semper memor est tui, qui terram tibi dedit, daturus et cœlum, si bene vixeris, qui seipsum tibi nunc dat in sancta communione, ut illi, inquam, *unum saltem horæ quadrantem* dones, tempus illud insumendo *in gratia-*

rum actione ob summum hoc beneficium. Omnes itaque animæ vires adhibe, omnes creaturas invita ad laudandum Deum tuum. Opem ad hoc invoca angelorum et beatorum omnium reginæ, beatissimæ Virginis, matris Dei. Immo, exopta omnium possibilium creaturarum laudes Salvatori tuo exhibere, eumque humiliter roga ut ipse sibi pro te satisfacere velit. Dic illi: Benedictus sit adventus tuus, o bone Jesu, et benedicta immensa caritas tua, quæ me indignum visitare dignata est. Expelle a me, Domine, quidquid in me vel minimum displicet tibi; introduc in me quidquid tibi summe placet, et quod tu desideras inveniri in me. Adde cum Jacob patriarcha: « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. » (Gen., XXXII, 26.)

II. Observandum est secundo, ut *magna cum fiducia* ad Jesum loquaris, teipsum ei offerendo nunc tamquam domino in sedulum servum, nunc tamquam patri in obsequentem filium, nunc consecrando ei animam tuam tamquam sponso in sponsam fidelem. Expone benignissimo Redemptori tuo quantopere indigeas meritis, gratiis, virtutibus, et roga ut nuditatem hanc tuam contegat. Expone quam pauper sis bonorum operum, quam indigus scientiæ sanctorum, quam parum in spiritu profeceris, et

roga ut ditet tuam paupertatem ille « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. » (Coloss., II, 3.) Quippe si princeps aliquis liberalis et potens ad te deverteret, ac suos favores et thesauros offerret, nonne multum rogares ? Nonne multum etiam acciperes? Liberalior, potentior, ditior quam Jesus tuus quis esse potest ? Pete et accipies. Cœlesti medico ostende infirmitatem tuam ; ostende vulnera animæ tuæ, tot pravos affectus, passiones parum domitas, tot defectus in una re, tot excessus in alia : et roga ut te ad stabilem sanitatem adducat.

III. Tertio tibi observandum est ut tam liberali Domino vicissim aliquid offeras. Quid autem offeres ei cui nihil deest ? Quid dabis illi cui dicitur a psalmista : « Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges ? » (Ps. XV, 2.) Acceptabit tamen, ut gratæ mentis tesseram, bona proposita vitæ emendandæ, refrenandi passiones, ordinandi incompositos affectus, exercendi patientiam in adversis et fortitudinem in superandis arduis, majorem adhibendi zelum animarum et conatum ad perfectionem, enitendi ad puriorem Dei et proximi caritatem. Placebit vero in primis Christo firmum propositum perfectæ tui ipsius resignationis ad omne ipsius beneplacitum.

Alia multa quæ ante, sub et post communionem recitari possunt, passim inveniuntur in piis libellis : meliora tamen, ob majorem plerumque devotionem, sunt illa quæ ipse, inspirante Deo, sine ordine, at non sine magno affectu efformas.

O cœlestis Pater, quid retribuam tibi pro Unigenito tuo, quem, cum semel tantum mundo pro ejus redemptione dederis, toties mihi in sacra Eucharistia tribuis ?...

O Fili Patris æterne, quas tibi pro te rependam gratias, qui me indignum toties visitare dignaris ?...

O Spiritus sancte, quomodo te satis amare queo pro amore hoc infinito quo me toties ad mensam sacram et ad panem cœlestem vocas ?...

Benedicant, glorificent, magnificent te pro me, o Deus cordis mei, universæ miserationes et beneficia tua, quibus unquam benefecisti animæ meæ...

CAPUT DUODECIMUM.

— Mensa sacra (2°). Argumenta popularia pro frequenti communione ex similitudinibus ducta.

LECTOR benevole, accipe hæc quæ tradebat sodalibus Congregationis B. M. V. eximius vir Franciscus Costerus S. J. jam inde ab anno circiter 1575, Coloniæ.

1. Sicut parens aliquis cui gratissimum est frequenter vocari ad domum filii sui, sciens hujus sui desiderii filium esse conscium, non libenter patitur raro admodum, id est semel tantum, bis aut ter, in anno invitari, ita Christus Dominus, cujus delicias esse novimus versari cum filiis hominum, si raro admittatur, merito inique id ferre potest.

2. Amicus verus libenter adest amico. Si ergo tu non adis Christum libenter in sacra communione, signum est amorem tuum erga eum esse exiguum.

3. Dicis te desiderare Christo in æternum adesse in cœlo : hic ergo per frequentem communionem ineunda est cum eo familia-

ritas, ne post hanc vitam te non agnoscat, dicatque tibi quod dicitur in Evangelio virginibus fatuis : « Amen, dico vobis, nescio vos. » (Matth., XXV, 12.)

4. Sicut ille qui in prosperitate sua amicum suum negligit et aliis se adjungit, tempore dein adverso et ab omnibus derelictus pristinum amicum requirit, non ex caritatis affectu, sed ex necessitate id agere convincitur, ita etiam homo qui, dum vivit, cum Christi Domini neglectu rebus terrenis immoratur, judicandus est non ex amore Christi cœlum desiderare, sed quia alia solatia quæ Christo semper anteposuerat, jam desunt.

5. Sicut dives homo, natura misericors et liberalis, si sæpe visitat domum ruinosam hominis pauperculi, nunquam ab eo recedet nisi relicto aliquo dono post se, tum pro beneficio hospitii, tum pro domus præparatione et reparatione, maxime si statuat sæpius eodem deverti : ita Christus, qui ditissimus est et summe misericors, si frequenter domum animæ nostræ per sanctam communionem sacrandam ingreditur, nunquam discedit nisi relicto eximio aliquo munere, partim pro ipso officio communionis, partim ut habitaculum ad quod frequenter venire solet, condigne paretur et ornetur. Quis autem ita probe novit quo ornatu parandus

sit locus Christo, sicut Christus ipse? Ita communione una debito modo facta disponitur homo ad communionem sequentem: nempe quia Christus pro prævisis his frequentibus communionibus et per eas sibi ipsi locum parat.

6. Sacra Eucharistia cibus est animæ, sicut panis cibus est corporis; anima autem tanto est corpore præstantior, quanto divinior. Ipsa nimirum ad Dei imaginem et similitudinem creata est, Christi sanguine redempta, immortalitate donata, natura sua angelis proxima; et sine ipsa corpus vitam nullam habet. Nonne ergo indignum est corpus hoc quod mox a vermibus absumetur et in pulverem redigetur, quotidie sæpius pasci atque ad illud fovendum tot studia laboresque impendi, animam vero nonnisi raro et quasi cum tædio nutriri?

7. Sicut corpus languet et ferendo labori impar est, nisi frequenti cibo refocilletur, ita anima sine frequenti sacræ Eucharistiæ sumptione pariter languet in vita spirituali et ad humanæ peregrinationis labores non valet. *Sicut... ego vivo propter Patrem, et qui manducat me*, ait Christus, *et ipse vivet propter me* (Jo., VI, 58); quasi dicat: Sicut ego vivo propterea quod frequenter, immo continue accipio vitam a Patre meo, sic

homo non vivet propter me, id est non vivet vita vere christiana, nisi me frequenter et quasi jugiter manducet.

8. Quo tempore aer pestilenti influxu inficitur, solent homines adversus contagionis pericula medicamento uti præservativo, maxime cum foras egrediendum est. Jam vero totus hic mundus contagiis plenus est, innumeris videlicet occasionibus peccandi. Proinde quicumque a peccatis præservari cupit, tanto frequentius cœlesti antidoto utatur quod illi in Eucharistia præbetur, quo graviora imminent pericula et plures sunt occasiones quibus ad peccandum induci posset.

9. Sicut is cui inter hostes est incedendum, operam dat ut comites habeat et arma quibus hostes suos aut deterreat aut depellat, ita nos qui in hac vita inter innumeros hostes visibiles et invisibiles degimus, curare oportet ut fido comitatu et armis aptis nullo unquam tempore destituamur. Optimus autem comes est Christus Dominus in Eucharistia acceptus, cui semper adstat innumera multitudo angelorum. Præbebit insuper ipse arma optima frequenter communicanti, ei scilicet qui contra novos semper hostium assultus frequenter recurrit ad sacram ejus mensam, et faciet

ut, juxta monitum sancti Chrysostomi, tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes.

10. Sicut homo infirmus aut graviter vulneratus desiderat frequentem medici aut chirurgi ad se accessum, et frequentem debitorum medicaminum applicationem, quibus vulnera sæpe reficiantur : ita christianus, variis morbis spiritualibus affectus, multis vulneribus in anima sauciatus, frequentem in se Christi Domini, optimi medici, præsentiam desiderare debet, de qua tam desiderabili præsentia sanctus Bonaventura: «Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via. Debiles confortat, valentes delectat. Languorem sanat, sanitatem servat. Fit homo mansuetior ad correptionem, potentior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones devotior. » (Compend. theolog. veritatum.)

11. Sicut qui filium habet unice dilectum, hoc maxime curat ne ei doctus et diligens pædagogus desit, a cujus latere nunquam discedat : ita qui animam suam recte institutam cupit, nunquam patietur Christum diu ab ea abesse, sed eam illi per crebram communionem conjungere sataget.

12. Corpus induere solet qualitates nutrimenti talis vel talis, non ex una sola, sed ex frequenti ejus sumptione. Si itaque trahere in te cupis qualitates et virtutes Christi Domini et spiritualis fieri, si vis esse homo passionibus vacuus et plane cœlestis, frequenter Christo Domino, qui se tibi in cibum dat, vescaris oportet.

13. Sicut populus Israeliticus totis quadraginta annis in deserto, usque ad ingressum in terram promissionis, vixit ex quotidiana mirabilis manna manducatione, quod quidem Eucharistiæ nostræ figura erat, ita admonet sancta synodus Tridentina ut omnes hæc sacra Eucharistiæ mysteria ea pietate venerentur ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant.

14. Sicut mercatores ea loca sæpius frequentant, in quibus plus lucri exspectant, et sicut pauperes frequentius illorum januas adeunt, a quibus copiosiores eleemosynæ distribuuntur, ita quoque christianus ad Christi mensam assiduus esse deberet, quia ibi pretiosissima dona præsto sunt ; siquidem, ut aiunt sancti Patres, per devotam

sanctæ communionis sumptionem dimittuntur peccata quotidiana, expelluntur a nobis potestates satanæ, dantur vires ad ipsum martyrium subeundum. Venit porro ad te Christus ut te præsentia sua honore afficiat, ungat te sua gratia, curet te sua misericordia, lavet te suo sanguine, resuscitet te sua morte, illuminet te sua luce, inflammet te suo amore, consoletur te sua infinita suavitate, uniat et desponset se cum anima tua, faciatque te participem spiritus sui omniumque bonorum quæ cum hac carne quam tibi offert, in ara crucis promeritus est. Homo enim pie communicans in id transit quod sumit, et illud circa incentiva concupiscentiæ operatur in nobis hoc sacramentum, teste sancto Bernardo (Serm. in Cœna Domini), « ut videlicet sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. »

Quemadmodum ergo, si princeps aliquis multa secum afferens munera, qualibet septimana januam tuam pulsaret, gratissimo ac paratissimo illum animo reciperes, ita cum magno desiderio et gratitudine convenit te octavo saltem quoque die Christum Dominum in sacra communione suscipere, cujus dona omnes res terrenas præstantia sua ac pretio in immensum vincunt.

CAPUT DECIMUM TERTIUM. — Mensa sacra (3°). De communione quotidiana fidelium omnium, etiam laicorum.

ANC quæstionem, utpote quæ circa rem versatur quæ, si bene intellecta fuerit, multum conferre potest perfectioni animarum procurandæ, serio considerare debemus. Omissa autem omni controversia, duo præstabimus : 1° Recitabimus decretum recentissimum sacræ Congregationis Concilii diei 20 decembris 1905, editum jussu Pii PP. X, incipiens « Sacra Tridentina, » quo ostenditur quantum Ecclesia in votis habeat ut fideles ad frequentem, immo quotidianam sacræ Eucharistiæ sacramentalem receptionem alliciantur, quodque omnibus parochis et confessariis, etiam regularibus, necnon quibuscumque aliis sacerdotibus auctoritative rursus intimat et ampliat ea quæ jam continebantur in decreto « Cum ad aures » ejusdem sacræ Congregationis Concilii promulgato jussu Innocentii PP. XI, die 12 februarii 1679. Quoniam autem

decretum hoc recentissimum, promulgatum jussu Pii PP. X, dicit « oportere ut confessarii consilium intercedat » ubi agitur de frequentia communionis, notandum est in ipso decreto indicari regulam quamdam practicam cujus beneficio sacerdos quivis animas sibi commissas tuto quoad hanc rem dirigere poterit. 2° Recitabimus aliud Decretum quo, die 14 feb. 1906, promulgata est specialis gratia quoad confessionem hactenus requisitam pro indulgentiis lucrandis.

§ 1. — **Decretum sacræ Congregationis Concilii de quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione, unde accipienda est hodierno tempore in hac materia mens Ecclesiæ.**

« Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quæ Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias sanctissimam Eucharistiam sumentibus, ait (Sess. XXII, cap. 6) : Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent. Quæ verba satis aperte produnt Ecclesiæ desiderium ut omnes Christifideles illo cœlesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Hujusmodi vero vota cum illo cohærent desiderio quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suæ carnis crebro manducandæ suique sanguinis bibendi, præsertim his verbis: *Hic est panis de cœlo descendens. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* (Jo., VI, 59.) Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebræi quotidie refecti sunt, ita animam christianam cœlesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci jubet *panem nostrum quotidianum*, per id sancti Ecclesiæ Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Jesu Christi et Ecclesiæ ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo conjuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quæ quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora

peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, præcavenda: non autem præcipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut præmium sit suarum virtutum. (S. August. Serm. 57, de Orat. Dominica.) Unde sacrum Tridentinum concilium Eucharistiam vocat antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur. (Sess. XIII, cap. 2.)

Hanc Dei voluntatem priores Christi-fideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitæ ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis.* (Act., II, 42.) Quod seculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Janseniana lue undequaque grassante, disputari cœptum est de dispositionibus quibus ad frequentem et quotidianam communionem accedere oporteat, atque alii præ aliis majores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Hujusmodi disceptationes id effecerunt ut perpauci digni haberentur qui sanctissimam Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam

salutifero sacramento pleniores effectus haurirent : contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda cœlesti mensa integri cœtus excluderentur, uti mercatorum aut eorum qui essent matrimonio conjuncti.

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati communionem quotidianam jure divino esse præceptam, ne dies ulla præteriret a communione vacua, præter alia a probato Ecclesiæ usu aliena, etiam feria sexta in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad hæc Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum hujus Sacri Ordinis quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis februarii anni 1679, Innocentio PP. XI approbante, errores hujusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cujusvis cœtus, mercatoribus atque conjugatis minime exceptis, ad communionis frequentiam admitti posse, juxta singulorum pietatem et sui cujusque confessarii judicium. Die vero 7 mensis decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri PP. VIII propositio Baii, purissimum Dei amorem

absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen jansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiæ debiti, haud penitus evanuit. Quæstio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime communionem Sanctæ Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi raro et positis compluribus conditionibus quotidianam communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate præditi qui faciliorem aditum præberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiæ præceptum esse circa majores dispositiones ad quotidianam quam ad hebdomadariam aut menstruam communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana communione quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quæstiones super hac re diebus nostris adauctæ sunt et non sine acrimonia exagitatæ; quibus confessariorum mentes atque fidelium conscientiæ perturbantur, cum christianæ pietatis ac fervoris haud me-

diocri detrimento. A viris idcirco præclarissimis ac animarum Pastoribus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X enixæ preces porrectæ sunt, ut suprema sua auctoritate quæstionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur ; ita ut hæc saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum quibus religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad sacrum convivium frequenter et etiam quotidie advocetur ejusque fructibus amplissimis potiatur, quæstionem prædictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis comitiis diei 16 mensis decembris 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et, rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis,ea quæ sequuntur statuit ac declaravit:

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifide-

libus cujusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo qui in statu gratiæ sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° Recta autem mens in eo est ut qui ad sacram mensam accedit, non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis saltem plene deliberatis eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent cum proposito se nunquam in posterum peccaturos : quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant.

4° Cum vero sacramenta novæ Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, majorem tamen producant effectum quo majores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram communionem præparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia.

5° Ut frequens et quotidiana communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu quotidiana communione quemquam avertant qui in statu gratiæ reperiatur et recta mente accedat.

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana sacræ Eucharistiæ sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui et æternæ felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, confessarii et concionatores juxta probatam Catechismi Romani doctrinam (Part. II, cap. 63), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio adhortentur.

7° Communio frequens et quotidiana præsertim in religiosis Institutis cujusvis generis promoveatur ; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* (1) diei 17 mensis decembris 1890 a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium la-

1. Hoc decretum sic statuit quoad Instituta religiosa quarumcumque feminarum et quoad Congregationes religiosas virorum penitus laicorum : « Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas Sua decernit hujusmodi permissiones vel prohibitiones *dumtaxat ad confessarium or-*

tum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio ; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8° Si quæ sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, communiones aliquibus diebus affixæ et in iis jussæ reperiantur, hæ normæ tamquam mere directivæ, non tamquam præceptivæ putandæ sunt. Præscriptus vero communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem

---

dinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, donec ad pœnitentiæ sacramentum denuo accesserit.

« Monentur hinc omnes ut ad sacram Synaxim curent diligenter se præparare et accedere diebus in propriis regulis statutis ; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianæ communionis, de hoc certiorem reddere superiorem teneatur. Quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi communiones, eas confessario manifestare teneatur ; cujus judicio acquiescendum omnino erit. »

patere semper debebit, juxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi hujus decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSmum. D. N. Pium PP. X, per infrascriptum Sacræ Congregationis secretarium, in audientia diei 17 mensis decembris 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi jussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Prælatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, Institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de exsecutione eorum quæ in eo statuta sunt Sanctam Sedem edoceant in suis relationibus de diœcesis seu Instituti statu. »

*
* *

§ 2. — In eodem sensu quo præcedens decretum de communione quotidiana, prodiit paulo post, id est die 14 februarii 1906, novum Decretum, datum a Sacra Congregatione Indulgentiis et sacris Reliquiis præposita, per quod promulgatur specialis gratia iis qui quotidie aut fere quotidie communicant. Agitur de confessione quæ hucusque requisita erat certis temporibus in ordine ad lucrandas indulgentias.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X vel maxime cordi est ut efficacius in dies propagetur uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo qua fideles in statu gratiæ rectaque mente ad sacram communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis qui memoratam consuetudinem habent aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. — Clemens porro PP. XIII, felicis recordationis, per decretum hujus sacri Ordinis sub die 9 decembris 1763 « omnibus Christifidelibus qui, frequenti peccatorum confessione animum

studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpæ a se post prædictam ultimam confessionem commissæ conscii sunt, indulsit ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione quæ ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione præscripto peragatur. » Nunc vero Beatissimus Pater Pius X omnibus Christifidelibus qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie Sacra de altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant, præfato tamen fel. rec. Clementis P P. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariæ illius confessionis obligatione quæ ceteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria exstaret. Hanc insuper gratiam Eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ, die 14 februarii 1906.

*
* *

Pro praxi. — In *Catechismo* quem medio anno 1905 Sanctissimus Pater Pius Papa X præscripsit diœcesibus totius Provinciæ Romanæ, hæc leguntur pag. 213 in editione italica, quæ hic latine vertimus :

An bonum et utile est *sæpe* communicare ?

Resp. Optima res est sæpe communicare, dummodo fiat cum dispositionibus debitis.

Quam *frequens* potest esse accessio ad communionem ?

Resp. Unusquisque potest accedere ad communionem cum ea frequentia quam ei consuluerit pius et doctus confessarius.

CAPUT DECIMUM QUARTUM. — Mensa sacra (4°). — Duæ excusationes quæ afferuntur contra ipsam communionem hebdomadariam.

QUÆ sunt excusationes quæ contra communionem etiam hebdomadariam afferri solent ; quarum prior affertur a pigris et negligentibus, altera a certis bonæ conscientiæ hominibus, sed nimis timidis et pusillanimis.

§ 1. — **Prima excusatio : Homo secularis non est dignus ut octavo quoque die communicet.**

RESPONDEO. *a)* Non est hic attendenda *dignitas personalis* ejus qui communicat. Tantam enim dignitatem quantam meretur *per se* ex parte recipientis majestas illius qui in sacra communione recipitur, nemo habere potest, neque homines passim, neque ipsæ angelicæ mentes, neque ipsa venerabilis Mater Dei. Omnes dicere decet, cum ad sacram mensam accedunt : « Domine, non sum dignus. » Eodem modo respondebat sanctus Joannes Chrysostomus

hominibus sui temporis : « Est ubi nihil differt sacerdos a subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis. Accipiendi dignitatem vita facit, non ordo. »

b) Attendendæ sunt solummodo *dispositiones* quas ipse Christus et nomine ejus Ecclesia requirit ab accedente ad communionem, quarum prima, inter eas quæ animam spectant, semper eodem modo requiritur pro omni communione sacramentali quacumque, ut scilicet non sit in recipiente Eucharistiam conscientia alicujus peccati mortalis quod nondum sit confessus et a quo non sit absolutus in sacramento pœnitentiæ. Quicumque hanc conditionem implet, jam mundus est, ut aiebat Christus ad Petrum, et « non indiget nisi ut pedes lavet » (Jo., XIII, 10), id est ut consuetam et ordinariam adhibeat præparationem, quæ hominibus bonæ voluntatis non adeo difficilis est. — Si quæratur de communione facienda pluries in hebdomada vel etiam quotidie, respondeo sufficere ut impleantur conditiones de quibus locuti sumus in capite præcedenti. Hic autem sermo est de communione hebdomadaria, quæ communi usu loquendi hodierno jam non venit apud theologos sub nomine « communionis frequentis. »

c) Quod si quis adhuc obtendat hominem *tanto abundantiorem* gratiam in hoc sacramento accipere *quanto paratior* accedit, respondeo hoc verum esse ceteris paribus, sed ideo non esse communicandum raro : quandoquidem anima, ut jam diximus, in communione debito modo facta ab ipso Christo ornatur ; et hoc sensu verissime dicitur unam communionem optimam esse præparationem ad communionem sequentem.

d) Si tandem obtendatur secularis hominis occupationibus ipsam hanc convenientem præparationem quæ ante communionem facienda est, impediri, respondeo

1° Nullum esse communionis impedimentum præter peccatum et sordes peccati : proinde occupationes quæ peccatum non habent adjunctum, communionem nullo modo *per se* impedire.

2° Quo quis majores occupationes et negotia sustinet, eum eo majori opus habere auxilio : nullum autem inveniri posse auxiliatorem magis expetendum quam Christum Dominum, qui in sacra communione recipitur.

3° In magnis negotiis magna esse animæ pericula, atque idcirco antidotum necessarium esse, ne quis inficiatur.

4° Non esse difficile homini seculari, quamvis negotiis multis implicatissimo, præparatum semper inveniri ad sacram communionem qualibet septimana cum ingenti fructu faciendam, si hæc pauca observare velit quæ homo christianus non videtur tamquam onus nimis grave recusare posse. Scilicet ut quotidie mane sacrum audiat, aut saltem, si hoc aliquando præstare non possit, se suaque omnia ex toto corde Deo commendet ; ut vespere ante somnum conscientiam suam examinet et peccata illius diei memoriæ mandet, veniam petens cum emendationis proposito ; ut dominica die peccata totius hebdomadæ colligat et pia sinceraque confessione conscientiam purget, sumptoque Christi corpore tempus antemeridianum vel totum vel ex magna parte devotioni Deoque, quoad ejus fieri possit, impendat.

§ 2. — **Altera excusatio : Non sentio me proficere ex hebdomadaria communione.**

Respondeo. Sicut sordes cubiculi etiam immundi non apparent in tenebris, dum in lumine solis apparent minutissimi etiam pulvisculi qui volitant in aere cubiculi quantumvis mundi : ita quod aliquis minutas maculas etiam magno numero in anima sua

melius in dies detegit, signum non est eum in vita spirituali detrimenta pati vel retrogradi, sed contra eum abundantius cœlesti lumine repleri.

Quod vero querantur aliquando pii homines se nullo modo videre profectum suum in virtutibus post sacram communionem, id sæpe inde provenit quod non statim assequuntur quædam, ut sunt vacuum esse a passionum luctis, in oratione sensibiliter fervere, animum habere perpetuo Deo intentum ; at assequuntur certe id quod est hic et nunc magis secundum voluntatem Dei, scilicet peccati cognitionem et detestationem, delicatam habere conscientiam, cor suum servare ab hoc mundo alienum et ad res divinas propensum. Quibus in rebus dum sine sensu progrediuntur, gratiis sacramentalibus mirum in modum ditescunt, et tandem ea etiam accipient quæ optant, sed eo tempore cum nullum jam eis erit a vana gloria periculum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM. — Mensa sacra (5°). De causis tam exigui fructus sacræ communionis apud multos.

ERITO quis quæret cur plures qui crebro cœlesti ferculo reficiuntur, tam parum in via virtutis progrediantur et cur tam multi, nedum currant in via mandatorum Dei, contra post toties repetitam sacræ Eucharistiæ frequentationem tot adhuc et interdum tam gravibus peccatis venialibus obnoxii maneant et vitam agant tot defectibus turpatam, superbi, impatientes, sensuum commodis dediti, libertatis amantes, regularum (si religiosi sint) transgressores et in via perfectionis christianæ prorsus sicut antea negligentes.

Sane absentia hæc fructuum non se tenet ex parte sacramenti, sed ex parte eorum qui ad sacramentum accedunt. Hac de re audiatur vir rerum spiritualium peritissimus, venerabilis Pater noster Nicolaus Lancicius in opusculo XIV, capite 13. Postquam interrogavit : « Quid causæ est quod illam [S.

Eucharistiam] tam sæpe sumentes, non tantum proficimus quantum deberemus ? » ita respondet :

« Ego existimo causam esse quintuplicem. *Primo*, positivam : peccata quæ committimus deliberate ex supina negligentia *ante* et *post* receptionem Eucharistiæ. Illa enim fervorem caritatis et minuunt et impediunt, ut docet sanctus Thomas. (3ª P., q. 79, art. 4.)

« *Secunda causa* est negativa, quia occasiones virtutum quæ se offerunt, negligimus, non faciendo earum actus ; verum est autem illud, *Facienti quod in se est*, Deus non denegat gratiam. Auxiliis divinis cooperanti et habitibus internis bene utenti, Deus dat auxilia uberiora, majora, efficaciora, ad frequentandos novos et novos actus, per quos augeatur ejus profectus spiritualis. Verum enimvero cavenda est omnis negligentia in susceptione Eucharistiæ. Nam sanctus Thomas (et alii multi theologi primæ notæ) dicunt voluntariam distractionem seu peccatum veniale quod committitur tempore quo sumitur Eucharistia, et quod impedit actualem devotionem in percipiente, etsi non impediat augmentum illud gratiæ et caritatis quod datur ex opere operato ob Christi merita, tamen impedire aliquos effe-

ctus Eucharistiæ et omnino impedire majus meritum, et effectus qui non peccanti darentur ex opere operantis »...

« *Tertia causa* est affectus ad res terrenas in conversatione, in recreationibus, etc. Deus non dedit manna, nisi quando cibaria Ægypti defecerunt. Manna defecit, quando fructus Terræ promissæ gustare cœperunt. Sic sollicitudo temporalium, cupiditas commoditatum et honorum, detractiones, ira, etc., effectum eucharistici cibi impediunt, ne efficiat quod posset...

« *Quarta causa* est exiguum desiderium cum quo accedimus ad Eucharistiam. « Panis iste, inquit sanctus Augustinus (Tract. 26 in Jo.), interioris hominis quærit esuriem. Unde alio loco dicit Christus : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Justitiam vero nobis esse Christum, Paulus apostolus dicit. Ac per hoc, qui esurit hunc panem, esurit justitiam, sed justitiam quæ de cœlo descendit. » Quocirca, ut monet sanctus Joannes Damascenus (De fide orthodoxa, lib. IV, cap. 13, de sacrosanctis et immaculatis mysteriis), accedamus ei desiderio ardenti, et divinum carbonem, scilicet Eucharistiam de qua ibi loquitur, concipiamus, ut ignis in nobis, assumens ex eo carbone ignitionem, comburat

peccata nostra et illuminet corda nostra, et participatione divini ignis igniamur et deificemur. Carbonem vidit Isaias; carbo autem simplex non est, sed unitus igni. Sic panis communionis, non panis simplex est, sed unitus Divinitati, et corpus unitum Divinitati. » Merito ergo tam præstans cibus exigit summum devotionis et fervoris affectum...

« *Quinta causa* esse potest, si in ipsa sumptione peccet quis venialiter, vel ob finem vanum, vel ob irreverentiam culpabilem. » — Hoc quod hic quinto loco indicat Lancicius, jam attulimus alibi, hanc rationem afferentes quod, etsi juxta plurium theologorum sententiam non pessumdatur omnis omnino fructus ex opere operato, perditur tamen fere omnis fructus ex opere operantis : quod profecto damnosum est.

Causis a Lancicio notatis adde non raro fructum communionis etiam frequentis exiguum esse non solum quia, ut dictum est, in præparatione vel in ipso actu communicandi torpet et tepet anima, sed ideo etiam quod post communionem *actio gratiarum* fit perfunctorie aut prorsus nulla est. Anima communicantis vagatur huc illuc, aut etiam in venialibus hæret. O si accuratior esset, si ardentior actio gratiarum! Sine dubio

major etiam fructus ex Christi sacramentali præsentia perciperetur. Ille enim qui se nobis donat in hoc venerabili sacramento, munificentissimus benefactor est, qui gaudet si locum inveniat ubi possit suas gratias effundere. Ne ergo ipsi, ut aiebat aliqua sancta Christi virgo, quasi tergum vertamus; sed adorando, gratias agendo, petendo, offerendo, bona proposita faciendo, cum ipso toti simus, et ipse vicissim totus noster erit. Si eo tempore quo Christus est realiter præsens intra hominem, ipse homo sese magis ac magis disponat, valde probabile est augeri in illo sacramentalem gratiæ effectum, ait Suarez ; et de hac sententia ait Lugo : « Communiter recipitur, et est magis probabilis, et pia, *dummodo exigatur* ad hoc augmentum gratiæ *augmentum etiam novæ dispositionis* ex parte subjecti. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM. — Chorus seu Psalmodia divini Officii.

OCUS Chori non deterrima pars est sanctuarii, omnemque meretur tuam, o sacerdos, venerationem. Desumit autem suam dignitatem ex sacra psalmodia ad quam destinatus est.

Quam potens sit apud Dominum Deum psalmodia qua Ecclesia utitur, præfiguratur in persona Davidis, quando eodem illo capite 16 libri primi Regum ubi de Davide qui recens unctus erat a Samuele secreto in regem Israel, loco Saül qui a Domino rejectus fuerat et traditus spiritui malo, additur ibi in fine: « Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saül, David tollebat citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saül et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus. » Quæcumque demum fuerit forma instrumenti musici quo David utebatur ut in eo psalmos tamquam sacram poesim modularetur, et de quo ipse dicit: « Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus, » certum est illud fuisse mirabile organum Spiritus sancti, qui illud adhibere dignatus est ad

præordinandam a tot retro seculis orationem officialem Ecclesiæ catholicæ. *Materia* quippe præcipua psalmorum davidicorum et *intentio* est Christus Dominus. De eorum auctore humano sic legimus II Reg., XXIII, 1, 2: « Hæc autem sunt verba David novissima. Dixit David, filius Isaï ; dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me et sermo ejus per linguam meam. » His psalmis, hoc psalterio uteris, o sacerdos, septies in die, laudem Deo decantando. Utinam tibi psalmodia fons sit pietatis, eosque in te excitet suavissimos affectus quibus implebatur anima Psalmistæ regii! — Ut hunc fructum consequaris, instituatur devote sequens

MEDITATIO.

De sacra psalmodia.

1um Præludium. — Audire David coram Saül cithara sua ludentem.

2um Præludium. — Petere a Deo gratiam fideliter imitandi David in decantanda laude Dei.

I^um^ PUNCTUM. — **Psalmodiæ sacræ præstantia.**

I. Liber psalmorum est dignissima pars sacræ Scripturæ, immo compendium illius,

ac speciale organum quo Spiritus sanctus varios in animis hominum affectus excitat, modo gaudii, modo tristitiæ, nunc terroris, postea consolationis, jam timoris, mox spei. Est tuba mirabilis, peccata repellens, Deum placans, veniam impetrans. Est instrumentum divinum illuminans mentem, inflammans et exhilarans animam, et miseriarum omnium refugium. Est poesis sacra, et perfecta Dei cognitio, ejusque Filii in carne venturi prænunciatio ac divinorum mysteriorum revelatio.

II. Nihil in Ecclesia post usum sacramentorum Deo gratius est devota recitatione et cantu psalmorum davidicorum. Hoc revelatum legimus ab angelis Gratiano, tironi sancti Francisci, de nocte oranti, cum hocce mandato ad guardianum : curaret in choro lentius recitari horas canonicas, eo quod esset opus angelorum, exercitium cœlestium spirituum et mysticum thymiama. Teste oculato sancto Bernardo (ut referunt Bollandiani, n. 144 sqq.), quadam die, dum Cistercii erat, angeli eorum monachorum qui cum maxima devotione officium divinum psallebant, verba et syllabas scribebant litteris aureis, in tabellis suis, eorum qui minus devote argenteis, aliquorum aliorum atramento, negligentium et distra-

ctorum aqua sola vel nihil omnino scribebant.

III. Sanctus autem Laurentius Justinianus (De disciplina monast., cap. 17) sic loquentes angelos introducit: « Nos superni cives, et agmina sancta, intersumus choris laudantium, exsultamusque in laudibus bene psallentium. O si liceret nobis nos ostendere, prorsus omnis torpor abscederet, omnisque ignavia fugaretur. » Idem nos monet David, dum dicit Psalm. XLVI, 8 : *Psallite sapienter.* Sapienter autem psallimus, si psallamus attendendo et intelligendo quæ dicimus ; si devote cantemus, quod suadet et docet sanctitas loci, dignitas sacrorum inter quæ stamus, summa majestatis divinæ excellentia cui adstamus.

O sacerdos, si psalmodiæ, si angelici hujus officii dignitatem melius perpendere assuesceres et penitius intelligeres, majori sane inflammati spiritus devotione illud persolveres, majori cordis alacritate et vocis intentione decantares.

IIum PUNCTUM. — Qualitates requisitæ ad bene psallendum.

I. Monet nos sanctus Paulus ut non solum *ore*, sed et *corde* psallamus, dicens : « Psallentes in cordibus vestris Domino ; »

id est, Deum motu cordis laudate, non labiorum tantum.

Oratio siquidem sine attentione facta non videtur esse precatio ad Deum, quia non est elevatio mentis ad Deum, quod tamen ponitur in ipsa definitione orationis. Hinc non immerito dixit aliquis : « Non plus delectatur Deus in oratione vocali sine attentione mentali quam in garritu avium. »

II. Quomodo exaudiet nos Deus, si oratio nostra non sit attenta ? Petimus et obsecramus, dicendo : *Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus* (Ps. v, 3), et : *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* (Ps. CXXIX, 2.) Jam vero sanctus Cyprianus : « Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias ? Vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis ? » (De orat. dominica, c. 31.)

Exigit præcipue attentionem mentis reverentia Dei cui psallimus. Etiam quæ cum proximo loquor cogito, et eo magis quo major ille et negotium quoque majus quod tracto cum illo. Cum autem psallendo loquamur Altissimo, in negotio honoris divini et nostræ salutis, an opus non erit attentione et seria animi applicatione ad ea quæ orationis sunt ?

III. Requiritur demum attentio in oratione, ad hoc ut oratio sit efficax. Efficacia autem principaliter respondet affectui cordis. Apposite sanctus Isidorus : « Oratio cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit ; sed orantis cor aspicit... Nihil est sola voce canere sine cordis intentione. » (Sentent. lib. III, cap. 7.) Qui cor non habet in oratione, subtrahit meliorem illius substantiam et succum. Offert Deo corticem, non nucleum ; paleam, non grana ; sonum, non monetam. Caveamus proinde, ne illis adnumeremur de quibus Hugo a sancto Victore (libro II de claustro animæ, cap. 22) : « Sunt mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti. Aliud cantant et aliud cogitant ; in choro sunt corpore, sed in foro mente. »

O vir Dei, cujus officium est septies in die laudem dicere Deo, age quod agis. Sancta sancte tracta. « Consideret fidelis anima (verba sunt sancti Anselmi) quam reverenter, quam humiliter et attente debet loqui cum summo *principe ;* quam timorate cum summo *judice ;* quam familiariter cum optimo *amico ;* quam dulciter cum *sponso* dulcissimo. Tota igitur attentione, et toto affectu, et mentis adnixu loquatur homo cum Deo, sine interru-

ptione et *voluntaria* mentis evagatione. »

III^um^ PUNCTUM. — **Media ad devote psallendum.**

I. Cum mens nostra adeo instabilis, inconstans et vaga sit, oportet eam variis mediis a distractionibus cohibere atque inter cancellos attentionis et debitæ reverentiæ retinere. Et quidem ante initium divinæ laudis seponamus omnia alia negotia, sermones et cogitationes, arcentes ea a nobis longiori aut breviori mora, prout magis aut minus studiis aut aliis occupationibus obsessi fuerimus, ne relictæ ab iis species et phantasiæ nos turbent et sub oratione distrahant. Hæc præcipua cura sit ut, in quiete spirituali recollecti, paulatim mentem nostram ad Deum elevemus.

Juvat mentis recollectionem, si religiosus, si clericus, ad chorum mature accedentes, immo properantes, viva fide sistant se in præsentia divinæ et tremendæ Majestatis quam adoratum venerunt.

II. Ut attentius et devotius ores, cogita te ad laudandum Deum choris angelorum interesse, ut quem illi in terra invisibiliter exhibent cultum et laudem, tu visibiliter præstes. Et ut ferventius majorique cum fructu id exsequaris, conjunge vocem tuam cum illorum vocibus, eosque ora ut quod

tuæ erga Deum reverentiæ forte adhuc deest, illi sua supplere velint. Nec parum proderit oculos interdum ad piam aliquam iconem convertere, præsertim Christi in cruce pendentis ; maxime autem eum aspicere oculo fidei in venerabili Sacramento altaris realiter præsentem, ubi asservatur ut illi a nobis debitus honor et laus exhibeatur.

III. Sensuum jugis custodia et habitualis totius corporis secundum sacerdotalis modestiæ regulas compositio summopere conducit ad interiorem mentis attentionem. Maxime autem requiritur oculorum refrenatio sub divino officio, quia objecta externa movent sensus et mentem distrahunt.

IV. Ad ultimum, assuescas primam intentionem initio orationis factam et conceptum inde fervorem aliquoties in decursu orationis renovare, præsertim si te adverteris ab attentione ad evagationem mentis delapsum. Dic iterum velle te Deum, omnium creatorem, colere et adorare ; velle te etiam ut eum laudent omnes creaturæ ; velle te eum laudare omnium creaturarum laudibus. Attendas Dei, Christi, angelorum præsentiam, et jugem in cœlo Beatorum laudem Sanctissimæ Trinitati exhibitam.

Statue ergo, sacerdos, majori cum devo-

tione fungi laude divina, ut sic gratiam et præmium reportes, non vero pœnam inde merearis.

Si parochiæ alicui addictus sis vel ecclesiæ in qua cantantur Vesperæ, maximopere cura ut ad eas quamplurimi fidelium conveniant.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM. — De Lampade accendenda coram Tabernaculo.

Prima significatio Lampadis.

PRIMO, lampas illa semper accensa et coram tabernaculo eucharistico ardens, symbolum est Divinitatis hic specialiter præsentis. Divinitas quippe per lucem recte designatur : sacra enim eloquia frequenter asserunt Deum lucem esse et ignem. Audi loquentem Moysen ad populum Israel in veteri Testamento : Dominus Deus tuus *ignis* consumens est. (Deut., IV, 24.) Audi apostolum Joannem in novo : Deus *lux* est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. (I Jo., I, 5.) Quisquis proinde societatem fœdusque cum Deo inire optat, lucem in se foveat necesse est. Pergit enim Joannes affirmare : eodem loco : « Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus ; si autem *in luce* ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. » Eodem

modo beatus Jacobus apostolus in epistola sua Deum vocat patrem luminum, dicens : « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a *patre luminum*, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. »

Aperi igitur oculos mentis, o fili lucis, et cum intueris in templo Lampadem micantem, memento Deum hic sacramentaliter præsentem esse. Christus, utpote Deus, ubique est per essentiam, per præsentiam, per potentiam : sed specialius hic adest in Tabernaculo, ut ibi adoratores suos sua luce collustret, dicente Psalmista : *Accedite ad eum, et illuminamini ; et facies vestræ non confundentur.* (Ps. XXXIII, 6.)

Memor sis etiam altissimi mysterii sanctissimæ Trinitatis, in quo nimirum Pater est lumen et origo omnis luminis, Filius est lumen de lumine, candor lucis æternæ et quasi radius rutilans a Patre, sanctus vero Spiritus ardor est procedens ab utroque, a fonte scilicet simul et a radio, quoniam radius ipse suo modo luminis fons est.

Et quia Deus lux est, angeli, primaria Dei creatura, lucis angeli dicuntur et flammæ ignis. *Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis.* (Heb., I, 7.)

Ideo sanctus Joannes vidit (Apoc., IV, 5) ante thronum Dei septem angelos quasi septem lampades flammantes. Quid autem sunt omnes spiritus angelici, nisi scintillæ lucidæ et ignitæ ab immensa Divinitatis luce et flamma prosilientes? Unde sanctus Augustinus (in libro imperfecto de Genesi ad litteram) ait per lucem quæ in Genesi dicitur primo die creationis facta esse, intelligi posse angelos, qui, ut ait, significantur hac luce, brevissime quidem, sed convenientissime. Et libro XI de Civitate Dei: Facti sunt participes lucis æternæ, quod est ipsa incommutabilis Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei Filium, ut ea luce illuminati qua creati, fierent lux et vocarentur dies, participatione incommutabilis lucis et diei quod est Verbum Dei, per quod et ipsi et omnia facta sunt.

Horum omnium memor sis, o sacerdos, dum lampadem templi intueris.

Secunda significatio Lampadis.

Transeo ad secundam mysticam significationem, et docere te volo Lampadem coram tabernaculo accensam non solum designare Divinitatem, sed insuper in specie Christum hominem.

Isaias propheta (cap. LXII) suspirans ad ea tempora quibus Filius Dei nostra vestiri debebat mortali substantia, inclamat : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus et salvator ejus *ut lampas* accendatur. » Spiritu prophetico prævidebat Salvatorem ex Virgine nascituram, non temerata hujus virginitate, sicut per vitrum splendor transit, sine læsione. Cernebat deinde totam Ecclesiam hoc splendore, tamquam lampade in medio domus accensa, illustrandam. Idemque propheta, mysticæ hujus lampadis adventum conspiciens quasi propinquum, animas tædio quodam exspectationis obdormiscentes excitat, dicens capite LX : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est.*

Aperi iterum oculos, o fili lucis, et, cum lampadem in templo lucescentem contueris, memento Ecclesiam catholicam esse domum Dei viventis, quæ a Christi incarnatione luminis sui sumpsit primordia. Crevit autem in lumine per Verbi incarnati prædicationem, dum circuibat ille « omnes civitates et castella » (Matth., IX, 35), lucem suam spargens sapientiæ. Tandem in immensum excrevit Ecclesia per conditoris

sui passionem, dum elevata est ipsa veluti lucerna fulgida in mystico illo Crucis candelabro. Ibi quidem hostes ejus, filii tenebrarum, moliti sunt orientem lucem acerbo Christi funere penitus exstinguere : at Ecclesia in resurrectione illuminatoris sui novo inclarescens ortu, tam miro repente refulsit splendore, ut invidos hostium suorum oculos excæcaret et in fines orbis terræ radiantem suam coruscationem inveheret.

Igitur « gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum *in lumine* » (Coloss., I, 12), postquam « de tenebrisnos vocavit *in admirabile lumen* suum » (I Pet., II, 9), studeamus ita nos gerere ut aliquando de nobis dici possit quod dicebat Christus ad Judæos de Joanne Baptista : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* (Jo., V, 35.)

Tertia significatio Lampadis.

Tertiam significationem affero, et dico *Christum ut est in Eucharistia* per hanc de qua agimus lampadem designari. Attende quid ipse apostolis dicat : *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* (Jo., IX, 5.) Huc etiam aliquo modo referri possunt quæ dicit Christus apud Matthæum, capite ultimo :

« Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. » Hæc enim verba implentur non solum ratione protectionis Ecclesiæ a Christo præstitæ quoad infallibilitatem, sed etiam ratione hujus sacramenti in quo Christus Ecclesiæ suæ præsens adest, realiter, vere et substantialiter. Cum ergo nobiscum commoretur usque ad consummationem seculi, commoratur utique tamquam lux mundi, splendorem suum usque ad tenebrosa cordis nostri latibula diffundens. Itaque realem præsentiam Jesu, qui est lux vera semper nobiscum, semper Emmanuel, id est nobiscum Deus, agnoscamus, o sacerdotes, et profiteamur per juge lumen coram divino hoc sacramento accensum.

Lux in tenebris lucet, ait evangelista Joannes, *et tenebræ eam non comprehenderunt.* Christus in hoc sacramento lux est, sed lux obvoluta specie sacramentali. Ipse nihilominus lucis suæ radios jacit trans hanc veluti umbram in corda filiorum. At vero tenebræ id non comprehenderunt ; Judæi, gentiles, hæretici, negatores, id non intelligunt, et huic veritati obluctantur. Lux autem id recte comprehendit, hoc est fideles christiani, veræ lucis filii, agnoscunt lucem hanc in mysticis tenebris sacramenti ruti-

lantem, et eam adorant. Memores sunt verborum Salvatoris : *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* (Jo., XII, 36.) Credunt igitur in hanc velatam lucem, donec eam aspicere possint plane revelatam, sine nebula, sine ulla obscuritate, sine sacramento, quando in lumine videbimus lumen et fides transibit in claram perfectamque visionem.

Tu ergo, fili lucis, sis semper hujus lucis amator, ne aliquando inter cæcutientes numereris ; sis diligens hujus lucis nutritor ; redde Deo tuo coram admirabili Tabernaculo honorem, cum interiorem tum exteriorem, per signum luminis jugiter ardentis.

Quarta et quinta significatio Lampadis.

Hactenus exposui quid Lampas tabernaculi designet ex parte Dei et Christi ; nunc jam videndum est quid significet ex parte nostra.

1° Recte dixeris hanc lampadem significare *regium honorem* quem supremo Regi apud nos præsenti deferimus. Olim regibus et imperatoribus faces et lampades in signum majestatis præferri solebant. Et quidem faces istæ et lampades principum splendorem et dignitatem signabant, item-

que eorumdem sapientiam, quæ velut ignis populis lucem afferre et quasi vitalem spiritum afflare debet. Quid igitur mirum,si eumdem honorem deferimus illi qui « habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium? » (Apoc., XIX, 16.) Quid mirum, si in ejus regia ac sacrosancto domicilio cereos accendimus, lampades appendimus, faces præferimus, cui supremus ab omnibus honor debetur, quique est ipse Sapientia infinita quæ universa gubernat, « attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter ? » (Sap., VIII, 1.)

2° Recte dixeris lucernam coram tabernaculo ardentem designare *tres virtutes theologicas*, fidem, spem et caritatem. Sunt hæ tres lucernæ quas in *interiori* tabernaculo nostro igne Spiritus sancti semper oportet esse accensas. De hoc igne sanctus Augustinus (in libro Soliloquiorum qui ei tribuitur, cap. 34, in fine) : Ignis sancte, quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris ? Væ illis qui ex te non ardent ! Væ caligantibus oculis qui te videre non possunt !

Et primo quidem, *fides* lampas est nos illuminans ; ab illa denominamur filii lucis. De fide sic loquitur sanctus Paulus : *Deus*

qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. (II Cor., IV, 6.) Certe absque hac fidei lampade mundus in tenebris jaceret et confusione. Etenim sine lumine fidei quam parum cognosceremus de Deo a quo creati sumus ! Sine hoc lumine fidei ignoraremus certe felicitatem supernaturalem cujus causa creati sumus ; nesciremus viam qua ad illam itur. Sine hoc lumine ignoraremus Christum et redemptionem ; ignoraremus redemptionis pretium quo a morte translati sumus ad vitam.

Tu itaque, o fili lucis, sollicite advigila ne fidei lumen in te exstinguatur. Cave ab illis hodiernis doctrinis quibus sensim sine sensu sacra flamma fidei minuitur, etiam in corde sacerdotali. Sollicitus esto de alendo hoc igne materiali coram altari Dei tui, ut ipse, beneficium hoc ampliori compensans beneficio, semper in altari cordis tui fidei lucernam sospitet et foveat.

Secundo, *spes* etiam lampas est, dicente Augustino in Sermone 37, in caput XXXI Prov., ad hæc verba, *Non exstinguetur lucerna ejus tota nocte :* « Lucerna ejus, spes ejus. Ad illam operatur omnis homo quidquid boni ad spem facit. Et in nocte ardet

lucerna ista. » Sensus est : Semper lucet spes, sive tempore nubilo adversitatis, sive tempore sereno prosperitatis ; in nocte afflictionis dispellit caliginem, ad fortiter agendum exstimulat, ad constanter patiendum corroborat. Claritas spei boni operis merito alitur, sicut et lampadis fulgor oleo superfuso fovetur ; et quo magis in sanctorum operum exercitio versamur, eo magis etiam spes nostra augetur et firmatur.

Audi igitur, o fili lucis, Christum Dominum servos suos ita alloquentem : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (Luc., XII, 35), et hoc sacrum monitum alte imprime cordi tuo. Dum tempus est, lampadem tuam spiritualem adorna, oleique copiam illi provide, ne unquam lux ejus deficiat. Et ut hilare hoc internum negotium suscipias, persuasum habe per oleum materiale quod lucernæ templi subministras, olei spiritualis te copiam promereri, et gratiam pro gratia accipere, lumen pro lumine.

Tertio, *caritas* lucerna est, aut, si mavis, ignis est, lucernam fidei et spei accendens : sine caritate enim fides mortua est, spes nec vigorem habet nec splendorem. Hic est ignis de quo Dominus : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

(Luc., XII, 49.) Lampas igitur quæ jugiter in templo materiali debet ardere, indicat caritatis ignem in corde nostro nunquam posse intermori. Quod si aliquando videatur languescere vel etiam prorsus exstingui, accendi debet de Lampade principali, quæ est Christus, et ali hoc sacramento luminis, quod virtutem suam sine imminutione toti communicat fidelium multitudini, quemadmodum lampas accensa mille aliis lampadibus lumen suum sine sui detrimento impertit.

Admoneo te igitur, o fili lucis, ut sedulo foveas in te hanc caritatis flammam. Et ne eam exstingui contingat, frequenter adi hoc eucharisticum mysterium per visitationes Sanctissimi, quasi ad rubum ardentem, in quo Divinitatis flamma ipsissima invenitur, lucis suæ vim et ardorem omnibus impertire parata.

Admoneo etiam te ut memineris sicut in materiali Dei templo oleum et cerei ad ejus obsequium et honorem consumuntur, ita etiam totum quod in te est ad ejus gloriam impendi debere et penitus consumi, velut perfectum holocaustum, ex quo nihil tibi reserves.

Sexta significatio Lampadis.

„Lampas coram tabernaculo ardens spi-

ritualis lætitiæ index est. Hæc lætitia in nobis per eucharisticum sacramentum excitatur, dum recolitur memoria tot beneficiorum et gratiarum quæ a Christo Redemptore in nos profecta sunt. Propterea sacramentum illud dicitur « memoria mirabilium Domini » et « epitome omnium operum divinorum. » Unde psalmista, Christum prædicens, exclamat : *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. Lætamini, justi, in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.* (Ps. XCVI, 11, 12.) Ubinam, quæso, copiosius quam in hoc divinæ suavitatis mysterio lætitia spirituali perfunduntur ii qui recto sunt corde ? Merito ergo exsultant justi in lumine hujus sacramenti, et lumina ei accendunt in signum lætitiæ cordis sui.

Præstant illud denique in signum continuæ aspirationis ad lumen illud beatificans quod est in templo gloriæ, cujus fruitionem sperant se obtenturos per virtutem ipsius Eucharistiæ, quandoquidem sacrosancta Eucharistia arrha est et pignus æternæ et consummatæ felicitatis. Eorum vox est cum psalmista : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* (Psalm. XXXV, 9, 10.)

Illuc ergo tendant tua suspiria, o fili lucis. Ad domum illam et templum non manufactum jaculatoriæ cordis tui adspirationes contendant.

*
* *

Reflectat rursus unusquisque paulisper ad semetipsum, et videat quomodo Lampas quæ in materiali templo lucet, jam in ipso sacerdote ut in templo spirituali inveniri debeat. — Dicit ad apostolos et in eorum persona ad omnes sacerdotes Christus ipse: *Vos estis lux mundi*... neque accendunt *lucernam*, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

« Per hæc verba, ait Chrysostomus (Homilia 15 in Matth.) illos ad accuratam vitæ rationem excitat, ut sollicite sibi caveant, utpote qui sub omnium oculis versentur et in medio totius orbis theatro decertent... Ego enim, ait Christus ad suos apostolos, lucem accendi : ut vero perseveret ardens, id ad vestram diligentiam pertinet... Neque enim poterunt maledicta *vestrum obumbrare splendorem*...

« Et quomodo, inquies, per nos glorifi-

cabitur Deus, si nobis homines maledicturi sint ? At non omnes ; immo, qui id facient, id ex invidia facient : invidi autem illi in conscientia sua vos mirabuntur. *Luceat lux vestra.* Multa sit virtus, copiosus ignis, lux ineffabilis. Cum enim tanta virtus sit, fieri non potest ut lateat, etiamsi is qui illam possidet, omnimodo eam obscuram esse velit. Irreprehensibilem igitur illis exhibete vitam, nullamque veram habeant accusandi occasionem. Pulchre dixit : *Lux.* Nihil enim hominem sic illustrem efficit, etiamsi prorsus latere velit, ut virtutis splendor. Sicut enim ipso solari radio circumdatus, ita etiam clarius refulget, non in terram tantum radios emittens, sed ipsum cœlum transcendens. Hinc illos admodum consolatur. Nam si de maledictis, inquit, doletis, multi etiam erunt qui propter vos Deum admirentur. Utrimque vero colligitur merces : et cum propter vos Deus glorificatur, et cum propter Deum vos maledictis incessimini... Resplendete igitur in vita, et maledicos ne curetis... Sic enim eos qui in tenebris sedent, ad supernam vitam quasi manu ducetis. »

LIBER SECUNDUS

CATHEDRA

CAPUT PRIMUM. — De persona concionatoris.

CONSIDERA, o sacerdos, quale sit, quartum et quam divinum sit munus tibi a divina Providentia mandatum, et intellige probe qualis et quam divinus esse debeas et tu. Memor esto, quoties cathedram in ecclesia tua collocatam aspicis, te in munere concionatoris evangelici, non solum apostolorum, sed et ipsius Christi personam referre, immo Dei locum tenere.

I. Etenim disposuit divina Providentia ut cognitio veritatis christianæ maxime per loquelam prædicantium et auditum fidelium in mundo conservaretur ac propagaretur, *tamquam Deo exhortante per nos*, ut scribit Apostolus. (II Cor., v, 20.) De omnibus qui ab Ecclesia missionem spargendi sermonem evangelicum accipiunt, pronunciavit Christus : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* (Luc., x, 16.) « Est magna auctoritas [i. e. dignitas] prædicatorum, ait ad hunc locum sanctus Bonaventura, in quorum receptione Deus recipitur, in quorum contemptu contemnitur ; ipsi enim sunt *os Domini*, sicut dicitur (Jerem.,

xv, 19) : *Si separaveris pretiosum a vili* [animam hominis a peccato], *quasi os meum eris.* » Sanctus vero Chrysostomus : « An ignoras quid sit sacerdos ? Angelus utique Domini est. *Non ex seipso loquitur.* Si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinavit. » (Hom. 2 in Tim.) Quomodo a primis Ecclesiæ seculis haberentur prædicatores evangelici ut *Dei cooperatores*, testis est auctor operis De cœlesti hierarchia, cum scribit : « Omnium divinorum divinissima exstat perfectio, Dei cooperatorem esse in salute animarum, » quod maxime fit concionando. Unde mirum non est primis Ecclesiæ temporibus raros fuisse qui non accepto supremo ordine episcopatus, verbum Dei prædicare permittebantur. « Hujus muneris, ait sanctus Carolus Borromæus, sive *materia* sive *finis* spectetur, tanta utique dignitas ostenditur, ut non facile aliud excogitari dicive possit quod illo præstantius sit aut altius aut magnificentius. » Richardus a sancto Victore : « Ignoro, ait, an possit hac gratia interim majorem aliquam Deus homini conferre quam est ut *ejus ministerio* perversi homines in melius mutentur, ut ex filiis diaboli filii Dei efficiantur. An forte cuiquam videbitur majus esse mortuos suscitare ?

Quale hoc, quantum et quam divinum, docere nomine Dei, et sic aliquomodo fieri oraculum veritatis æternæ ; docere nomine Christi, et sic oraculum fieri Sapientiæ increatæ ; docere nomine Ecclesiæ per missionem divinam ab ea acceptam, et sic fieri aliquo modo participem ejus infallibilitatis propter conjunctionem cum illa! Quanta dignitas! Quot inde obligationes!

II. De his *obligationibus* sic monebat Pius IX, sanctæ memoriæ, episcopos totius mundi catholici initio sui pontificatus : « Cum nihil sit quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instituat quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt (Trid., XXII, cap. I de reform.), et cujus modi sunt sacerdotes ejus modi plerumque esse soleat et populus, pro vestra singulari sapientia perspicitis, Venerabiles fratres, summa cura et studio Vobis esse elaborandum ut in clero morum gravitas, vitæ integritas, sanctitas atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex sacrorum canonum præscripto diligentissime servetur et, ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur... Neque vero ignoratis majori diligentia Vobis in illorum præcipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen

committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiæ Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacramentorum administratione, *divini verbi prædicatione* ac *bonorum operum exemplo* continenter pascere, juvare eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum, parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi. Ne autem *Dei sermo*, qui vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (cf. Heb., IV, 12) ad animarum salutem est institutus, ministrorum vitio infructuosus evadat, ejusdem divini verbi præconibus inculcare, præcipere nunquam desinite, Venerabiles fratres, ut, gravissimum sui muneris officium animo reputantes, evangelicum ministerium non in persuabilibus humanæ sapientiæ verbis(I Cor., II, 4), non in profano inanis et ambitiosæ eloquentiæ apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis religiosissime exerceant, ut, recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos (II Cor., IV, 5), sed Christum crucifixum prædicantes, sanctis-

simæ nostræ religionis dogmata et præcepta juxta catholicæ Ecclesiæ et Patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere populis clare aperteque annuncient, peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter imbuti atque refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita æternas pœnas evadere et cœlestem gloriam consequi valeant. Universos ecclesiasticos viros pro pastorali vestra sollicitudine et prudentia assidue monete, excitate, ut serio cogitantes ministerium quod acceperunt in Domino, omnes proprii muneris partes diligentissime impleant, domus Dei decorem summopere diligant atque intimo pietatis sensu sine intermissione instent obsecrationibus et precibus, et canonicas Horas ex Ecclesiæ præcepto persolvant, quo et divina sibi auxilia ad gravissima officii sui munera obeunda impetrare et Deum christiano populo placatum ac propitium reddere possint.» (Encyc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846.)

III. Hodiernus vero Pontifex Pius X in Encyclica de sancto Gregorio Magno, anno 1904, multum commendat ut a clero legantur opera hujus sancti Doctoris, ubi,

ait, « normæ traduntur, non iis modo temporibus, sed *etiam nostris* aptissimæ. » Jam vero de prædicatoribus agens, ita loquitur sanctus Gregorius in caput 32 Job : « *Formam* prius ostendere *boni prædicatoris* debemus... Sanctæ universalis Ecclesiæ spiritalis quisque prædicator in cunctis quæ dicit, solerti cura se inspicit, ne in eo quod recta prædicat, vitio se elationis extollat ; ne vita a lingua discordet ; ne pacem, quam in ecclesia nunciat, in seipso, dum bene dicit et male vivit, amittat. Sed studet summopere contra maledicos rumores adversantium et *defendere loquendo* quod vivit, et *ornare vivendo* quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed auctoris gloriam quærit : atque omnem sapientiæ gratiam, quam ut loqueretur accepit, non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus pro quibus loquitur, accepisse. Sicque dum se infra dejicit, superest ; quia suæ nimirum magis mercedi proficit, quod bona quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit. Indignum se omnibus judicat, etiam cum dignius cunctis vivat. Scit enim quod bona quæ innotescunt hominibus, sine periculo esse vix possunt. Et quamvis sapientem se esse sentiat, vellet tamen esse sapiens nec videri. »

In hæc porro verba : Qui solverit unum de mandatis, sic ait (in Evang. lib. I, hom. 12) : « Mandatum quippe solvit et docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod vivendo non implet. In qua [Ecclesia] doctor qui mandatum solverit, minimus vocatur : quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. »

Et in caput 39 Job : « Sancti igitur viri, cum se ad prædicandum parant, prius se interius virtutibus innovant, ut ad hoc quod loquendo docent, vivendo concordent. Prius sua interna considerant atque a cunctis se vitiorum sordibus emundant, curantes summopere ut contra iram patientiæ luce resplendeant ; contra carnis luxuriam, etiam cordis munditia fulgescant ; contra torporem, zelo candeant ; contra confusos præcipitationis motus, serena gravitate rutilent ; contra superbiam, vera humilitate luceant ; contra timorem, radiis auctoritatis clarescant. » In caput 5 : « Ille namque uberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit... Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. » In Ezech., lib. I, hom. 10 : « Ille enim recte

loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.» Hom. 3: « Duæ autem sunt sanctorum prædicatorum vitæ : activa scilicet et contemplativa. » « Otiosus est sermo docentis, si præbere non valet incendium amoris. » (Lib. II in Evang., hom. 30.) « Mens quippe concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet, et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba quæ frigido corde proferuntur. » (In cap. 8 Job.) « Vita [bonorum] prædicantium *sonat* et *ardet*. Ardet enim desiderio, sonat verbo... Recte autem prædicatorum verba « scintillæ » appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. Considerandum quoque est quod scintillæ subtiles sunt valde et tenues : quia cum prædicatores sancti de cœlesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo quantum possunt ardere desiderio. Ex eorum ergo lingua quasi quædam ad nos scintillæ veniunt, quia de cœlesti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter amatur. » (In Ezech. lib. I, Hom. 3.) Monet ibidem : « In sanctis prædicatoribus planta pedis est *vituli*, scilicet mature incedens et fortis, et divisa. Quia unusquisque prædi-

cator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulæ in discretione. Non enim facile prædicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis amittit, si discreta in intellectu non fuerit. Ecce enim sacram Scripturam legimus : si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amisimus ; si omnia ad spiritalem allegoriam ducimus, similiter indiscretionis stultitia ligamur. »

IV. Mirum igitur non est summum Pontificem Pium X, gravissimas sacris ministerii obligationes pensantem, quandoquidem unusquisque sacerdos, juxta verba sancti Gregorii quæ refert Pontifex ex Regula pastorali, parte I, cap. 10, sic debet vivere ut proximorum quoque *corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare*, non est mirum, inquam, eum in eadem Encyclica enixe commendare omnibus catholici orbis episcopis ut serio secum et coram Deo agant antequam recens inunctis sacerdotibus *apostolatus munia* committant. « Qui, sic pergit, nisi justo fuerint experimento probati sub vigili custodia pruden-

tiorum sacerdotum, nisi habeant unde plane constet de honeste acta vita, de prono in pietatem ingenio, de animo ad obediendum parato iis omnibus quæ vel Ecclesiæ consuetudo induxerit, vel diuturna experientia comprobarit, vel quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ipsi præceperint, sacerdotio fungentur non in plebis christianæ salutem, sed in perniciem. Nam et jurgia serent, et plus minus latentes ciebunt rebelliones, triste sane spectaculum populo exhibentes, quasi discrepantium in cœtu nostro voluntatum, cum deploranda hæc paucorum superbiæ et contumaciæ sint adscribenda. Procul, oh procul ab omni officio sunto excitatores discordiarum! Nec enim *his apostolis* eget Ecclesia, neque hi pro Christo cruci affixo apostolatum gerunt; sed ipsi sibi apostoli sunt. »

V. Ex his gravissimis monitis intellige, o sacerdos, duplicem esse operariorum evangelicorum classem : unam operariorum *naturalium*, alteram operariorum *supernaturalium*, et ingentem inter illas esse discrepantiam, et in modo cogitandi, et in modo loquendi et in modo agendi. In prima omnia fere vulgaria sunt ; in altera omnia egregia, et non raro heroica. Utinam hæc longe superet alteram numero, ut ex

ministerio sacerdotali uberior nascatur fructus ad majorem Dei gloriam et ad animarum sanctificationem! Tu, o sacerdos, contende locum habere inter eos qui merito insigniri solent glorioso nomine *virorum Dei.*

Quapropter considera frequenter attento animo atque sequi conare fideliter *regulam vere auream* concionatoribus propositam in opere Marchantii « Virga Aaronis » et ab aliis viris æque doctis et piis auctam. Hanc tradimus in capite sequenti.

CAPUT SECUNDUM. — Aurea regula concionatoris.

PRIMO, Magni faciendum est « legatione fungi pro Christo » (II Cor., v, 20); ejus gratiam, spiritum, merita partiri, et velut per aquæductus in alios influere ; ipsam Domini passionem et sanguinem efficacem reddere ; Dei verbum ore humano tradere, munusque exercere ad quod apostoli, Spiritus sancti charismatibus prius repleti, assumpti fuerunt ; uno verbo, munus illud obire quod et ipse Christus in terris exercuit.

Secundo, oportet Dominum Jesum sibi proponere ut principium influens, nihil optando dicere quod ipse non posuit in ore ; ideoque eum enixe obsecrare ut inspiret et influat, et spiritum ejus sequi, ut nihil dicatur nisi quod ad ejus amorem, timorem, cultum imprimendum spectet. Et hoc est prædicare Jesum, ut loquitur Apostolus.

Tertio, præparatio adhiberi debet, non solum speculativa, sed maxime practica, quæ fiat ex animi ad Christum elevatione ; ita ut primariæ veritates et doctrinæ capita

in oratione vel consideratione velut escæ calore devotionis digerantur et in propriam substantiam convertantur, et sic ex abundantia cordis os loquatur. Non sicut aves pullos ex aliunde quæsitis, sed ut matres vel nutrices ex propria substantia nutrire decet, et cum Apostolo dicere : Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi. (I Cor., III, 1, 2.)

Quarto, purificanda est intentio, ut nullum verbum nisi ad gloriam Dei proxime vel remote referatur, et animus respiciat semper Deum et salutem animarum, non auram popularem aut suam gloriam ; ut possit coram Deo et angelis protestari : *Non quæro gloriam meam.* (Jo., VIII, 50.) Oportet itaque prævia oratione offerre Domino Jesu ejusque Spiritui omnia dicenda, omnia illi subjicere, ut dirigat, aptet, applicet juxta beneplacitum voluntatis suæ. Nam sæpe fit ut dicta quædam ex occasione propter ejus directionem, animas efficaciter tangant, immo longo post tempore fructificent in salutem.

Quinto, in ipso exercitio prædicationis juvat sibi sistere præsentem Christum, et revereri in terris prædicantem, ejusque loquentis spiritum, zelum, virtutem efficaciter in animabus intueri, et ex illo intuitu

ac reverentia loqui. Nam sicut verum est, licet Petrus baptizet, Paulus baptizet, tamen Christus est qui proprie baptizat, sic ipse est non solum qui prædicat, sed et qui in nobis prædicat, et interius afficit animam et prædicantis et audientis. Unde etiam ex hoc intuitu cum spiritu et efficacia loquendum est, tamquam in persona illius qui loquebatur « sicut potestatem habens » (Matth., VII, 29), sicut et de apostolis dicitur : « *Virtute magna* reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. » (Act., IV, 33.)

Sexto, cum post concionem pungi quis possit stimulis vanitatis, si recte successerit, aut confusionis, si non recte, aut non ita ex hominum sententia, ideo statim Domino Jesu quidquid boni fuerit referendum est, quidquid vero incongrui cum humiliatione animi sibi tribuendum, rogando Deum ut suppleat sua benignitate et fructum educat ex nostro qualicumque labore. Audiendus est hac de re sanctus Franciscus Xaverius in epistola ad Patrem Gasparem Barzæum : « In concionandi munere caput est Deo, bonorum omnium fonti, quidquid inde fluat boni, acceptum referre. Sis memor quidquid in concione pii rectique expresseris, nequaquam esse tuum, sed ore

tuo loquentis Dei. Nec quicquam tibi tribue præter delicta, socordiam, elationem ingratumque animum in Deum, in populum, in socios, quorum deprecatione, non tuo merito, talentum communicatum tibi est a Deo. »

Septimo, non debet animum despondere concionator, licet exiguus fructus sequatur; sed debet attendere illud Augustini, lib. I contra Cresconium, cap. 5 : « Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurret, ita fidelis justitiæ prædicator, etiamsi ab hominibus respuatur, absit ut apud Deum sui officii mercede fraudetur. » Nihil ergo decidit de merito ; sed, ut dicit Dominus (Matth., x, 13), pax quam indignis apprecamur, ad nos revertitur. »

Octavo, magnopere confert curare ut opera verbis et sermonibus correspondeant, attendendo illud apostoli Petri : « Pascite qui in vobis est gregem Dei... *forma facti gregis* ex animo. » (I Pet., v, 2, 3.) Quasi dicat : « Pascite non solum verbo, sed et exemplo ; ita vivite prout loquimini ; estote forma bene vivendi, et grex Christi legat non solum in sermonibus sed et in operibus vestris, quasi in libro originali, quid agere et quomodo conversari debeat. Pascite gre-

gem concreditum *propriis* pascuis et herbis, non solum alienis sive aliunde adjectis. Non enim sufficit alienæ virtutis exempla gregi proponere, nisi et eamdem in nobis possint cernere. Non est satis patientiam Job prædicare, nisi eam prædicans etiam in seipso eam conetur exhibere. Non est satis castitatem docere, et in Joseph prælucentem indigitare ; sed oportet in seipso eam etiam posse designare. Non est satis obedientiam Isaac, humilitatem Francisci aliasque sanctorum perfectiones imitandas proponere ; sed oportet ut qui proponit, aliquid saltem earum possit in se exprimere. Alioquin hoc est ad *aliena* solum prata gregem ducere, non autem propriis pascere pascuis. Qui ergo efficaciter vult verbum Dei annunciare, videat ut cum Christo, primo magistro, incipiat prius facere quam docere, et ut cum Apostolo dicere possit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* (Phil., III, 17.)

Hæc est etiam doctrina et sanctorum Patrum, inter quos sic loquitur sanctus Hieronymus : « Non confundant, inquit, opera tua sermonem tuum, ne, cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis ?

Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent. » (Epist. ad Nepotianum) « Sancti viri, inquit sanctus Gregorius papa (in caput 39 Job), cum se ad prædicandum parant, prius se interius virtutibus innovant, ut ad hoc quod loquendo docent, vivendo concordent, atque a cunctis se vitiorum sordibus emundant. » Audi et sanctum Isidorum, De summo bono, lib. v : « Qui non vivit sicut decet, ipsam quam prædicat veritatem, contemptibilem facit. Arcus perversus est lingua magistrorum bene docentium et male viventium ; et ideo ex perverso sagittam emittunt, dum suam pravam vitam linguæ propriæ ictu confodiunt. Quid enim est bene docere et male vivere, nisi se propria voce damnare ? »

Nono, eam animi magnitudinem et æquabilitatem retinere studeas ut et prosperis successibus et adversis superior videaris ; adeo ut nullo eventu fractus, non religiosæ modestiæ nec sanctæ libertatis nec bonæ de te conceptæ existimationis, quæ ad fructum colligendum necessaria est, quidquam amittas.

O Jesu, Doctor et Magister æternæ veritatis, da pastoribus tuis et concionatoribus *lumen in mente*, *ardorem in corde*, *verbum in ore*, *puritatem in intentione*, *effi-*

caciam in opere, ut prædicent Te, et prædices in eis, ut operentur in Te, et opereris in eis, sicque possint vivis operibus et sermonibus persuadere, evangelizantes verbum in virtute multa. Aquam sanctæ doctrinæ quam a Te, fonte vivo, possunt haurire, pravæ conversationis pedibus non turbent, ne sic turbatam oves tuæ sine sapore gustent ; sed puram sic eis eam propinent, ut sit bibentibus aqua in vitam æternam saliens !

CAPUT TERTIUM. — Subsidia concionatoris : S. Scriptura et SS. Patres.

MEMOR sis, o sacerdos, te vocatum esse a Deo ad reducendas animas suo creatori : quod cum sit opus omnium difficillimum, necesse est ut summo studio media illa adhibeas quæ instrumentum cum Deo conjungunt. Sunt autem hujusmodi media *solidæ virtutes* ac præcipue *caritas*, *pura intentio* divini servitii, *familiaritas cum Deo* in spiritualibus devotionis exercitiis et *zelus sincerus animarum* ad gloriam divinæ majestatis. Enitaris oportet cum Dei gratia esse ceteris exemplo, ut non minus vita quam doctrina ad omnem virtutem proximos allicias.

Sed præter orationem et bonam vitam, non exigua tibi suppeditabunt subsidia *studium Scripturæ sacræ* et *lectio Patrum*.

I. — Scriptura sacra.

I. In sacræ Scripturæ lectione assiduum esse oportet concionatorem. Eam ut suum enchiridion quotidie manibus terat ; in ea meditetur die ac nocte ; testimonia ejus proferat, non vanæ curiositatis aut osten-

tationis causa, sed ut hoc sibi prosit et aliis. *Omnis* enim *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* (II Tim., III, 16.) « Si quid dicitur absque Scriptura, ait sanctus Chrysostomus (Hom. super Ps. XCV), auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans ; ubi vero e Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, et loquentis sermonem et audientis animum confirmat. » Tanta est sacræ Scripturæ dignitas, utilitas, majestas, ut omnes philosophorum et theologorum libros tantum superet quantum divina sapientia mentem humanam transcendit. Est enim sacra Scriptura verbum Dei ; est ipsa Dei loquela et vox, qua Deus scilicet suam sapientiam nobis enunciat, viamque ad virtutem, salutem et felicitatem æternam demonstrat. Sacra in Scriptura præsto nobis est ars artium et scientia scientiarum. Sancta autem Theresia, ut narrat Ribera, a Deo didicit omnem noxam Ecclesiæ, omnia mundi damna ex hoc manare quod mortales clara solidaque cognitione et seria consideratione non penetrent veritates sacræ Scripturæ. Juxta sanctum Augustinum (De doct. christ., IV, 5) sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis san-

ctis majus minusve profecit. Juxta sanctum Basilium (Hom. in Ps. 1) tota Scriptura sacra per Spiritum sanctum conscripta est, ut sit velut communis curandarum animarum officina, in qua medelam quisque suo morbo salutarem et accommodam queat seligere. Juxta porro Cornelium a Lapide, Ecclesia a sacra Scriptura, dum agones erant martyrum, hausit constantiam et fortitudinem ; dum secula doctorum ac facultas docendi addiscendique, sapientiæ lumina, eloquentiæ flumina ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, quibus errores convelleret, In prosperis ex ea didicit humilitatem et modestiam, in adversis magnanimitatem, in tepore diligentiam et fervorem. Denique si quando, tot labentibus annis, senio, maculis, naevis deformetur, ex ea morum perditorum restitutionem reditumque ad pristinam virtutis dignitatem et statum sibi adsciscit. »

Utinam tibi, o sacerdos, verbi Dei pie prædicator, familiaris sit hæc precatio : « Aperi mihi, Domine Jesu, arcana veritatis veræque caritatis tuæ, qui habes clavem David, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit, ut illam clare cognoscam, et cognitam colam et diligam, dilectam opere exsequar, quia tu es amor noster, de-

siderium nostrum, vita et beatitudo nostra ! »

II. Hoc fonte divino veræ eloquentiæ sacræ utere cum summa veneratione, maxima fidelitate, voluntate firmissima nunquam recedendi ab aureo principio quo utebatur sanctus Hieronymus, quodque delineatum reliquit in admirabili pagina quam oculis tuis, tamquam speculum tuum, subjicio. — Commentatur in hæc verba Epistolæ sancti Pauli ad Philemonem : Audiens caritatem tuam, et *fidem quam habes in Domino Jesu et in omnes sanctos ejus.* Porro sic ait: «Quæritur quomodo *eamdem fidem* in Christo Jesu habere quis possit et in sanctos ejus. Ad expositionem hujus loci de Exodo sumamus exemplum. *Credidit populus Deo et Moysi, servo ejus.* Una atque eadem credulitas in Moysen refertur et in Deum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis ejus est, ut quicumque credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat, nisi credat et in sanctos ejus... Quod autem dico, tale est : credidit quispiam in conditorem Deum : non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis ejus vera esse quæ scripta sunt : Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe ser-

vatum ; quod primus Abraham, de terra sua et cognatione jussus exire, circumcisionem quam in signum futuræ prolis acceperat, posteris dereliquit ; quod Isaac oblatus victima sit et pro illo aries immolatus, coronatusque sentibus passionem Domini deformarit ; quod Moyses et Aaron decem plagis Ægyptum afflixerint; quod ad vocem Jesu, filii Nave, precesque steterit sol in Gabaon et luna in valle Ailon. Longum est universa Judicum gesta percurrere, et totam Samson fabulam [i. e. narrationem] ad veri solis, hoc quippe nomen ejus sonat, trahere sacramentum. Ad Regum libros veniam, quando in tempore messis, obsecrante Samuele, pluviæ de cœlo et flumina repente manarunt, et David unctus in regem est, et Nathan et Gad prophetaverunt mysteria ; cum Elias igneo raptus est curru, et Elisæus spiritu duplici mortuus mortuum suscitavit. *Hæc et cetera quæ de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit*, nec adduci ad fidem veteris Testamenti, nisi quæcumque de patriarchis et prophetis et aliis insignibus viris narrat historia, comprobarit ; ut ex fide Legis ad fidem veniat Evangelii, et justitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem, sicut

scriptum est : Justus autem ex fide vivit. »

Quantum distat asserta hic ab Hieronymo tam particulatim veri nominis *historicitas* eorum omnium quæ narrationem biblicam constituunt, a commentis et ausu temerario nonnullorum catholicorum de quibus queritur Leo XIII in Encyclica « Providentissimus » anni 1893, dicens dedecere nimium « ut quis, egregiis operibus quæ nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros præoptet ab eisque cum præsenti sanæ doctrinæ periculo, et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quærat in quibus catholici ingenia et labores suos jamdudum optimeque collocarint. Licet enim, sic pergit Pontifex, heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, juvari interdum possit interpres catholicus, *meminerit tamen*, ex crebris quoque veterum documentis, *incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri*, neque ab eis tradi posse qui, veræ fidei expertes, Scripturæ non medullam attingunt, sed corticem rodunt.

Ut cohibeatur damnosa propensio certorum catholicorum ad historicitatem sacrarum Scripturarum pessumdandam, prodiit die 13ª februarii 1905 Responsio pontificiæ

Commissionis de re biblica, cujus tenor hic est : « Cum, ad normam directivam habendam pro studiosis sacræ Scripturæ, proposita fuerit Commissioni pontificiæ de re biblica sequens quæstio, videlicet : *Utrum* ad enodandas difficultates quæ occurrunt in nonnullis sacræ Scripturæ textibus, qui facta historica referre videntur, *liceat* exegetæ catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cujus asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quæque ideo ab errore immunia haberi non possunt : prædicta Commissio respondendum censuit *Negative*, excepto casu in quo, salvis sensu et judicio Ecclesiæ, solidis argumentis probetur 1° hagiographum alterius dicta vel argumenta revera citare ; et 2° eadem nec probare nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui. Die autem 13ª februarii anni 1905, Sanctissimus... prædictum responsum approbavit atque publici juris fieri mandavit. »

Die 23ª junii ejusdem anni 1905 prodiit hæc altera Responsio :

De narrationibus specietenus tantum historicis in iis Sacræ Scripturis libris qui pro historicis habentur.

Proposito sequenti dubio Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur.

Dubium.

« Utrum admitti possit tamquam principium rectæ exegeseos sententia quæ tenet S. Scripturæ Libros qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiæ præ se ferre, ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica significatione alienum ? »

« Resp. : *Negative*, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiæ sensu non refragante ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiæ, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica significatione remotum proponere. »

Tertia prodiit ejusdem Commissionis responsio, 27ª junii 1906, sub hoc titulo : *De Mosaica authentia Pentateuchi.*

« Propositis sequentibus dubiis, Consilium Pontificium pro studiis de re biblica

provehendis respondendum censuit prout sequitur.

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum qui « Pentateuchi » nomine designantur, tanti sint ponderis ut, posthabitis quamplurimis testimoniis utriusque Testamenti complexive sumptis, perpetua consensione populi Judaici, Ecclesiæ quoque constanti traditione, necnon indiciis internis quæ ex ipso textu eruuntur, jus tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte ætate Mosaica posterioribus esse confectos.

Resp. *Negative.*

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse ; an eorum *hypothesis permitti* possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinæ inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam sententiam scriberent, nihil omitterent ; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore

probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur.

Resp. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

III. Utrum absque præjudicio Mosaicæ authentiæ Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus *fontes adhibuisse*, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et *sub divinæ inspirationis* afflatu nonnulla hauserit, eaque ad verbum vel quoad substantiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit.

Resp. *Affirmative.*

IV. Utrum salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi admitti possit tam longo seculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti vel additamenta post Moysi mortem ab auctore inspirato apposita; vel glossas et explicationes textui interjectas; vocabula quædam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum locutiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticæ disquirere et judicare.

Resp. *Affirmative*, salvo Ecclesiæ judicio.

II. — SS. Patres.

« Maxima semper fuit in Ecclesia sanctorum Patrum *auctoritas*. Hos siquidem tamquam veritatis testes, traditionis custodes, Scripturæ interpretes veneramur. *Patres* vocamus, tum propter antiquitatem, tum propter conjunctam cum sanctitate eminentem scientiam. *Studium* igitur sanctorum Patrum nunquam satis commendari potest concionatori. Ex his Scripturæ sensum eruat, dogmatum ecclesiasticorum notitiam hauriat, animum religione, multiplici eruditione ac vero pietatis sensu expleat reficiatque. » (Liebermann.)

Inde fit ut Concilium Tridentinum, agens de erectione seminariorum, dixerit de junioribus etiam eorum alumnis : « Sacram Scripturam, *libros ecclesiasticos*, *homilias sanctorum*... ediscent. » Idem in mentem revocat episcoporum Pius IX in Encyclica « Qui pluribus » anno 1846. Ad hanc cognitionem Patrum et scriptorum ecclesiasticorum faciliorem reddendam, adlaborarunt tot episcopi et alii sacerdotes eximii, vel institutis lectionibus publicis de hac materia vel multiplicatis vili propemodum pretio editionibus manualibus thesauri patristici. — Quam longe absunt ab eo spiritu

ii sacerdotes qui, nedum satagant aliquam saltem partem hujus thesauri sibi acquirere, satis habent concionem aliquam typis excusam memoriter utcumque commendare, nulla fere cura adhibita ut eam auditorum necessitatibus accommodent.

Ad studium hoc sanctorum Patrum omnibus commendandum, juvat hic describere suo idiomate BOSSUETIUM, virum in usu Scripturæ sacræ et sanctorum Patrum sane peritissimum, de legendis Patribus sic pro more magistraliter eloquentem : « Quiconque donc veut devenir un habile théologien et un solide interprète, qu'il lise et relise les Pères. S'il trouve dans les modernes quelquefois plus de minuties, il trouvera très souvent dans un seul livre des Pères plus de principes, plus de cette première sève du christianisme, que dans beaucoup de volumes des interprètes nouveaux, et la substance qu'il y sucera des anciennes traditions le récompensera très abondamment de tout le temps qu'il aura donné à cette lecture. Que s'il s'ennuie de trouver des choses qui, pour être moins accommodées à nos coutumes et aux erreurs que nous connaissons, peuvent paraître inutiles, qu'il, se souvienne que dans le temps des Pères elles ont eu leur effet, et

qu'elles produisent encore un fruit infini dans ceux qui les étudient ; parce qu'après tout ces grands hommes sont nourris de ce froment des élus, de cette pure substance de la religion et que, pleins de cet esprit primitif qu'ils ont reçu de plus près et avec plus d'abondance de la source même, souvent ce qui leur échappe et qui sort naturellement de leur plénitude, est plus nourrissant que ce qui a été médité depuis. C'est ce que nos critiques ne sentent pas ; et c'est pourquoi leurs écrits, formés ordinairement dans les libertés des novateurs et nourris de leurs pensées, ne tendent qu'à affaiblir la religion, à flatter les erreurs et à produire des disputes. » (Bossuet, *Défense de la tradition et des saints Pères*, 1re partie, fin.)

III. — Proponitur praxis circa utrumque studium.

Idem vero Bossuetius circa utrumque studium, Scripturæ sacræ scilicet et Patrum, breve scriptum reliquit, quod nonnisi tempore nostro (anno 1855) editum fuit, et cujus lectio non carebit fructu. Eam ejus partem quæ materiam a nobis tractatam spectat, ut jacet, hic describimus.

Bossuetius, qui jam a viginti annis

maximo successu in Gallia concionabatur et jam factus erat episcopus Condomensis, rogatus sententiam de meliori modo quo futurus concionator studere debet, sic scripto respondebat : « Pour la prédication, il y a deux choses à faire, principalement : former le style, *apprendre les choses*... [Omittimus quæ ad stylum pertinent.] Venons maintenant aux *choses*. La première, et le fond de tout, c'est de savoir très bien les Écritures de l'ancien et du nouveau Testament. La méthode que j'ai suivie en les lisant, c'est de remarquer premièrement les beaux endroits qu'on entend [*id est*, que l'on comprend tout à fait], sans se mettre en peine des obscurs. Par ce moyen, on se remplit l'esprit de toute la substance des Écritures. Car saint Augustin a raison de dire que « les endroits obscurs ne contiennent pas d'autres vérités que ceux qui sont clairs. » Les raisons en sont belles, mais longues à déduire. Les endroits clairs sont les plus beaux ; et si j'avais à former un homme dans son enfance à mon gré, je voudrais lui faire choisir plusieurs beaux endroits de l'Écriture, et les lui faire lire souvent, en sorte qu'il les sût par cœur. Ainsi on saura sans doute ce qu'il y a de plus beau ; et après on viendra aux diffi-

cultés... J'ai connu par expérience que quand on s'attache opiniâtrément à pénétrer les endroits obscurs avant que de passer plus avant, on consume en questions difficiles le temps qu'il faudrait donner aux réflexions sur ce qui est clair : et c'est ce qui forme l'esprit, et nourrit la piété. Il faut, sans impatience, lever une difficulté, et puis une autre, mais cependant s'attacher à bien posséder ce qu'on a trouvé de plus clair et de plus certain... Il ne faut guère lire les commentaires que lorsqu'on trouve actuellement quelque difficulté. Car ils se farcissent de beaucoup de choses superflues : et ils ont peut-être raison, parce que les esprits sont fort différents, et, par conséquent, les besoins. Mais pour trouver ce qui nous est propre, il faut nous éclaircir seulement où notre esprit souffre. Il y a une observation nécessaire à faire sur l'Écriture, et principalement sur saint Paul. C'est de ne pas chercher si exactement la suite et la connexion dans tous les membres. Il dit tout ce qui se peut dire sur la matière qu'il traite ; mais il songe, assez souvent, plutôt à la thèse proposée qu'à ce qu'il vient de dire immédiatement. Cette vue m'a sauvé bien de l'embarras dans les épîtres ad Romanos, ad Galatas, et dans

les endroits qui regardent la doctrine.

Pour les *Pères*, je voudrais joindre ensemble saint Augustin et saint Chrysostome. L'un élève l'esprit aux grandes et subtiles considérations ; et l'autre le ramène et le mesure à la capacité du peuple. Le premier ferait peut-être, s'il était seul, une manière de dire un peu trop abstraite ; et l'autre, trop simple et trop populaire. Non que ni l'un ni l'autre ait ces vices, mais c'est que nous prenons ordinairement dans les autres ce qu'il y a de plus éminent [*intellige* ce qui est dominant]. Dans saint Augustin on trouvera toute la doctrine ; dans saint Chrysostome, l'exhortation, l'increpation, la vigueur, la manière de traiter les exemples de l'Écriture et d'en faire valoir tous les mots et toutes les circonstances. A l'égard de saint Augustin, je voudrais le lire à peu près dans cet ordre : les livres de la Doctrine chrétienne ; le premier, théologie admirable ; — le livre *De catechizandis rudibus ; — De moribus Ecclesiæ catholicæ ; — Enchiridion ad Laurentium ; — De spiritu et littera ; — De vera religione ; — De civitate Dei.* Ce dernier, pour prendre comme en abrégé toute la substance de sa doctrine. Mêlez quelques-unes de ses épîtres : celles à Vo-

lusien ; ad Honoratum, *de gratia novi Testamenti*, ainsi que quelques autres. Les livres *De sermone Domini in monte*, et *De consensu evangelistarum*. A l'égard de saint Chrysostome, son ouvrage sur saint Matthieu l'emporte, à mon jugement... Les homélies sur la Genèse, excellentes ; sur saint Paul, admirables ; au peuple d'Antioche, très éloquentes. Quelques homélies détachées, sur divers textes et histoires. Je conseille beaucoup le Pastoral de saint Grégoire, surtout la troisième partie : c'est celle, si je ne me trompe, qui est distinguée en Avertissements à toutes les conditions, qui contiennent une morale admirable et tout le fond de la doctrine de ce grand pape.

Ces ouvrages sont pour faire un corps de doctrine. Mais comme l'usage veut qu'on cite quelques sentences, c'est-à-dire *accuratius aut elegantius dictata*, Tertullien en fournit beaucoup. Seulement il faut prendre garde que les beaux endroits sont fort communs. Les beaux livres de Tertullien sont : l'Apologétique ; — *De spectaculis ; — De cultu muliebri ; — De velandis virginibus ; — De pœnitentia*, admirable ; — l'ouvrage contre Marcion ; — *De carne Christi ; — De resurrectione carnis ; —*

celui *de Præscriptione*, excellent, mais pour un autre usage. On apprend admirablement dans saint Cyprien le divin art de manier les Écritures, et de se donner de l'autorité en faisant parler Dieu sur tous les sujets par de solides et sérieuses applications. Saint Augustin enseigne aussi cela divinement, par la manière et l'autorité avec laquelle il s'en sert dans ses ouvrages polémiques, surtout dans les derniers, contre les pélagiens. Ce qu'il faut tirer de ce Père, ce ne sont pas tant des pensées et des passages à citer, que l'air [*intellige* la manière] de traiter la théologie et la morale, et l'esprit le plus pur du christianisme. Au reste, ce que je propose ici de lecture des Pères, n'est pas si long qu'il paraît. Il n'est pas croyable combien on avance, pourvu qu'on y donne quelque temps et qu'on suive un peu. Clément Alexandrin viendra à son tour, et on pourra mêler la lecture de son *Pédagogue*, comme aussi quelques discours choisis de saint Grégoire de Nazianze, [auteur] très propre à relever le style. » (Editum ad calcem tomi II operis *Études sur la vie de Bossuet*, auctore A. Floquet.)

*
* *

Tribus præsertim mediis utebantur sancti Patres ad animas Deo concionando lucrandas : labore præparatorio, oratione et exemplo vitæ. Utinam et nos eisdem mediis uti assuescamus ! Major profecto esset nostrarum concionum fructus, majorque nobis consolatio. Faxit Deus ut omnes qui ad provinciam concionandi accedunt, discant, sanctorum Patrum exemplo, simul *facere et docere*, *ardere et lucere*, *potentes esse opere et sermone*, ne scilicet quod ædificant una manu, id altera manu destruant et penitus evertant !

CAPUT QUARTUM. — Quid assumendum pro materia concionum?



NTE omnia satage, o sacerdos, inculcare mentibus fidelium maximam *fidei christianæ existimationem*. « Quam multa, quam mira, quam splendida, ait Pius IX in citata jam Encyclica *Qui pluribus* anni 1846, præsto sunt argumenta quibus humana ratio luculentissime omnino evinci debet divinam esse Christi religionem, et omne dogmatum nostrorum principium, ut ait S. Joannes Chrysostomus, homilia I in Isaiam, radicem desuper ex cœlorum Domino accepisse, ac propterea nihil fide nostra certius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Hæc scilicet fides vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac cœlestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum prædictionibus, tot miraculorum

splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque, idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinæ cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuncians omnibus pacem, annuncians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ ac potentiæ fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse...

Nos igitur... Vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curæ vestræ concreditos assidue monere, exhortari connitamini *ut hisce principiis firmiter adhærentes*, nunquam se ab iis decipi et in errorem induci patiantur, qui, abominabiles facti in studiis suis (Ps. XIII, 2), humani progressus obtentu, fidem de-

struere eamque rationi impie subjicere ac Dei eloquia invertere contendunt... » Post quædam addita de materiis affinibus, applicat Pius IX easdem commendationes viris ecclesiasticis universis, et sic clare indicat quænam debeant ante omnia populo inculcari, ea scilicet quæ faciunt ad nutriendam summam et invictam *fidei christianæ existimationem.*

***

Hac porro existimatione in tuto posita, et explicatis juxta audientium captum argumentis quæ ipsam stabiliunt, assumendum est pro materia *ordinaria* concionum id quod præscribit concilium Tridentinum (Sess., v, c. 2 de reform.) hisce gravissimis verbis : « Archipresbyteri quoque, plebani et quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes, ...diebus saltem dominicis et festis solemnioribus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, *docendo ea quæ scire omnibus necessarium est* ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis *vitia* quæ eos declinare et *virtutes* quas sectari oporteat ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant » (1).

1. Hæc mandata Concilii conferat unusquisque sacer-

*
* *

Hæc mandata Concilii sua facit et evolvit Benedictus XIV, in Constitutione *Etsi minime* anni 1742, et post eum Pius IX in citata modo Encyclica ; et vicissim Pii IX verba repetuntur in circulari Epistola quam de sacra prædicatione edidit jussu Leonis XIII Congregatio episcoporum et regularium, die 31ª julii 1894, in qua sic statuitur per modum conclusionis : Unde clare apparet SYMBOLUM et DECALOGUM, *præcepta Ecclesiæ* et *sacramenta*, *virtutes et vitia*, *officia* quæ diversis personarum statibus propria sunt, *hominis novissima* et *veritates æternas* ejusdem generis, constituere debere «materiam ordinariam» sacræ prædicationis. — Dicitur *ordinariam*, nam ipsa sacra Congregatio in dicta Epistola addit non esse suæ mentis omnino prohibere quominus pro data opportunitate fiant quidam sermones *etiam in ecclesiis* de materia magis theoretica, ut est de beneficiis quæ ex religione revelata in ipsam societatem civilem redundarunt.

*
* *

Quam necessario hæc præcipiantur,

dos cum iis quæ de eadem materia præscribunt *Statuta* propriæ diœcesis.

nostro præsertim tempore, ostendit et deflet Pius X, in citata pariter jam a nobis paulo superius Encyclica de sancto Gregorio, anni 1904. Loquens ibi de « hodierno errore, » sic ait : « Negant enim quidquam esse supra naturam : esse Deum rerum conditorem, cujus providentia cuncta regantur ; fieri posse miracula ; quibus de medio sublatis, necesse est christianæ religionis fundamenta convelli. Impetuntur ipsa argumenta quibus Deum esse demonstratur, atque incredibili temeritate, contra prima rationis judicia, repudiatur invicta illa argumentandi vis qua ex effectibus causa colligitur, id est Deus, ejusque attributa nullis circumscripta limitibus... Quæ ordinem rerum supra naturam ratione quavis attingunt, sive quod illum constituant, sive quod cum illo conjuncta, sive quod ipsum præsumant, sive denique quod nisi per ipsum explicari multa non queant, ea omnia, nulla investigatione instituta, historiæ paginis eraduntur. Ejusmodi sunt Jesu Christi divinitas, mortalis ab eodem assumpta caro sancti Spiritus opera, sua ipse virtute a mortuis excitatus, omnia denique fidei nostræ cetera capita. Qua falsa semel inita via, nulla jam lege « critica scientia » cohibetur, suoque marte quidquid non

arridet aut rei suæ demonstrandæ adversari putatur, id omne sacris libris adimitur. »

*
* *

Quam necessario itidem hæc præcipiantur, si hodiernus status morum spectetur, exponit idem Pius X, in eadem Encyclica, sic pergens : « Nec minus dolendæ ruinæ quæ *moribus* hominum vitæque societatis civilis ex ea negatione proveniunt. Etenim, opinione sublata præter adspectabilem hanc rerum naturam *esse divinum aliquid*, nihil plane superest quo excitatæ cupiditates vel turpissimæ coerceantur, quibus mancipati animi ad pessima quæque rapiuntur... »

Dixerat paulo superius : « Nostra ætas, etsi tanta christianæ humanitatis luce fruatur..., videtur tamen *eam vitam fastidire* a qua præcipue, sæpe unice, quasi a fonte, tot nedum præterita, sed etiam præsentia bona sunt repetenda. Nec modo ut quondam, subortis erroribus ac dissidiis, se ipsa detruncat, quasi ramum inutilem, sed vel imam arboris radicem petit, id est Ecclesiam, conaturque *vitalem exsiccare succum.* »

Pergit nunc: « Non aliunde tamen quam in Christo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. (Act., IV, 12.) Ad ipsum

ergo redire necesse est, ejus advolvi pedibus, ex ore illo divino verba vitæ æternæ haurire ; solus quippe potest instaurandæ salutis indicare viam, solus vera docere, solus ad vitam revocare, qui de se dixit : *Ego sum via, veritas et vita.* (Jo., XIV, 6.)

Et post pauca concludit : Ex his facile intelligetis, Venerabiles Fratres, quanta unumquemque nostrum urgeat necessitas animi vi qua possumus maxima quibusque pollemus opibus *hujusmodi supernaturalem vitam* in omni ordine humanæ societatis excitandi, ab infimæ sortis opifice, cui panis apponitur diuturno sudore comparatus, ad arbitros terrarum potentes. »

*
* *

Denique summus pontifex Pius X nuperrime in alia Encyclica « Acerbo nimis » anni 1905, *de Catechismo tradendo*, novam quodammodo præscripsit materiam sacræ prædicationis, jubens districte et auctoritate apostolica, ut ait, ut in omnibus diœcesibus orbis catholici, statutis diebus, explicentur *more catechetico*, præter consuetam homiliam de evangelio, non jam pueris et rudibus, sed *coram toto fidelium cœtu* (1), facili

1. « Ea hora convocando quæ opportunior judicabitur ad obtinendam populi frequentiam. »

sermone et ad captum accommodato, ea quæ sunt de Symbolo, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de præceptis Ecclesiæ, utendo in hac re Catechismo Tridentino, eo ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio tota materia pertractetur. Textum verbotenus recitabimus infra, ad finem capitis septimi.

Sic autem exponit Pius X initio Encyclicæ cur hæc præcipiat: «Ætate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo qui in summa ignoratione eorum versentur quæ ad salutem æternam nosse oportet, communes, eæque proh dolor! non injustæ, sunt querimoniæ. Cum vero christianum dicimus *populum*, non plebem tantum aut sequioris cœtus homines significamus, qui sæpenumero aliquam ignorantiæ excusationem ex eo admittunt quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime qui, etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi sæpe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille jacent. De summo omnium auctore ac mo-

deratore Deo, de christianæ fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione nec de perfecta ab ipso humani generis restauratione *quidquam norunt ;* nihil de gratia, quæ potissimum est adjumentum ad æternorum adeptionem ; nihil de sacrificio augusto aut de sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiæ insit, quid turpitudinis, nullo pacto æstimatur ; unde nec ejus vitandi nec deponendi sollicitudo ulla : sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quæ fovendæ maxime caritati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat : si tamen, *quod fere usuvenit*, usque adeo culpabili ignorantia moriens non laboret ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendam æternitatis viam securo animo ingrediendam putet. » Et addit, quibusdam interjectis : « Ingens modo eorum est numerus, atque in dies augetur, qui *de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianæque fidei notitiam habent quæ illos permittat in media luce catholicæ veritatis idololatrarum more vivere.* »

Dum autem *extendit* ad omnem *populum* christianum ea quæ jusserat Concilium Tridentinum de catechetica doctrina tradenda pueris, monet sapientissimus Pontifex non esse leve negotium hanc explicationem elementarem doctrinæ christianæ. « Nolimus porro, inquit, ne ex ejusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando nullo labore nullaque meditatione opus esse : quin immo majorem plane quam quodvis genus aliud requirit. Facilius longe est, reperire *oratorem* qui copiose dicat ac splendide, quam *catechistam* qui præceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad *pueros* vel ad *populum* cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo majore studio et diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, *ad obtusiorem imperitorum aciem accommodet.* »

CAPUT QUINTUM. — Instructio practica Bellarmini de modo concionandi.

QUOMODO concionandum est, ut prædicatio nostra omnem quam potest et debet, habeat efficaciam? Ad hanc quæstionem optime et practice respondet Bellarminus, egregius quondam et sanctus concionator Societatis Jesu, postea celeberrimus cardinalis S. R. E.

Primo. — Finis christiani concionatoris esse debet docere fideliter quæ populum oporteat vel deceat scire ex divina doctrina, et simul movere ad virtutes consequendas et vitia fugienda.

Quare necesse est ut qui utiliter concionari desiderat, primum omnium *sibi præfigat scopum* quo dirigat totam concionem suam et singulas ejus partes. Sic, exempli gratia, dicere debet apud se: Evangelium hodiernum hortatur ad pœnitentiam. Volo igitur, Deo juvante, operam dare ut in animis auditorum ingenerem desiderium veræ pœnitentiæ; ac propterea colligam rationes, testimonia, exempla et alia quæ ad hunc finem obtinendum juvabunt.

Pari ratione examinare deberet singulas partes suæ concionis, et videre an ad finem propositum faciant. Hinc enim multi non modo inutiliter, sed etiam cum periculo animarum suarum concionantur, qui nullum sibi finem proponunt, nisi consumendi unam horam dicendo, aut certe argutis sententiis et varietate rerum et verborum detinendi auditores. Isti enim, ut finem verum non habent propositum, ita etiam non assequuntur, licet multum fatigentur et sudent.

Secundo. — Ad docendum, qui est unus ex finibus concionatoris, non satis est de singulis evangelii vocibus aliquid dicere, vel ex singulis conceptus, ut vocant, quosdam elicere, ut quidam faciunt, qui non *verbum* Dei, sed *verba* prædicant; sed necesse est verum, germanum et litteralem sensum (1) eruere, et inde dogmata fidei confirmare vel præcepta vivendi tradere, ac breviter id docere quod sanctus Spiritus per

1. Ne incidat concionator in defectus quos sanctus Franciscus Salesius jam vocabat « textus sacri detorsiones, » utile erit consulere opusculum Patris J.-V. Bainvel, S. J., *Les contresens bibliques des prédicateurs*, Paris, Lethielleux 1895, in-12, pp. 164, in quo plus quam ducentorum textuum interpretationes perperam ab ascetis et a concionatoribus passim adhiberi solitæ, appositis rationibus redarguuntur.

ea verba doceri voluit. Id enim vere est populum pascere et instruere verbo Dei.

Tertio. — Ad movendum ad studia virtutum, qui est alter finis concionatoris, non satis est irasci in peccatores et vociferari : *inanes* enim clamores terrent aliquando simpliciores, sed ridentur a sapientioribus, et certe in neutris solidum fructum operantur. Itaque oporteret veris rationibus quæ ducuntur a testimoniis divinis, a causis et effectibus rerum de quibus agitur, ab exemplis et appositis similitudinibus convincere primum mentes auditorum, ut fateri cogantur ita esse vivendum ut concionator dicit ; ac tum demum verborum copia et efficacia sententiarum et variis exclamationibus impellendi sunt, ut velint serio quod velle se debere cognoverunt.

Unde autem argumenta et exempla peti possint, paulo post explicabitur.

Quarto. — Tria sunt necessaria ad fines prædictos consequendum : *zelus Dei*, sive fervoris ac spiritus vehementia, *sapientia* et *eloquentia*. Quæ tria significata sunt linguis igneis quæ super apostolos apparuerunt, cum a Deo creati sunt primi evangelici prædicatores. Ardor sapientiam, forma linguæ eloquentiam designabat. Eloquentia sine caritate et sapientia est cymbalum tin-

niens et inanis garrulitas. Sapientia et eloquentia sine caritate, res est plane humana et mortua. Caritas sine sapientia et eloquentia, est instar viri fortis sed inermis.

Quinto. — Ad zelum seu spiritum hauriendum, cui potissimum studere debet christianus orator, nihil prodest magis quam oratio ad Deum assidua, rerum cœlestium continua et seria cogitatio, et librorum spiritualium ac eorum potissimum qui vitas sanctorum continent, pervolutatio.

Sexto. — Ad sapientiam concionatori necessariam tria requiruntur : 1° Cognitio Scripturæ, et ideo deberet ecclesiastes quotidie aliquid legere ex divina Scriptura, ut eam sibi faceret familiarem valde, et simul adhibere commentaria Patrum.

2° Requiritur notitia dogmatum ecclesiasticorum, in quo genere tutissima est doctrina sancti Thomæ et Catechismi Tridentini. Neque recte faciunt qui populo *opiniones* doctorum de dogmatibus proponunt. Neque enim parum est si populus quæ certa sunt plane intelligere et retinere potest.

3° Exigitur varia eruditio, ut habeat concionator exemplorum, similitudinum, testimoniorum et rationum copiam ; ad quam valde conducunt Digressiones s. Joannis Chrysostomi in epistolas beati Pauli et Ser-

mones ejusdem ad populum antiochenum ; sermones s. Basilii de jejunio et sequentes ; tractatus s. Augustini in psalmos, et sermones ejusdem de verbis Domini et de verbis Apostoli ; Dialogi s. Gregorii ; historiæ ecclesiasticæ, et Vitæ sanctorum fideliter scriptæ ab Athanasio, Hieronymo, Beda, etc.

Septimo. — Ad eloquentiam christianam, immo ad omnem veram eloquentiam requiritur ut ars emendet et poliat, sed non destruat aut corrumpat naturam. Atqui in hac una re præcipue peccari solet.

Debet ars *emendare* naturam, quia nonnulli interdum, vel educatione vel prava consuetudine, vitiose loquuntur et agunt, ut cum verbis utuntur impropriis vel minus honestis, vel phrasibus nimis levibus aut obscuris, et cum caput indecore movent, aut sola sinistra manu gestum faciunt, aut aliter peccant in agendo : quæ vitia facile observatione notari et caveri possunt et debent. Et rursus (ut dixi) debet ars *non destruere* naturam. Et si peccata aliqua toleranda sint, minus malum est non emendari quam corrumpi naturam. Destruunt naturam qui, dum concionantur, vel sono vocis utuntur insolito, ut non tam loqui quam librum aliquem legere aut etiam

canere videantur, aut verbis utuntur poeticis aut jam antiquatis, aut nimium affectatis, vel certe phrasibus ita concinnis ut omnes intelligant eos multum laborasse in componenda oratione. Ista enim detrahunt concionatori omnem pene auctoritatem, cum animi vani et secularis manifesta signa sint.

Octavo. — Si quis autem velit hoc vitium fugere, cogitare debet se, licet ex loco superiore et ad multos, tamen cum hominibus locuturum et cum eis ita acturum ac si seorsum cum singulis ageret. Qui enim cum uno aliquo loquitur, ut ei aliquid persuadeat, certe non utitur initio multis concisis aut congerie epithetorum aut poetica phrasi, nec magna corporis commotione, nec voce inusitata ; sed plane more humano, primum quieto corpore, voce moderata et verbis simplicibus. Deinde, si opus sit contendere, vel hortari, vel reprehendere, paulatim assurgit, vocem extollit, multiplicat verba, agitat corpus, exclamat, sed ita ut mutationes vocis et verborum congeriem ac totius corporis commotionem pariat affectus, non affectatio vel artificium. Hoc solum interesse deberet inter orationem concionatoris ad populum et familiarem collocutionem unius ad alterum, quod concionatori, ut commode exaudiatur, est altius loquendum, etiam gra-

vius et magis considerate, quia majus malum coram multis peccare quam coram uno, et quia, ut quidam ait, multitudo honorabilis est.

Nono. — Tria sunt genera concionum apud SS. Patres in usu. Quidam enim Scripturas ordine pro concione exponunt, et diligenter sententias singulis explanant. Tales sunt Tractatus s. Augustini in Joannem, Basilii et Ambrosii in Hexameron, Chrysostomi in Genesin ; atque hi nullum alium finem propositum habent quam docendi. Affectus enim obiter tantum et breviter admiscent. Alii toti sunt in locis communibus tractandis, ut sermones Chrysostomi ad populum, sermones Basilii diversorum argumentorum et plerique sermones Augustini, Bernardi et aliorum Patrum ; et hi potissimum affectibus movendis inserviunt. Alii denique partim Scripturas exponunt, partim digrediuntur ad virtutes commendandas et vitia detestanda. Quod insigniter praestat Chrysostomus in homiliis in epistolas D. Pauli et, quamvis brevius, in Matthæum et Joannem, et in Acta apostolorum. Idem facit Augustinus in Psalmos, post trigesimum, Bernardus in Cantica et alii nonnulli.

Hæc tria genera utilia sunt et merito

frequentanda. — Quartum invexerunt nonnulli, qui scholasticas quæstiones in concione pertractant. Et quintum alii, qui exquisitis verbis et rhetoricis flosculis vel historias evangelicas narrant, vel crimina Pharisæorum amplificant, vel de aliis ejusmodi rebus inepto artificio, magno labore et sine utilitate dicunt.

Hæc Bellarminus.

***

Quid vero sentiendum sit de hoc genere quod dicunt *Conferentiarum* quas hic innuit Bellarminus deque earum abusu, docet nos *Epistola edita jussu Leonis XIII* a Sacra Congregatione episcoporum et regularium, die 31ª julii 1894. Hæc epistola de qua jam locuti sumus in capite præcedenti, missa fuit ad omnes Ordinarios Italiæ et ad Superiores generales Ordinum et Congregationum religiosarum. Sequentia quæ ibi leguntur post citata a nobis capite IV, inde ex originali italico latine vertimus : « Sed hæc gravissima argumenta [ea scilicet quæ ordinaria materia concionum esse debent] ætate nostra indignum in modum negliguntur a multis prædicatoribus qui, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, et quia probe noverunt has materias non

esse aptiores ad conciliandum ipsis favorem illum popularem quem ambiunt, illas omnino prætermittunt, maxime in quadragesimis et aliis occasionibus solemnibus ; mutantesque nomina simul cum rebus ipsis, substituunt in locum antiquarum prædicationum male definitum genus « conferentiarum, » quæ tendunt ad mentem et phantasiam inescandam, neutiquam vero ad movendam voluntatem et ad mores reformandos. Neque ad hoc isti reflectunt animum, prædicationes de re morali utiles esse omnibus, conferentias vero plerumque non intelligi nisi a paucis, et hos quidem, si melius juvarentur quoad mores, id est si melius adjuvarentur ut sint magis casti, magis humiles, magis obedientes erga auctoritatem Ecclesiæ, ipso facto liberatum iri in mente sua mille præjudiciis quæ nunc illis insunt contra fidem, et mentem habituros esse melius dispositam ad lucem veritatis recipiendam : propterea quod errores circa religionem, maxime apud populos catholicos, radicantur, generatim loquendo, in pravis affectibus cordis magis quam in aberrationibus intellectus... Mens tamen non est damnare absolute *conferentiarum* usum ; quæ contra, si bene ordinentur, possunt evadêre in certis casibus valde utiles,

immo necessariæ, nunc cum tot errores contra religionem sparguntur. At plane constitutum est eliminare e sacro pulpito pomposas illas allocutiones quæ tractant de argumentis magis speculativis quam practicis, et civilibus magis quam religiosis, de iis quæ plus habent ostentationis quam fructus, quæque proinde conveniunt forte palæstræ ephemeridum et aulis academicis sed certe cum loco sancto consona non sunt. Quod vero ad illas conferentias attinet quæ spectant ad religionem contra impugnationes hostium defendendam, sunt hæ quidem interdum necessariæ, sed huic oneri ferendo omnes humeri non sunt pares, at robustiores tantum. Et valentiores ipsi inter oratores magnas in hac re debent adhibere cautelas ; tales enim apologiæ nonnisi ibi et tunc et coram illis auditoriis fieri convenit quæ iis vere indigent et ex quibus fructus verus sperari potest : cui rei patet non esse judices magis competentes quam locorum Ordinarios. Decet etiam ita facere has conferentias ut demonstratio profunde nitatur in doctrina sacra plus quam in argumentis humanis et naturalibus. Decet etiam facere cum tanta soliditate et perspicuitate ut vitetur periculum in eo positum quod in certis mentibus magis im-

pressi remaneant errores quam veritates oppositæ, et objectiones plus etiam quatiant quam responsa restaurent. Quod vero caput est, attendendum ne supervacaneus conferentiarum usus causa fiat cur prædicationes de re morali in contemptum veniant et desuetudinem, quasi res sint hæ sequioris ordinis et minoris momenti quam orationes polemicæ, relinquendæ propterea prædicatoribus de communi et auditoribus vulgaribus; dum contra veritas habet prædicationem de re morali magis necessariam esse universitati fidelium, eam non esse minus nobilem quam polemicam illam, et proinde valentissimos etiam et celebratissimos oratores, quantumcumque auditorium sit elegans et numerosum, debere eam saltem aliquoties cum vivo zelo tractare. Si hoc non fiat, magna hæc auditoria ad hoc adigentur ut semper orationes audiant de erroribus, qui sæpe non inveniuntur in pluribus eorum nembris, nunquam vero de vitiis et culpis quæ in hujusmodi cœtibus magis abundare solent quam in aliis qui minus spectabiles sunt. »

Hactenus excerpta quoad sic dictas « Conferentias » ex Epistola SS. Congreg. Episc. et Regul.

CAPUT SEXTUM. — Sensa sancti Francisci Salesii de vera prædicandi ratione.



SACERDOS, existimo te minime dubitare quin ego exhortando te ad te exhibendum concionatorem supernaturalem, ante oculos habuerim admirabilem illum sacerdotem quem coævi « præsulem angelicum» solebant nuncupare, *Franciscum Salesium.* Ipse eximius exstitit concionator, et alios artem sancte concionandi mirifice docuit. Attenta mente accipe *consilia ipsius* sapientissima.

Ut ordine procedamus, audiamus respondentem ad quatuor quæstiones : *Quis* prædicare debet ? — Ob quem *finem ?* — *Quid* prædicandum ? — *Quomodo ?*

I. — Quis prædicare debet ?

Nemo prædicare debet, cui hæc tria non suppetant : Vita bona, bona itidem doctrina, et missio legitima.

Ad *doctrinam* quod attinet, sufficientem esse oportet, non item excellentem. Sanctus Franciscus [Assisias] eruditus non erat, magnus tamen et bonus prædicator. San-

ctus cardinalis Borromæus non nisi admodum mediocri erat scientia, et mirabilia tamen præstitit... Prædicando prædicatores fimus. Hoc unum dixero : sat superque scit prædicator, si modo videri non vult plus scire quam sciat. Si dicere de mysterio Trinitatis nequiverimus, eo argumento abstineamus. Si idonei non simus exponere istud Joannis *In principio*, supersedere licet. Sunt alia majoris utilitatis argumenta, nec omnia omnes facere necesse est.

Quantum ad vitam bonam, ea opus est quemadmodum Apostolus in episcopo requirit, non amplius. Ita ut meliorem esse non oporteat ut quis prædicator sit quam ut episcopus. Hactenus itaque res expedita est. *Oportet*, ait B. Paulus, *episcopum irreprehensibilem esse.*

Verum noto episcopum et prædicatorem non tantum irreprehensibiles esse debere ad peccatum mortale quod attinet, sed et peccata quædam venialia devitare ; quin et actiones quasdam minime peccaminosas, ut venari, noctu ad conversationes egredi, ludere frequentius et prolixius.

II. — Quis debet esse prædicanti in prædicando finis?

Non alius is sit oportet quam facere quod

Dominus in hunc mundum venit ut faceret, de quo ipse dixit : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* (Jo., x, 10.)

Finis igitur prædicatoris est ut peccatores in iniquitate mortui ad justitiam reviviscant, et ut justi, qui vitam spiritualem habent, abundantius eam habeant, magis magisque se perficiendo, juxta id quod dictum est Jeremiæ : *ut evellas et destruas* vitia et peccata, *et ædifices et plantes* virtutes et perfectiones. Cum ergo prædicator cathedram conscendit, dicat in corde suo : Ego veni ut isti vitam habeant, et abundantius habeant.

Quam rem ut exsequatur, duo illum facere necesse est : *docere* et *movere ;* docere virtutes et vitia, illas quidem ut eas amari, in deliciis haberi et practicari faciat, hæc vero ut ad eorum detestationem, impugnationem et fugam adducat : in summa, ut intellectum illustret et inflammet voluntatem.

Scio plures pro tertio addere, ut prædicans delectare studeat. Verum, mea quidem sententia, distinguendum est. Est delectatio quæ doctrinam et motionem consequitur. Heus ! quænam est anima adeo insensibilis quam non delectat plurimum doceri bene et sancte viam cœli, quam non capiat conso-

latio summa divini amoris ? Atque ad hanc delectationem quod attinet, omnino procuranda est : sed ea a docendo et movendo non differt. Aliud vero delectationis genus est. Est quædam aurium titillatio, proveniens ex certa elegantia seculari, mundana et profana, inhærens in rebus curiosis et quæ tota pendet ab artificio. Et de hac nego pernegoque ecclesiastæ esse cogitandum. Qui hac utuntur, non Jesum Christum crucifixum, ut nos, sed seipsos prædicant. In concionis egressu nolim equidem dici : Quantus ille est orator ! Quam valenti memoria præditus est ! Quam doctus est ! Quam bene loquitur ! Sed audire velim : O quam pulchra est pœnitentia ! O quam necessaria ! O Deus, quam bonus es, quam justus es ! et his similia ; vel certe ut auditor, corde plane consternato, aliter de præstantia prædicatoris testari non valeat quam emendatione vitæ suæ. *Ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

III. — Quid prædicare debet concionator ?

Divus Paulus dicit Timotheo suo : *Prædica verbum*, Dei nimirum ; sanctus vero Franciscus Assisias : *Prædicate Evangelium*, idque explicat, mandans fratribus suis ut prædicent de virtutibus et vitiis, de in-

ferno et Paradiso. Abunde suppetit in sacris Scripturis unde ista petantur, nec opus est aliis.

At igitur utendum non erit doctoribus christianis et libris sanctorum ? — Ita prorsus. Nam quid aliud est doctrina Patrum quam Evangelium explicatum, quam Scripturæ sanctæ elucidatæ ? Plus inter ea non est discriminis quam nucem inter solidam eamdemque confractam, e qua quilibet edere valet nucleum, aut certe quam inter integrum et eumdem divisum et distributum.

Ast historiis Sanctorum num uti licet? — Bone Deus ! quidni liceret? Numquid aliud quidpiam tam utile aut tam pulchrum ? Quid vero aliud quæque est Sanctorum vita quam Evangelium ad praxim redactum ? Amplius rursus inter ista non interest quam inter musicam notis descriptam et eamdem cantu expressam.

Quantum ad historias naturales, nihil melius. Mundus hic adspectabilis, verbo Dei factus, idem adhuc Verbum omni ex parte redolet. Nulla est ejus pars quæ laudem artificis non decantet. Liber est continens Dei verbum, sed ea lingua quam non omnes intelligunt. Qui meditationis ope intelligunt, recte eo utuntur magni An-

tonii exemplo, cui alia non erat librorum supellex. *Invisibilia enim* Dei *per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* (Rom., I, 20.) David vero ait : *Cœli enarrant gloriam Dei.* (Ps., XVIII.)

Liber hic pro similitudinibus, comparationibus a minori ad majus et sexcentis aliis usibus appositus est. Veteres iis redundant, ipsaque sacra pagina mille locis. *Vade ad formicam.* (Prov., VI, 6.) *Quemadmodum desiderat cervus.* (Ps., XLI.) *Considerate lilia agri.* (Matth., VI, 28.) *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* (Ibid., XXIII, 37.) Aliaque id genus millena.

Exempla vim habent admirandam, condiuntque sermonem non vulgarem in modum. Opus dumtaxat ut apposita sint, bene proposita, et adhuc melius exposita. Verum caveat prædicator narrare miracula falsa, historias ridiculas et minime decentes, quibus fieret ut vituperaretur ministerium nostrum.

IV. — QUOMODO OPORTET PRÆDICARE?

Actione opus est *libera, nobili, generosa, naturali, forti, sancta, gravi,* et nonnihil lentiore.

Ut vero talem actionem habeas, quid

requiritur ? Verbo dicam : sufficit ut affectuose eloquaris et devote, simpliciter, candide et confidenter ; ut ipsemet penitus hauseris et persuasissimam tibi habeas doctrinam quam aliis persuasam cupis. Artificiorum summum erit nullum habere artificium. Inflammata sint verba, non clamoribus gesticulationibusque immodicis, sed interiore affectione. De corde plus quam de ore proficiscantur. Quantumvis ore dixerimus, sane cor cordi loquitur ; lingua non nisi aures pulsat.

Dixi opus esse actione *libera*, contra illam pædagogorum coactam et affectatam. — Dixi opus esse actione *nobili*, contra illam quorumdam rusticam, qui cathedram manu, pede, toto denique pectore pulsare non cessant. Clamores quoque et ejulatus tollunt horrendos, sæpe etiam præpostere et extra occasionem. — Dixi *generosa*, contra eos qui meticulosa quadam eloquentia præditi sunt, sic loquentes auditoribus tamquam patribus suis, et non ut filiis et discipulis. — Dixi *naturali* et genuina, contra artificium omne et affectationem. — *Forti* etiam, cui mortua quædam, mollis et languida adversatur. — Ut et *sancta*, ad excludendam actionem fractam sive enervem, actionem item adula-

toriam, aulicam et mundanam. — Dixi quoque *gravi*, contra nonnullos qui in salutandis venerandisque pileo gestuque auditoribus toti sunt, nec abstinent quidem a gesticulationibus aliis levibus ; manus ostentant ; superpelliceum quo induti sunt, indicant ; et si quid aliud in motibus est indecorum.

Idem de *lingua* dico, quam claram, tersam, naturalem ac generosam esse oportet, ostentatione verborum græcorum, hebraicorum, aulicorum expertem.

Contextus naturalis sit, absque præfationibus scrupulosis ornatuque studioso. Sane probo ut ad punctum primum rotunde dicatur « primo, » ad alterum, « secundo ; » atque ita populus ipse ordinem perspiciat. Probo plerumque recollectiones seu recapitulationes ; post quas quatuor aut quinque verba fervoris, in modum precationis aut exhortationis, subjungentur.

Pro præparatione ad prædicandum, probo vespera pridiana fiat ; mane vero meditemur quod aliis dicturi sumus. — Præparatio coram Venerabili Sacramento facta magnam habet virtutem, ait Granatensis, cui et assentior.

Prædicationem amo quæ amorem proximi magis quam indignationem redoleat,

erga ipsos etiam sectarios, quos et magna compassione tractare oportet, non blandiendo tamen, at deplorando.

Semper concionem breviorem quam longiorem esse præstat.

Finio definiendo prædicationem. Est, inquam, publicatio et declaratio voluntatis Dei facta hominibus per eum qui legitime missus est, in finem ut instruantur et moveantur ad serviendum ejus Majestati in hoc mundo, ut salventur in altero.

***

Coronidis loco, videamus jam specimina aliqua concionis, quibus mirifice docemur a sancto Francisco Salesio varios modos quos concionator adhibere poterit ad explicandum coram populo catholico quodvis religionis mysterium.

« Mysterium prædicandum erit, v. g. Nativitas, Resurrectio, Assumptio, aut totum aliquod evangelium.

Primus modus. — Considera quænam in dicta historia personæ interveniant ; tum vero ex earum qualibet aliquam pete considerationem. Exempli gratia, in Resurrectione vide Marias, angelos, custodes sepulcri et dulcissimum Salvatorem nostrum. In mulieribus cerno fervorem et diligentiam ;

in angelis, gaudium et jubilationem in vestibus eorum albis et lumine relucentem; in custodibus, infirmitatem meditantium inania contra Deum. In Jesu contemplor gloriam, triumphum de morte, et spem resurrectionis nostræ.

Secundus modus. — Assumi potest in mysterio aliquo punctum ipsius capitale, veluti in exemplo superiori est resurrectio ; tum considerari quæ punctum hoc præcessere, mors, descensus ad inferos, liberatio patrum in sinu Abrahæ exsistentium, Judæorum metus ne corpus furto tolleretur. Tum venit resurrectio in corpore beato et glorioso. Denique sequuntur terræ motus, adventus et apparitio angelorum, mulierum quæsitio, responsum angelorum. In horum singulis mirum quanta, qualia, bonoque insuper ordine dici queunt.

Tertius modus. — In quolibet mysterio tria hæc considerari possunt : Quis ? Cur ? Quomodo ? — Quis resurgit ? Dominus noster. Cur ? Ad gloriam suam et utilitatem nostram. Quomodo ? Gloriosus, immortalis, etc.

Quartus modus. — Post propositam paraphrasi brevi historiam, tres subinde aut quatuor considerationes ex ea peti possunt. Prima, quid inde disci queat ad ædifica-

tionem fidei nostræ. Secunda, quid ad incrementum spei. Tertia, ad inflammandam caritatem. Quarta denique, ad imitandum et exsequendum.

In Resurrectionis exemplo, pro *fide*, intuemur omnipotentiam Dei, corpus transiens penetransque lapidem, immortale factum, impassibile et prorsus spirituale. Quanto igitur firmiores esse oportet ad credendum in Eucharistiæ sacramento idem corpus locum non occupare, specierum fractione non offendi, ibique modo quidem spiritibus proprio et tamen reali exsistere!

Pro *spe*. Si Christus resurrexit, et nos resurgemus, refert Paulus ad Corinthios. Viam nobis stravit ac trivit.

Pro *caritate*. Quamvis jam redivivus, adhuc tamen in terris conversatur, ad instruendam Ecclesiam; tardatque propter utilitatem nostram possessionem capere cœli, quod tamen corporum gloriosorum locus est. O quantus amor!

Pro imitatione. Resurrexit tertia die. O Deus, quidni resurgimus per contritionem, per confessionem et satisfactionem? Ille lapidem vi perrumpit: nos perfringamus omnes difficultates quæ sese opponunt saluti nostræ!

CAPUT SEPTIMUM. — De diligenti instructione religiosa puerorum et rudium.

QUAM diligenter religiosæ instructioni puerorum operam navare debeant sacerdotes et pastores, quia ab illa pendeat omnis posterioris ætatis fructus, sicut messis a semine, inter alios qui de hac re scripserunt, optime exponit Marchantius in egregio opere cui titulus est : « Virga Aaronis. » Seminent ergo, inquit, in cordibus tenellis semen pietatis et timoris divini, rigentque illud exhortationis frequenti rore : absque dubio germinans germinabit, et fructus cernetur suo tempore. Adolescentium mollia sunt ingenia, et instar ceræ sigillum quod primo eis imprimitur, facile suscipiunt. Ergo imaginem vitæ piæ et perfectæ juvat ex tunc eis proponere et imprimere, quam paulatim coloribus virtutum possint adornare.

Primo itaque edoceantur elementa sermonum Dei, prima fidei mysteria, ut juxta ætatem intelligere possint quid sit Deus, quomodo unus et trinus, quid Christus, quomodo carnem assumpserit Dei Filius,

non Pater aut Spiritus sanctus. Deinde quæ mandata Dei et Ecclesiæ ; ut sciant distinguere vitium a virtute, peccatum a bono opere, vitium abhorrere, virtutem amare. Simulque pœnæ improborum, præmia bonorum eis proponantur. Absterreantur maxime a vitiis ætati illi teneræ affinibus, a mendacio, inobedientia, furto, verbis obscœnis, cogitationibus aut tactibus impuris. Ulterius edoceantur quid Sacrificium, qua pietate oporteat assistere ; quid Pœnitentia, quid Eucharistia, qui fructus frequentationis horum sacramentorum. Erudiantur mature de precibus fundendis ad Deum et sanctos, et in hoc se vespertino matutinoque tempore exercere moneantur.

Quod de adolescentulis dicimus, de quibuslibet etiam rudioribus intelligimus, quos inter parvulos accensemus quibus doctrinæ panis frangendus est, immo masticandus, immo in fauces inferendus. Et cum incapaces sint solidi cibi, lacte eos alere oportet, hoc est simplicissima instructione in rudimentis doctrinæ et pietatis christianæ. Erga tales nempe decet ut pastores se exhibeant, non solum ut spiritu patres, sed etiam ut matres et nutrices, ubera eis exhibentes veritatis, pietatis, amoris plena. Oportet eos repuerascere cum pueris et balbutire cum

illis, rudes esse cum rudibus : hoc est, oportet deprimere verba et conceptus mentis ad captum eorum ; nam vulgaribus vocibus uti ad instructionem simplicium non debet videri vile nimis et abjectum...

Ecce Dominus Jesus ipse jubet parvulos ad se venire, illos amplectitur, illis benedicit, eis manus imponit. Humilis ad parvulos et parvulus factus cum illis, satis ostendit illos quibus doctrina et benedictio spiritualis committitur, non debere parvulos dedignari.

Vide apostolos. Eximia hi sapientia repleti, nihilominus cum rudibus agunt, cum vilibus conversantur illisque se aptant, omnibus omnia facti, ut omnes lucrifaciant. Sanctus Petrus apud Simonem coriarium in Joppe commoratur. Sanctus Paulus, angelis sapientia æqualis, manet apud eos qui sunt scenofactoriæ artis, hoc est tabernaculorum et pellium artifices. Et profecto apostoli orbem converterunt, non sublimibus concionibus, sed simplici et catechistico sermone, cum spiritus virtute... Factus est Petrus parvulus, qui vult omnes repuerascere, ut quasi modo geniti infantes lac sine dolo possint concupiscere et crescere in salutem. Similiter apostolus Paulus : *Facti sumus parvuli in medio vestrum*, inquit ad

Philippenses, *quasi si nutrix foveat filios suos.* Hoc ipsum imitati sunt et ad id alios invitant viri eminentes... Cancellarius Gerson, amplissimis honoribus non obstantibus, solebat parvulorum gregem ad se in ecclesiam advocare et erudire, scriptisque et exemplo suo alios ad idem invitare. Scripsit libellum *De pueris ad Christum trahendis*, ubi inter cetera in facti sui defensionem sic dicit: Adeo jam indignum videtur apud multos si quis ex theologis, aut famosus in litteris, vel ecclesiastica dignitate præditus ad hoc se opus inclinaret, præsertim circa parvulos, quod mihi in fabulam et improperium cesserit... O piissime Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos, quando tu, qui es Deus, usque ad castissimos puerorum amplexus brachia mansuetus inclinas atque circumligas? Da mihi aliquem qui spiritualis est, qui quærat, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quem totum repleverit caritas, humilitas et pietas, et nullum in eo locum inveniat vanitas et cupiditas, cujus conversatio in cœlis sit... et hæc intelliget. Sed dicunt occupationem meam in majoribus esse debere. Nescio prorsus si quidquam majus esse potest tuam animas ab ipsius inferni portis eri-

pere, et parvulorum animas plantare aut rigare, tamquam partem non indignam horti ecclesiastici. Sed asserunt me in prædicationibus publicis ista magnificentius operaturum. Id quidem forte pomposius, sed meo judicio non efficacius neque fructuosius. Nam quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Venite ergo ad me, parvuli ; ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis. Sic angelos nostros vicissim ædificabimus. Hactenus Gerson.

Liceat mihi exemplum addere domesticum ad ea quæ hic refert Marchantius. Voluit sanctus Ignatius suos alumnos, socios Jesu, esse omnes ad eruditionem christianam parvulorum et rudium paratissimos, non exceptis professis et domorum superioribus, et curavit ut voto publico professi se ad hoc obstringerent.

*
* *

Hæc consideratio de christiana parvulorum et rudium instructione singularem accipit vim ex Litteris Encyclicis quas summus Pontifex Pius X ad omnes qui in Ecclesia Dei curam habent animarum dedit, hoc anno 1905, mense aprili. Optandum est ut hæc admirabilis Constitutio, tanti momenti tantæque auctoritatis, jugiter ante

oculos mentis tuæ obversetur, o sacerdos, utpote tibi veri concionatoris catholici, qualis hodierno nostro tempore esse debet, exhibens normam.

Utens suprema sua auctoritate, sapientissimus Pontifex ea quæ sequuntur in diœcesibus universis orbis catholici observanda et exsequenda constituit districteque mandat.

« I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, *diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horæ spatium* pueros et puellas de iis quæ quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

« II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis rite suscipienda præparent, continenti per dies plures instructione.

« III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimæ, atque aliis si opus erit diebus post festa paschalia, aptis præceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

« IV. In omnibus et singulis parœciis *consociatio canonice instituatur* cui vulgo nomen « Congregatio doctrinæ christianæ. »

Ea parochi, præsertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adjutores in Catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriæ Dei, tum ad lucrandas indulgentias quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

« V. Majoribus in urbibus, inque iis præcipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, *scholæ religionis* fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitæque christianæ institutis juventutem quæ publicas scholas celebrat ubi religiosæ rei mentio nulla injicitur.

« VI. Quoniam vero, hac præsertim tempestate, grandior ætas non secus ac puerilis religiosa eget institutione, parochi universi ceterique animarum curam gerentes, præter consuetam homiliam de Evangelio quæ festis diebus in parochiali sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illâ tantum excepta qua pueri erudiuntur, *catechesim ad fideles* instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent, quæ de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de præceptis Ecclesiæ. »

CAPUT OCTAVUM. — Non esse desperandum si quando exiguus appareat concionum fructus.

ONNULLIS accidit concionatoribus ut fructus concionis exspectationi non respondeat. Causa esse potest vel quia, licet dicant bona, non dicunt ea bene, vel quia, licet dicant bene, non dicunt bona, vel quia neque bona dicunt neque bene. In omnibus his casibus sibimet imputare debet concionator quod non prospere res gesta fuerit.

Sed Deus ipse identidem permittit ut concionator, licet polleat ingenio, doctrina, eloquentia, et licet congruam adhibuerit præparationem, tamen nonnisi exiguum laboris fructum obtineat. Quod si hoc tibi evenerit, o sacerdos, cave ne animum despondeas. Attende illud sancti Augustini, lib. I contra Cresconium, cap. 8 : « Sicut malignus suasor peccati, etiam si non persuaserit, merito poenam deceptionis incurrit, ita fidelis justitiæ prædicator, etiam si ab omnibus respuatur, absit ut apud Deum sui officii mercede non fruatur. »

Sunt multæ rationes, quas tangit s. Joan-

nes Chrysostomus ob quas non oportet facile animo dejici. Vix contingit quin saltem aliquis ex auditoribus fructum faciat, nec parvi æstimandum est, si vel unum lucremur. Vix fieri potest ut sermo vacet omni fructu ; quia et illi ipsi qui ad peccata redeunt, cum aliquo timore et non cum tanta libertate id faciunt. Ulterius, si non prodest sermo malis, bonos tamen in bonis confirmat propositis. Denique, si secunda vel tertia vice non persuades, forsitan quarta aut quinta id facies. Piscator licet totum pene diem in vacuum laborarit, nihil per rete attrahens, quandoque sub noctem piscem quæsitum involvit. Sic et venator diu perseverat, et tandem prædam capit quæ sæpius effugerat. Ideo monet Apostolus : *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina.* Id ergo agendum est, etiamsi difficiles et duri sint auditores : exemplo Domini, qui peccatores continue monet, docet, hortatur, exspectat in omni patientia et longanimitate. Exemplo etiam medici, qui convicia et ineptias phrenetici tolerat, nec de ægritudine desperat. Et porro cum omnis fructus verbi divini ab ipso Deo pendeat, recte ait sanctus Bernardus, lib. IV de *Consideratione* : « Fac tu quod tuum est, nam Deus quod suum

est curabit. Planta, riga : et tuas implevisti partes. Sane incrementum ubi voluerit, dabit Deus ; ubi forte noluerit, tibi deperit nihil. Medici est medicamenta adhibere : non est in medico semper relevetur ut æger. »

Imitare, o sacerdos, divinum tuum exemplar Jesum, qui et ipse cognovit successus malos non paucos, Quid in hoc casu faciebat ? Malos successus æquanimiter ferebat. Quoties frustra in templo, in compitis, in domibus, in campis, in desertis ad multitudinem copiosam prædicavit et docuit, et quam modicus tantis laboribus fructus respondit ! Eos tamen labores non minori affectu expetiit. Sic et tu age ; ministerium tuum imple. Curam exigeris, non curationem.

Nec frustra laboras : nam si minus proximo, at certe tibi et gloriæ Dei servis.

Sæpe, in omni eventu, sive prospero sive adverso, exclama ex toto corde : O mi Deus, fiat in me, de me, per me, circa me, omnes meos et omnia mea, sanctissima voluntas tua, in omnibus et per omnia, semper et ubique, nunc et in æternum ! Amen.

CAPUT NONUM. — De vero fonte eloquentiæ sacerdotalis.

VERUS et inexhaustus fons sacræ eloquentiæ, o sacerdos, est ipsissimum Cor Jesu. — Hinc petenda lux, hinc mutuandæ flammæ ; hinc radii splendidissimi, hinc omnis vis persuadendi subjugandique animos quantumcumque rebelles.

Nonne sacratissimum Cor Jesu *fornax* est *ardens caritatis... virtutum omnium abyssus... in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis... fons vitæ et sanctitatis... fons omnis consolationis ?* Quam merito proinde dixit Seraphicus doctor Bonaventura : « Surge igitur, anima amica Christi ; vigilare non cesses ; ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris ! » Et quænam est illa anima amica Christi ? Nonne anima sacerdotalis ? Dicit enim Christus sacerdotibus : *Jam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos.* (Jo. xv, 15.) Ergo, o frater, appone os tuum lateri Jesu aperto, et ex eo affluet in animam tuam aqua saliens in vitam æternam.

Appones autem os tuum lateri Jesu, si

frequenter et seria mente revolvas amorem Jesu, ipsius dolores et vitam mysticam quam pro nobis ducit in sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.

Appones os tuum lateri Jesu, si jugiter et ex toto corde coram ipso protesteris te illum ex omnibus viribus tuis diligere, teque filiali affectu compati ipsius angustiis et mæroribus quos dum in terris agebat passus est, teque velle omni conatu, pro tenuitate, opprobria quibus in Eucharistia appetitur, laudibus tuis compensare.

Tandem appones os tuum lateri Jesu, si ardentibus precibus, sanctis gemitibus et frequenti ad ostium Cordis ejus pulsatione satagas in animam tuam attrahere cœlestes favores quos veris suis adoratoribus promittere dignatus est Dominus.

Non sine fructu imitaberis pium quemdam sacerdotem qui identidem instituebat *meditationem de sacratissimo Corde Jesu* ea forma quæ ipsi aperiret viam ad considerationes operario evangelico utilissimas.

« Ante omnia alloquor ferventissima supplicatione B. V. Mariam. O Mater pulchræ dilectionis, revela mihi aliquid de amore et de doloribus Cordis Jesu, et doce me illud amare tecum et consolari...

Pro præludio videbo mente Jesum talem

qualem se conspiciendum exhibuit beatæ Margaritæ Mariæ, audiamque eum dicentem mihi : Ecce cor quod tantopere dilexit homines ; et en, pro tanto amore non accipio ab illis nisi injurias, contemptum et ingratitudinem. Tu saltem cor meum consolare omni quo potes modo.

Sequentia attente et cum filiali affectu considerabo :

1° Jesus diligit nos amore infinito.

2° Jesus vehementer exoptat amari a nobis.

3° Valde ingratum accidit Jesu quod quis ipsum tam amantem non redamet.

4° Gaudet Jesus cum invenit *amicos*, qui Cor ipsius consolatione aliqua afficere gestiunt ; — *apostolos*, qui omni quo possunt modo strenue laborant ut Cor ipsius ab omnibus cognoscatur et ab omnibus diligatur ; — *animas heroicas*, quæ non dubitant se Cordi ipsius offerre in victimas, eo fine ut injuriæ Cordi ipsius illatæ aliquam reparationem accipiant et quam plurimi peccatores conversionis gratiam obtineant.

His probe consideratis, memetipsum explorabo, ut sciam in quonam statu inveniatur anima mea erga Jesum, Dominum meum, amicum meum. An eum diligo tan-

tum quantum hoc a me exspectare poterat post tot beneficia? An eum diligo plus quam alii fideles qui minus acceperunt, solent eum diligere? *Diligis me plus his?* (Jo. XXI, 15.) Nonne ego Cor ipsius aliqua tristitia affeci? Volo hic et nunc Jesum consolatione afficere... Volo ipsius sitim amoris explere... Ast vix audeo ipsi offerre aquam cordis mei lutosam, sordibus plenam. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem, juxta portam!* exclamavit aliquando David, quem vehementer torquebat sitis. O Jesu, amor purissimus cordis Matris tuæ Mariæ est aqua limpidissima. Quam sæpe sitim tuam infantis sedavit! Et profecto illam bibisti illa nocte in Bethleem, cum primum expertum est Cor tuum quam frigide corda hominum flammis tui amoris responsura forent. Equidem hoc Matris tuæ Cor purissimum tibi offero, o Jesu. Offero tibi ineffabilem ipsius teneritudinem, offero compassionem immensam, offero obsequia delicatissima.

O Maria, supple apud Filium tuum exiguitatem meam, et obtine mihi ut me accipere dignetur in amicum, in consolatorem, in apostolum, in victimam.

Conclusio hujus meditationis: firmum propositum vitandi hac die quidquid intel-

lexero Cordi Jesu displiciturum. — In fine obsecrabo hoc Cor amabilissimum, per amorem ipsius et dolores ejus, ut in me perficiat admirabilia sua promissa, omniumque hominum corda ad se trahere dignetur. »

Assuesce, o sacerdos, tales meditationes instituendo, frequentare scholam Cordis Jesu, et mirabilia doceberis. Revoca frequenter in memoriam hæc suavissima Jesu verba : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* (Matth. XI, 25.)

LIBER TERTIUS

CONFESSIONALE

RES magna est in religione catholica *Confessionale*. Est enim Confessionale *tribunal* simul et *schola : tribunal* in quo judici legitimo exponuntur a reo delicta, ut de eis obtineat absolutionem ; *schola* in qua, nomine divini Magistri, docet sacerdos pœnitentem scitu necessaria quibus ducere queat vitam vere christianam et pervenire ad summam sanctitatem. Possumus igitur distinguere in sacerdote veluti duplicem personam, personam *confessarii* et personam *directoris*.

Juxta hanc personarum distinctionem, duabus constabit hic liber partibus, quarum prima refertur ad munus confessarii, altera ad munus directoris.

PRIMA PARS : MUNUS CONFESSARII

CAPUT PRIMUM. — De persona confessarii.

IAM consideravimus capite IV libri primi quædam generalia de mira potestate sacerdotis in corpus Christi mysticum, id est in membra Ecclesiæ : jam considerare oportet magis in specie *qualis debeat esse* ipse confessarius ut munere suo digne et competenter fungatur.

1. Quisquis suscipit munus confessarii, sibi probe persuadeat se particulariter adstringi, ad ducendum vitam sanctam et irreprehensibilem, ut alios et verbo et exemplo docere possit, seque debere peculiaribus virtutibus et qualitatibus præditum esse ut sui muneris partes omnes debite explere valeat.

2. Necesse est ut *magno* ad hoc munus feratur *affectu*, juxta exemplum sanctorum sacerdotum qui omni tempore et ubique terrarum in hoc munere se mirabiles præbuere. Et re quidem vera quodnam aliud

ministerium tam dulce est, tam jucundum, quam posse animas liberare, eis claudere infernum, aperire cœlum, gloriam Deo dare, gaudium afferre angelis, consolari afflictos, profligare diabolum, sibimetipsi parare segetem meritorum abundantissimam, cum in confessionali exerceatur patientia obscura, oculis hominum abscondita ?

3. Tenetur præterea confessarius *magnam* præ se ferre *alacritatem* ad excipiendas confessiones ; ita ut, cum ad audiendas confessiones vocatus fuerit, se *promptum* semper præbeat, nec aliquem audiri desiderantem verbis aut nutu aspere unquam repellat. Immo, iis diebus quibus solent fideles ad sacramenta accedere, *tempestive* se in ecclesia paratum exhibeat, ne forte aliqui, confessarium vocare metuentes, confessiones in aliud tempus differant, vel cum impatientia exspectent.

4. Consideret sacerdos quid sit confessarius ; — nempe

a) Doctor est : ergo habeat scientiam ad docenda quæ sunt scitu necessaria, pro personarum varietate.

b) Medicus est : ergo habeat peritiam cognoscendi morbos ; cognoscat remedia, tum sanativa, tum præservativa.

c) Judex est : ergo habeat integritatem

absque acceptione personarum, et judicet gravitatem delicti ; remittat vel retineat judicialiter.

d) Pater est : ergo habeat caritatem, ut condonare sciat et filium prodigum recipere in gratiam.

e) Vicarius Christi est, scilicet personam Christi agit. Jam vero qualis erat Christus erga peccatores *verbis ?* Non est opus valentibus medicus, aiebat (Matth. IX, 12), sed male habentibus, et : Non veni vocare justos, sed peccatores. (Ibid.) *Operibus ?* Quem unquam peccatorem ad se sine animo pervicaci venientem, abjecit vel duro modo tractavit ?

Ergo induere debet confessarius viscera misericordiæ. Quam recte nos exhibet sanctus Ambrosius tamquam *Vicarios amoris Christi*, dicens in medio libri I de Pœnitentia : « Vult Dominus plurimum posse discipulos suos. Vult a servulis suis ea fieri in nomine suo quæ faciebat ipse positus in terris. »

Itaque ante omnia, o sacerdos, tibi persuasum sit sedere te in confessionali ad salvandam animam quam præ manibus habes, optimo quo poteris modo. Cum simplicitate vide quid Christus Dominus, quid apostoli in hoc vel in illo casu fecissent, si

hunc peccatorem tractandum habuissent. Ergo accede ad hoc præclarum et sanctissimum munus *libenter*, *confidenter*, cum magno *zelo*, cum *patientia* vere angelica, cum maxima *benignitate* et paterna *gravitate*.

5. Ut vitet confessarius inutiles tristitias et molestias, conetur efficere

a) Ut ducatur semper spiritu fidei. Hoc quidem necessarium est ut sit potens, sancte liber ab omni respectu humano, et ut non cadat in laqueum diaboli.

b) Ut conservet unionem cum Deo, cum angelis et sanctis.

c) Ut humilis sit in successu et fortis in re adversa.

d) Ut sit patiens præsertim et imperturbatus, si fuerit fatigatio virium, inconstantia pœnitentium, ingratus animus pro labore impenso. Hæc omnia patienter perferat; et propter ipsius patientiam dabit Deus gratiam conversionis animabus quas alio modo jam adjuvare non poterit.

6. Sit inter confessarios *sancta æmulatio*; nunquam sit *zelotypia*.

***

Utinam nobis familiaris sit sequens sancti Ambrosii pulcherrima ad Deum precatio,

quæ legitur libro II de Pœnitentia, versus finem.

Serva, Domine, munus tuum ; custodi donum quod contulisti etiam refugienti. Ego enim sciebam quod non eram dignus vocari sacerdos, quoniam dederam me seculo huic ; sed gratia tua sum quod sum. Et sum quidem minimus omnium sacerdotum, et infimus merito. Tamen quia et ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere ; ne quem perditum vocasti ad sacerdotium, eum sacerdotem perire patiaris.

Ac primum da ut condolere norim peccantibus, affectu intimo. Hæc enim summa virtus, quia scriptum est, *Et non gaudebis super filios Juda in die perditionis eorum, et ne magna loquaris in die tribulationis eorum* (Abdi. 12) ; sed quotiescumque peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar. Nec superbe increpem, sed lugeam et defleam ; ut dum alium fleo, me ipsum defleam, dicens : *Justificata est magis Thamar quam ego.* (Gen. XXXVIII, 26.)

Fortasse adolescentula lapsa sit ; occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta ac præcipitata sit. Peccamus et seniores. Repugnat in nobis lex hujus carnis legi mentis nostræ, et captivos nos tra-

hit in peccatum, ut faciamus quod nolumus. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi jam nulla. Illa enim debet discere, nos docere. *Ergo justificata est magis Thamar quam ego.*

Incusamus alicujus avaritiam : recordemur si nihil ipsi avare fecimus. Et si fecimus, quoniam radix est malorum avaritia et tamquam sub terra occulte in nostro serpit corpore, dicamus singuli : *Justificata est magis Thamar quam ego.*

Si commoti fuerimus in quemquam graviter, leviorem causam laicus habet quam sacerdos, eo quod commotus egerit aliquid ; retractemus nobiscum, et dicamus : Justificatus est magis iste qui commotionis arguitur, quam ego. Hæc enim si dicamus, ipsi nobis cavemus ne dicat nobis Dominus Jesus aut quisquam de discipulis ejus : Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem quæ in oculo tuo est non vides. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Non ergo erubescamus dicere graviorem culpam nostram esse quam ejus quem arguendum putamus, quia dixit hoc Judas qui arguebat Thamar, et recordatus suam ipse culpam, ait : *Justificata est magis Thamar quam ego.* »

CAPUT SECUNDUM. — De modo excipiendi confessiones.

IN hoc capite proponuntur piis confessariis monita quædam practica quarum utilitatem et opportunitatem multiplex et diutina comprobavit experientia.

§ 1. — Quædam vitanda.

1. Caveto a turbatione qualicumque. Omnis turbatio in hoc ministerio inutilis est ac nociva. Si occurrerit aliquid extraordinarii, ora, invoca sanctissima Nomina...

2. Nunquam ostendas te percelli miratione... moveri impatientia... affici tædio... Inde causam habere possunt confessiones malæ.

3. Ne facile interrumpas pœnitentem. Si prævideatur longam fore confessionem, interruptiones quæ necessariæ putantur, ad interrogandum vel ad animos addendum, breves sint.

4. Ne loquaris de obligationibus nisi in fine, quando jam sunt bene dispositi.

5. Prudens esto quoad interrogationes. *a)* Non debes interrogare circa omnia

peccata quæ quis accusat. *b)* Non debes interrogare, nisi habeas justum motivum dubitandi num pœnitens hoc peccatum vel illud non commiserit, vel an non omittat aliquid ex rubore quod dicere debet... *c)* Interroga juxta capacitatem confitentis. *d) Circa sextum præceptum* interroga *parce, caute, caste.* Nunquam interroges de pollutione, nisi liqueat tibi pœnitentem nosse hoc peccatum. Circa usum et abusum matrimonii, ne prior interroga, nisi ob gravem causam : si interrogeris, responde breviter. Cum puero, interroga primum utrum habuerit malas cogitationes. Si respondeat affirmative, interroga quales fuerint, et ex responsione scies num cognoscat peccatum impurum an non. *e) Quoad verba turpia :* examina utrum prolata fuerint ex levitate, an ex animo libidinoso et venereo. Si primum, plerumque venialia sunt, si non sint valde obscœna. Vide num dicta fuerint in præsentia parvulorum, vel cum periculo spiritualis ruinæ, propriæ vel aliorum. Si dicantur inter conjugatos, minus est periculum. Deterrendi sunt tamen a talibus, quia per hæc facile imaginatio fœdatur, et facile etiam oritur scandalum. *f) Quoad procantes :* An in ordine ad matrimonium vel non ? Si in ordine ad matrimonium, a quo

tempore jam durat procatio? Quomodo fiat... An soli... Quid ibi fiat... Monita danda. Simus difficiles! *g) Quoad adeuntes lupanaria:* An sæpe... Quid ibi fecerint... deterrendi fœditate talium domuum et periculo morbi et mortis... *h) Quoad blasphemantes:* An parvæ blasphemiæ vel magnæ? Si magnæ, quales? Et doceantur. Rogandus numerus, et ostendendum eis quomodo imprecentur maledictionem in suam familiam... Si filii tui tibi talia dicerent!... In missione, tales absolvendi sunt. *i) Quoad personas afflictas:* Cum paterno affectu eas consolare solidis motivis... sed si sint mulieres, cave a nimia teneritudine affectus et verborum. Sit gravitas paterna! *k) Quoad scrupulosos.* Si scrupuli veniant ex probatione Dei, suaviter tractandi sunt et cum patientia; cum auctoritate tamen. Si scrupuli oriantur ex superbia, humiliatione indigent, et firmitas adhibenda in modo eos tractandi. *l) Quoad mulieres matrimonio junctas quæ confitentur quædam relate ad matrimonium:* α) Omnes confessarii scire debent quid responderit Congregatio Romana relate ad onanismum, qui casus est frequentissimus nostro tempore. β) Si ipsæ non suspicantur peccatum mortale, caveat confessarius ne pronunciet

crudo modo adfuisse peccatum mortale... ne forte trahat ad peccatum formale et certum id quod erat solummodo peccatum materiale et dubium. γ) Generatim quidquid favet generationi, legitimum est... Generatim quidquid generationis est impeditivum, peccatum mortale est... Generatim quidquid nimis sensuale est, indifferens tamen relate ad generationem, veniale est.

m) Quoad male dispositos :

α) Si commode possunt remitti, disponantur ut ipsi fateantur melius esse se remitti... Suadeatur aliqua novena... promittantur preces... imponantur quædam conditiones ... Denique non remittantur nisi cum magna benignitate, et non cum ira.

β) Si deberent cito absolvi, v. g. si statim matrimonium ineundum est vel si agitur de peregrino, tunc vel fiat precatio ad Deum in ipso confessionali ab utroque simul, vel remittatur pro semi-hora vel hora, ut interea oret coram statua B. V. M., vel coram imagine SS. Cordis, vel ante altare S. Joseph.

§ 2. — Exhortatio quomodo facienda.

Exhortatio sit *brevis*, *solida*, *plena unctione*. Bonum est procedere per interrogatiunculas, ad provocandos affectus quos

volumus inculcare... Sic vitatur distractio pœnitentis... Bonum est petere utrum nihil sit quod conscientiam turbet vel inquietam reddat.

§ 3. — **Pœnitentia injungenda.**

Principium I. Pœnitentiæ debent esse simul vindicativæ et medicinales, seu salutares... proportionatæ gravitati delictorum, infirmitati confitentium, immo et dispositioni. Proinde si magna contritio, minor pœnitentia imponi potest. Jam vero cum Missio habeat se Jubilæi instar, et melius tunc rustici disponantur, teste Leone XII, minores pœnitentiæ impossi possunt tempore Missionis.

Principium II. Pro gravibus graves pœnitentiæ imponendæ, pro levibus leves. Atqui generatim ut gravis habetur ea precatio quæ respondet parvæ alicui horæ breviarii. Graves proinde sunt : Rosarium, Psalmi pœnitentiales, litaniæ omnium sanctorum. Item auditio Missæ, jejunium, Via crucis...

Leves sunt : 5 Pater et Ave, litaniæ Nominis Jesu, — actus fidei, spei, caritatis et contritionis.

Principium III. Juxta gravissimorum theologorum doctrinam, ipsa etiam expe-

rientia confirmatam, pœnitentiæ *diuturnæ*, *implicatæ et difficiles* minime salutares censentur.

Principium IV. Pro ægrotis et aliquando pro pueris, melius est parvam imponere pœnitentiam, quæ ante absolutionem, in ipso actu confessionis, perficiatur.

CAPUT TERTIUM. — De confessione parvulorum.

STATUTA diœcesis Gandavensis hæc habent de confessione parvulorum, titulo VI, cap. 7 : « Quater in anno, circa Quatuor tempora, a parochis advocentur parvuli ad confessionem, eo modo eaque industria ut accedentes benigne excipi, paterne audiri et plurimum juvari valeant... Jam a prima confessione edoceantur parvuli peccata sua exponere secundum ordinem Decalogi, exprimendo præceptum a se violatum. »

Sanctus vero Alphonsus in *Praxi confessarii*, n. 90:« Cum pueris adhibere debet (confessarius) omnem caritatem, et modos suaviores quantum fieri potest. Primo eos interrogare debet an sciant res fidei (nisi de hac re aliunde sufficienter constet) ; et si nesciant, oportet eos patienter instruere pro tunc, si tempus adest, vel eos mittere ad alium ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem. Cum autem aget de confessione, in principio curare debet ut pueri ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt ; et postea fieri illis poterunt sequentes interrogationes : 1. An tacuerint

aliquod peccatum ob verecundiam. 2. An blasphemaverint... 3. An omiserint... audire Missam... 4. An parentibus fuerint inobedientes, aut eis irreverentiam irrogaverint... 5. An aliquod turpe peccatum patraverint. Sed in hac materia confessarius sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longe, et verbis generalibus. Et prius an dixerint mala verba ; an jocati fuerint cum aliis pueris aut puellis, et si jocos illos clam exercuerint. Deinde interroget an commiserint res turpes. Multoties, etiam si pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, verbi gratia : Et nunc dic mihi, quoties hoc fecisti ? Quinquies ? decies ?... Sed caveat ab inquirendo a pueris an adfuerit seminis effusio. Cum his enim melius est deesse in integritate materiali confessionis quam esse causam ut apprehendant quæ nondum noverunt vel ponantur in curiositate addiscendi... 6. Interroget an commiserint furta, vel an damnum attulerint prædiis alienis, bestiis, aut alio modo. 7. An alicui detraxerint. »

N. 91. « Quod autem pertinet ad absolutionem his pueris impertiendam, magna requiritur attentio. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis jam habeant, prout si distincte confiteantur vel adæquate

interrogationibus respondeant, et appareat quod ipsi jam comprehendant cum peccato offendisse Deum et meruisse infernum, tunc, si satis videantur dispositi, absolvantur. At si in peccatis lethalibus sint recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti... Si autem dubium sit an puer perfectum usum rationis habeat, prout si ille in actu confessionis non maneret compositus, sed oculos in gyrum ageret, manibus jocaretur, impertinentia interponeret... absolvi [potest] sub conditione... Et probabiliter plures doctores dicunt quod pueri isti dubie dispositi absolvi possunt, saltem post duos vel tres menses, sub conditione, licet sola venialia afferrent... Pœnitentia autem his pueris injungenda levis sit, quantum fieri potest, et curandum quod illa ab ipsis quantocius impleatur. »

Sat discretionis inesse censetur in iis qui apprehendunt malum esse mendacium aut inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt, etc. Hinc pastores animarum tenentur puerulos, etiam septennes, ad confessionem sensim præparare et eos in quibus animadvertunt *mortale peccatum etiam dubium* absolvere saltem intra annum, vi Concilii Lateranensis. In dubio de discretione, absolvantur sub con-

ditione. Graviter igitur errant neque excusari possunt confessarii qui pueros sibi commissos nunquam ante primæ communionis ætatem absolvere volunt. (Ita ex sancto Alphonso, apud Gury-Ballerini, ubi de tertio præcepto Ecclesiæ.) Immo vult Ballerini ut absolvantur pueruli, etiam si nullum confiteantur peccatum mortale etiam dubium, sed quædam levia tantum ; et affert hanc rationem, quod non debent privari gratia sacramenti quam confert sacramentum ex opere operato. (Ibidem.)

Ceterum caveat confessarius ne *nimius* sit in examinando pueros, et ne *indiscrete* interrogando causa fiat cur pueri horrorem confessionis concipiant (1).

1. Hæc ultima verba sunt Patris Joannis Reuter, S. J., in egregio opere cui titulus *Neo-confessarius practice instructus*, quod edidit ipse circa annum 1750, quodque recens noviter post multas alias editiones excudi fecit et toti clero commendavit auctor in re morali versatissimus, Pater Augustinus Lehmkuhl, S. J. — Addit periodicum italicum *La Civiltà cattolica* (2 feb. 1906), hoc opus Patris Reuter videri esse e numero illorum librorum qui non veterascunt.

CAPUT QUARTUM. — De confessione rudium.

CIRCA hanc materiam sequentia tradit Reuter in modo laudato opere.

QUÆSTIO 1ª. — QUOMODO SINT EXAMINANDI.

Resp. Si exposuerint quæ in conscientiæ examine occurrerunt, videaturque examen, ut ab ejusmodi sæpe fit, non satis accurate institutum, examinentur percurrendo præcepta Dei et Ecclesiæ, eorumque occupationes et occasiones, ut magis videbitur convenire. Verbi gratia, 1° de peccatis internis, seu cordis. An turpibus cogitationibus dederint locum. An odium contra aliquem faverint, alicui inviderint, malum optaverint, de eo eveniente gavisi sint. 2° De peccatis oris. An non blasphemaverint, juraverint, maledixerint, detraxerint, vel de proximis male locuti sint, defectum objecerint, rixati sint. Et hæc quomodo, quibus verbis... Rudes enim confundunt blasphemiam cum imprecatione, et hanc cum juramento; immo, si diabolum nominaverint, aut alium ignominioso nomine compellaverint, dicunt se maledixisse. Si

vere imprecatus fuerit, exponat quibus, an rebus inanimatis, an pecoribus, an hominibus. Quo animo ? An voluisset ut eveniret ? An in faciem, an coram aliis ; an multis, an uni ? Si ex animo, quæ mala ? Quamquam hoc necesse non sit, si in mala tetenderit præcise sub ratione communi mali, ut sæpe fit ; nisi tamen illa mala voluisset inferre, si potuisset. Ratio horum est, quia diversimode peccatur diris imprecationibus... Si juraverint, an falso, an cum causa, quomodo? An intenderint Deum vocare in testem. 3° De peccatis operis, et omissionis. Verbi gratia, an die festo laboraverint serviliter, vel Missam neglexerint, ad eam sero venerint vel exposuerint se periculo sero veniendi : hoc enim faciendo peccant, etsi dein Missæ intersint. An se inebriaverint plene vel semiplene, et quid tunc egerint. An ista futura præviderint, vel timuerint. An nulli damnum causarint, nullum defraudarint, in aliena silva ligna cum damno exciderint, vel subduxerint, pecora in aliena pascua duxerint, nihil turpe egerint, etc. Si quis ad omnia nihil sciat respondere nisi quod juraverit vel pecoribus maledixerit, examinetur de scitu necessariis : est enim prudens suspicio crassæ ignorantiæ.

QUÆSTIO 2ª. — QUOMODO INSTRUENDI RUDES ET SOLANDI PAUPERES.

Resp. Moneri possunt 1° ut salutem animæ suæ omnibus temporalibus præferant, cogitent quandoque brevitatem vitæ, nihilque sibi postmodum quidquam profuturum, nisi servivisse Deo. 2° Ut memores exempli Christi Domini, qui in laboribus fuit a juventute sua, difficultates suas et labores recta intentione perferant et perficiant. Cogitent magnam mercedem se manere : Dei voluntatem esse, qui in illo statu illos collocavit, ut ita patiantur et agant, animosque suos a terrenis abstrahant et salutem æternam quærant ; sanctitatem consistere in eo ut quis statui suo convenienter ex voluntate Dei vivat ; majorem esse non qui ditior aut in majoribus est deliciis vel honoribus, sed qui melius voluntati et beneplacito Dei se conformat. 3° Ut non nimium differant confessionem et sacram communionem, quia hæc sacramenta digne suscepta semper augent gratiam sanctificantem ; quæ quo major erit in aliquo in fine vitæ, eo major erit ejus in cœlo gloria : hujus enim semen et mensura est gratia. 4° Si quis paupertatem queratur, confessarius soletur eum et excitet ad pa-

tientiam et conformitatem voluntatis suæ cum divina, dicendo verbi gratia : Non difficile fuit Deo facere te divitem ; amat te, et voluit esse pauperem, ne per abusum divitiarum esses æternum miser. Nescimus quid magis nobis expediat. Ipsi cura est de nobis : jacta cogitatum tuum in illum, et ipse te enutriet. Pascit volucres cœli et corvis ad se clamantibus escam dat ; nec tibi, qui pluris es, deerit, si ei servias. Considera Salvatorem tuum qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut ait Apostolus, 2 Cor. VIII. Pater noster cœlestis illi vult nos conformes fieri in hac mortali vita, ut æternum cum illo gaudeamus in cœlis. Age gratias quod te voluerit conformari pauperi Jesu. Multi in cœlo non essent, si non fuissent pauperes ; multi non essent jam ardentes in inferno, si divites, si principes, si reges non fuissent. Difficile est divitem intrare in regnum cœlorum, uti nos docet Christus, Matth. XIX. Hinc væ ! dicit divitibus. At oculi ejus in pauperem respiciunt. Ipsi derelictus est pauper. Paupertas igitur favor est : et hinc tot Sancti, abjectis mundanis omnibus, sponte elegerunt paupertatem, ut Christo se conformarent ; cui quo quis conformior est, eo major est. Vita hic nostra comœdia

est : in hac unus sustinet personam regis, alter aulici, alter pauperis mendici. Qui optime sustinet personam suam, magis laudatur. Tu age personam tuam bene, et magnus eris apud Deum, qui personas distribuit. Considera quam benigne et clementer hactenus tecum egerit Deus : quam te ipsi non servientem tulerit patienter, quam misericorditer a se fugientem receperit. An poterit tibi deesse, si ipsi te committas et illi obedias ? Petite, et accipietis. Dedit tibi Filium suum exemplar, magistrum, redemptorem ; omnia ejus et ipsum voluit esse tuum : quomodo minus negabit, qui quod plus est, tam paterne et non rogatus dedit ? Numquid oblivisci potest mulier infantem suum ? Quod si illa oblita fuerit, ego tui non obliviscar, dicit Deus, Isaiæ XLIX. Hæc serviunt etiam ad erigendos alios desolatos. Dives est, qui veras suas divitias numerare et consumere non potest: talis est qui Deum habet.

QUÆSTIO 3ª. — QUOMODO RUDES SPECIALITER DISPONENDI AD DOLOREM DE PECCATIS.

Resp. Post peccata uti oportet exposita, expedit ut rudes jubeantur elicere actum fidei, spei, caritatis et doloris (1) cum pro-

1. Similia suadet, allegando verba sancti Leonardi a

posito emendandi : sic enim illos actus discent frequentare. Si deficiant, præeat confessarius, et doceat, nec omittat unquam (nisi appareant satis instructi et ipsi, finita peccatorum confessione vel ante, eliciant dolorem cum proposito) ipsos ad illum excitare, idque modo illorum capacitati accommodato, injiciendo illis timorem, proponendo brevitatem vitæ, mortem certam, horam incertam ; deinde judicium, et æternitatem felicem vel infelicem ; oblivionem illorum post mortem in animis omnium ; Dei beneficia amore salutis nostræ nobis collata ; desiderium ejus ut ipsi obsequentes salvemus animas nostras, et decretum æternum a se projiciendi eos qui desiderio ejus omnes salvare cupientis non volunt obtemperare. Demum summam Dei bonitatem, majestatem, misericordiam, suavitatem, sapientiam, pulchritudinem ; ideoque eum dignissimum esse omni amore possibili, multo magis exiguo nostro amore, cultu et obsequio ; quæ tamen liberalissimus Deus vult præmiis infinitis coronare. Immo ipse vult esse merces nostra magna nimis.

Portu Mauritio, sanctus Alphonsus de Ligorio in egregio suo opere cui titulus « Praxis confessarii, » initio capituli secundi.

His propositis, jubeantur ex corde elicere dolorem et propositum. Juvantur ejusmodi maxime, si illis proponatur apta similitudo, verbi gratia ducta a filio in patrem optimum rebelli, a servo contumaci contra dominum, ab ingrato in benefactorem, ab homine valde sollicito ne amittat hereditatem vel temporalia, vel ab amante suum patrem. Hoc vel simili modo : 1° Si pater aliquis amanter haberet filium, diu noctuque sollicitus de ejus felicitate, ejus errata modo dissimularet, modo clementer corrigeret, et nihil exspectaret ex obsequiis filii, nisi ut illi bene esset ; filius autem non vereretur patrem offendere, ejus honorem et æstimationem imminueret, in conspectu ejus eum inhonoraret, donis patris abuteretur in ejus contemptum, etc. : an talis filius non mereretur expelli domo paterna ? An non, si gutta ingenui sanguinis in ipso sit, merito erubesceret, et defleret ingratitudinem suam ? Et quid si post plura delicta in gratiam a patre sæpius fuisset receptus, et tamen iterum rediret ad priora ? An is auderet iterum in conspectum patris venire ? An non erubescere deberet ? An oculos aperire in conspectu ejus auderet ? Ecce ! tales nos sumus filii. Cogita quæ fecerit tibi Deus, cogita quoties te in gratiam pa-

terne receperit. Et non doleas quod iterum offenderis tu tam benignum patrem ! etc. 2° Si esset magnus dominus, a quo haberes omnia, et a quo omnia tua dependerent, qui pro exiguis obsequiis, quæ ei debes, vellet te facere heredem ingentium bonorum, intentaret autem et inferre tibi posset maximas pœnas, si debita ei obsequia negares ; hunc vero dominum offendisses inobedientia tua staresque in conspectu ejus, jamjam ad mortem condemnandus : nonne doleres de ingratitudine et offensa ? Ita. Nonne talis dominus est Deus, a quo vitam habes et omnia, qui paratus fuit hereditatem æternam omnium bonorum suorum tibi dare in cœlis et coheredem te facere unigeniti Filii sui ? Nonne hoc credis... An non ergo merito doleas quod Deum tam bonum, tam benignum, tam liberalem bonorum operum nostrorum remuneratorem, tam justum malorum vindicem, in se omni amore dignissimum, offenderis, a quo cœlum speras ?

Dic ergo corde quod ego verbis : Deus meus et Dominus meus, doleo quod unquam offenderim te, quem credo in natura unum, in personis trinum, creatorem omnium, remuneratorem bonorum operum et malorum vindicem justissimum ; qui, licet

toties a me sis offensus, paratus tamen es mihi ignoscere et gratiam ad salutem necessariam dare. A te, per merita Jesu Christi, Filii tui, pro me incarnati, passi et in cruce mortui, spero peccatorum meorum veniam et æternam beatitudinem, quia hæc pœnitentibus et tibi servire volentibus promisisti, fidelissimus et omnipotens Deus. Ex amore tui doleo ex toto corde quod te Dominum et Deum meum unquam offenderim et diabolo, tuo et meo hosti, serviverim. Statuo deinceps tibi soli servire et te nunquam amplius offendere. Da ad id uberem gratiam. Scis quod sine ea nihil possum.

3° Si quis patri tuo detraheret, eum inhonoraret, nonne ægre ferres ? Si quis ad mortem condemnatus, suo liberatori postea ingratus, cum ejus hoste conspiraret, nonne hoc facinus esset morte dignum ? Si filius venderet suam hereditatem teruncio, si paterfamilias traderet alteri domum suam pro levi gulæ delicio, nonne insaniæ essent arguendi ? Ecce hæc omnia cadunt in hominem qui Deum graviter offendit. Nonne Judæ scelus detestamur, qui Christum vendidit triginta argenteis ? An non insanum dicimus Esau, qui fratri suo Jacob pro edulio lentis vendidit primoge-

nita ? Ecce pejus facit qui gravi peccato Deum offendit. Vendit enim pro re nihili æternam in cœlis paratam sibi hereditatem; abdicat a se Christum, adhæret ejus hosti, ipsum ludibrio exponit, quasi tantus ejus in nos amor non mereretur obedientiam in re tantilla, et mereretur audiri diabolus qui nos odit et quærit perdere. Certe, si per tale quid admissum perdere deberes summam gravem pecuniæ, id non faceres, etc.

QUÆSTIO 4ª. — QUID AGENDUM, SI RUDIS HOMO NULLUM IN PARTICULARI PECCATUM CONFITEATUR ?

Resp. Si rudis, ut quandoque contingit, de nullo in particulari peccato se accuset, dicens : Nihil scio, sumus omnes peccatores ; examinetur ut pueri solent et rudes. Si nihil possit elici ab ultima confessione, interrogetur ex vita præterita, verbi gratia an nunquam sit mentitus in vita sua, nunquam parentes offenderit, nunquam fuerit iratus et impatiens, nunquam traduxerit proximum, sacrum neglexerit aut negligenter audiverit. Si nihil fateatur, interrogetur scienda necessitate medii; prudens enim est suspicio quod ista ignoret. Si nesciat, nec possit modo instrui, dimittatur, monitus ut non communicet, curet se instrui et proxime redeat, aut, si non possit,

adeat alium et indicet illi ut se instruat; interim expendat quibus offenderit Deum: an non cogitationibus, verbis, operibus, domi, in templo, hac illave occasione.

Si sciat scitu necessaria, aut si eadem nesciens instrui tamen in præsenti possit, eliciantur cum illo actus fidei, spei, caritatis, doloris et propositi, uti jam et de pueris dixi, illum eo deducendo ut doleat de omnibus quibus unquam Deum offendit, quodque hactenus fuerit tam negligens in negotio animæ suæ. Si doleat et dispositus appareat diuque non sit confessus, verbi gratia per medium annum et videatur non rediturus, monendus est ut majorem suæ animæ curam gerat, et absolvi potest. Certum est enim quod ad validam absolutionem, quando aliter pœnitens se accusare non potest, sufficit quod signis vel verbis se fateatur peccatorem. Et quamvis extra casum necessitatis vel impotentiæ non liceat absolvere eum qui se accusat de venialibus in genere tantum, verbi gratia dicendo: Sæpe venialiter peccavi, eo quod, dum potest, judicium debeat esse ordinatum, tale autem non sit nisi exprimatur peccatum in specie determinatum, id tamen certum videtur quod in præsenti casu etiam licite absolvi possit, tum quia est quædam

necessitas et impotentia, tum quia, si confiteatur se peccatorem, certus est confessarius quod in vita sit aliquando mentitus, fuerit negligens in divinis, parentes, si cum iis vixerit ratione utens, offenderit, verbo proximum læserit; quis enim est qui talia non admiserit ? *(Lugo, et alii.)* Immo, si talis diceret : Fui iratus, sed fuit causa iræ ; fui distractus in oratione, sed non potui evitare, et interrogatus an excesserit in ira, an negligens fuerit in excludendis distractionibus, affirmaret, jam haberetur explicite peccatum in specie.

Quod si quis ita stupidus et hebes reperiretur ut ne apprehendere quidem possit necessaria necessitate medii, conetur confessarius intelligere an hebetudo proveniat ex peccatis quibusdam quæ mentem obcæcent, ut sunt luxuria et ebrietas, an vero ex naturali complexione. Si primum, differatur absolutio, et prius abducatur a peccatis ; quia frustranea erit instructio, durante impetu passionum. Si secundum, sitque pœnitens bonæ voluntatis et innocentis vitæ, inducatur ad eliciendum actus fidei, spei et dilectionis Dei apposite ad ejus capacitatem, et sic dispositus absolvatur sub conditione, permittaturque accedere ad communionem. Quod hebetudo proveniat ex

naturali complexione, indicium est si ad temporalia quoque hebes sit, si non male vivat bonæque sit voluntatis. Si autem ad temporalia sit solers et industrius, suspicio est quod hebetudo proveniat a peccatis. Unde discrete erit examinandus de materia luxuriæ. Ita P. La Croix., lib. 6, part. 3, n. 1809. Deinde si ita hebes foret ut nullam cognitionem de mysteriis fidei formare posset, fatuo vel infanti comparandus videtur. Ita Tannerus et Gobat. Denique si hebetudo foret ex senectute, senexque antea sciverit necessaria necessitate medii, absolvi poterit et communicari, etsi non ita clare jam videatur ista credere. Si vero ista nesciverit, laborandum est ut cito addiscat, ne crescente senio decrescat magis capacitas. Videri potest Lugo...

QUÆSTIO 5ª. — QUÆ PŒNITENTIA RUDIBUS INJUNGENDA, PRÆSERTIM ASSUETIS MALEDICENDO VEL JURANDO ?

Resp. Rusticis et plebeiis pro pœnitentiis fere preces sunt injungendæ, et quidem plerumque tales quas statim eodem die persolvant aut proximo festo ; nisi quid aliud suadeat consuetudo vel negligentia in divinis. Hinc si negligentes sint in suscipiendo sacramento Pœnitentiæ, injunge-

tur vel saltem commendabitur utiliter ut post mensem vel proximo festo majore, aut, si tunc non possint, proxima post illud occasione iterum confiteantur ; aut, si consuetudinem habeant, verbi gratia maledicendi vel jurandi, per dies quatuordecim vel per mensem mane recitent ter *Pater* et *Ave* in laudem Sanctissimæ Trinitatis, petant veniam suorum peccatorum, labores suos et difficultates isto die obeundas simplici modo offerant Deo in satisfactionem, petantque gratiam emendandi ; vesperi easdem preces repetant, doleant petantque veniam, dicendo verbi gratia : Deus, propitius esto mihi misero peccatori ! aut, ut quoties iterum maledixerint vel juraverint, pectus percutiant et veniam petant. Monendi tamen sunt, si semel obliviscantur, satis esse si postea resarciant vel compensent. Si quis multorum gravium peccatorum reus esset, nec conveniens alia pœnitentia occurreret, injungi posset ut per mensem vel ad proximam confessionem diebus dominicis et festis Sacrum devote offerat Deo in satisfactionem suorum peccatorum, iisdemque diebus Rosarium dicat in sacro, vel ut libuerit. Utile quoque erit, præsertim si quis timeretur dolorem et propositum efficax non habere, injungere ut

ante communionem eliciat fidem, spem et caritatem cum dolore, vel saltem contritionem cum proposito, hocque post communionem renovet et Christo confirmandum offerat : sic enim consuletur reverentiæ et fructui sacramenti, quoad poterit. Universim utiliter suadetur ut quisque statuat certum peccatum singulari studio cavere, et hoc propositum Christo post communionem offerat. — Hactenus Reuter.

CAPUT QUINTUM. — De confessione generali.

SUNT nonnulli qui dubitant an utile sit aliquando generalem de tota vita confessionem instituere, eaque omnia peccata repetere quæ quis jam antea confessus est. Quibus est dicendum, quandoque id esse improbandum, quandoque autem vehementer commendandum.

Improbandum est, si non recte ad hujusmodi generalem peccatorum repetitionem homo moveatur. Quod posset accidere vel *ex errore*, quo sibi persuaderet quis peccata semel legitime confessa nondum esse remissa, sed repeti debere, ut remittantur ; *ex nimiis conscientiæ scrupulis*, quibus fiat ut nunquam aliquis credat se satisfecisse, quantumcumque confessiones multiplicet. — Talibus generalis confessio permittenda non est, sed prohibenda.

Commendanda est autem generalis confessio iis qui *bonis causis* ad eam moventur. Causæ porro ejusmodi sunt variæ.

Prima, si metuatur in aliquam ex antecedentibus confessionibus defectum talem irrepsisse qui peccatorum remissionem im-

pediverit. Si enim hoc aliquando factum fuisset et hic defectus nondum fuisset sanatus, deberet necessario tota confessionum series repeti, incipiendo ab ultima bona confessione. Casus ille occurrit, si defuerit confitenti ea contritio seu dolor de peccatis aut illud propositum peccata vitandi quæ ad sacramentum requiruntur, vel si sciens et volens peccatum aliquod mortale tacuerit. Adesset etiam defectus de quo loquimur, si constaret confessionem factam fuisse sacerdoti non habenti absolvendi potestatem, aut sacerdoti non absolventi valide, ob ignorantiam vel ebrietatem.

Secunda causa est, ut generali confessione renovetur dolor de singulis peccatis et pudor, utque per ea, virtute meritorum Christi, pœna peccatis debita vel penitus tollatur, vel saltem minuatur.

Tertia est, ut tali repetitione excitetur in homine caritas in Deum, dum omnia sua peccata simul inspiciens admiratur divinam bonitatem, quæ tantas abominationes tam diu toleraverit. Plus enim movent peccata omnia simul inspecta, quam separatim diversis temporibus considerata.

Quarta est, ut homo, dum peccata tam multa considerat, et bona exigua videt quibus essent illa tegenda, sese incitet ad

opera bona, ne peccatorum multitudo bonorum operum numerum vincat, memor istius sententiæ quæ fertur esse sancti Chrysostomi : Nisi tot fuerint bona ut et exæquent crimina, et ex relictis aliquid in justitiam nobis reputetur, de nobis a suppliciis liberabitur nemo. (Hom. quæ fertur 81ª ad populum antioch.)

Sunt porro nonnulli qui singulis annis confessionem annuam peccatorum faciunt, tum ob causas jam dictas tum ut inspiciant quos illo anno in virtutibus progressus fecerint. Quorum studium vehementer est probandum, quippe qui declarant quantum ipsis curæ sit suæ animæ salus atque perfectio. Sicut enim bonus paterfamilias quotannis rationes omnes datorum et acceptorum colligit, ut cognoscat statum rerum suarum : ita christianus, qui in mercatu virtutum est constitutus, optime agit, si quolibet anno videat quantam ad virtutes accessionem fecerit, quæ vitia deposuerit, quas imperfectiones reliquerit, ut, hunc annum quantum fieri potest, cum anno præcedenti conferens, Deo gratias agat si aliquid spiritualis lucri notaverit ; si vero detrimentum aliquod negligentia sua sit passus, ex animo doleat de præterito tempore et melius disponat futurum.

Ex his quæ modo dicta sunt, facile intelliget prudens confessarius quomodo agere debeat cum iis qui confessionem generalem instituere volunt.

*I*um *Principium.* Nullæ recusentur confessiones generales, nisi prudenter timeatur eas fore nocivas. *Viris* generatim permittenda est confessio generalis, *mulieribus* rarius. Interrogentur mulieres an jam fecerint aliquam confessionem generalem. Si affirmative, confiteantur prius peccata sua nova, nondum confessa, deinde tria graviora vitæ præteritæ.

*II*um *Principium.* Facile permittenda generalis confessio, immo suadenda, in præcipuis vitæ christianis epochis, nempe ante primam communionem, ante susceptionem status, ante sacerdotium, ante professionem religiosam, ante matrimonium, et quando quis statuit vitam ducere perfectiorem.

*III*um *Principium.* Raro permittendum est ut repetatur confessio generalis totius vitæ semel instituta, nisi manifeste esset invalida.

*IV*um *Principium.* Quando pœnitens non proponit ipse confessionem generalem, prudenter aliquando examinabit confessarius an hæc forsan necessaria non sit,

vel saltem *utilis*. Bonum est igitur petere a pœnitente an nihil sit quod soleat animam ejus angere, inquietare, vexare.

Ea autem Confessio generalis quæ tantum utilis est, brevior esse potest, et non tam exacta esse debet, quia agitur de materia libera.

V^um^ *Principium.* Facile permittenda est personis devotis confessio ex parte generalis. Hanc vehementer commendat sanctus Ignatius in libello Exercitiorum. Merito quis perpendet rationes quibus nititur Ignatiana commendatio. « In confessione generali, pro eo qui eam sponte facere velit, et non ex necessitate, inter alias multas invenientur tres utilitates hoc Exercitiorum tempore. Prima, licet ille qui singulis annis confitetur non obligetur ad faciendam confessionem generalem, tamen faciendo illam [tempore Exercitiorum], habetur major profectus et majus meritum, ob *majorem dolorem actualem de omnibus* peccatis et pravitatibus totius vitæ. Secunda, cum in talibus exercitiis spiritualibus *cognoscantur magis intime* peccata et eorum malitia quam tempore quo homo non ita vacabat rebus internis, obtinendo nunc *majorem notitiam* et dolorem de illis, habebitur major utilitas et majus meritum quam ante

habitum esset. Tertia consequenter, quod, cum melius confessus sit et melius dispositus, invenitur magis aptus et magis præparatus ad recipiendum sanctissimum Sacramentum, cujus receptio non solum juvat ne labatur in peccatum, sed etiam ut conservet se in augmento gratiæ. »

(Lib. Exerc., 1ª hebd., Confessio generalis cum communione.)

Nota. In prima ratione quam affert sanctus Ignatius, consideratur præsertim contritio *actualis* de omnibus peccatis jam admissis ; in secunda vero consideratur præsertim *intima cognitio peccati* ejusque malitiæ. Censendus est ipse sanctus Ignatius expertus esse quam magna sint hæc duo emolumenta ; nam, etsi confessionem, generalem utique, fecit cum debitis dispositionibus, dum graviter vulneratus ad mortem se præparabat, multo melius certe confessionem generalem fecit dum postea Montisserrati et Manresæ sacris exercitiis vacabat.

CAPUT SEXTUM. — Argumenta popularia pro frequenti confessione.

SICUT cum agebatur de commendanda fidelibus frequenti communione, mutuati sumus, capite duodecimo libri primi, argumenta quædam quæ in « Libello sodalitatis » proponebat Franciscus Costerus noster exeunte seculo XVI, quæque ipse vocabat « Argumenta popularia ex similitudinibus ducta, » ita nunc, ad mentem ejusdem auctoris, proponimus quædam pari modo concinnata, quibus, ubi fert occasio, conabuntur efficere confessarii et concionatores ut fideles ad sacramentum pœnitentiæ accurrant, non tam quia *debent*, quam quia *possunt*, id est, ut hoc sacramentum tamquam ingens beneficium sibi datum existiment.

1. Qui confessionem peccatorum suorum diu differt, exponit se magno periculo gravissimæ pœnæ post mortem sufferendæ, si subito (quod multis accidit) eum mori contingeret. Qui autem sæpe confitetur, ab eo periculo est liber. Sicut ergo si rex cui multi cives multa deberent, ingressus civitatem, omnibus offerret debitorum remissionem

qui ad eum accederent chirographum petituri, quamdiu in ea civitate ageret, post discessum tamen nulla sperata condonatione, sed ad ultimum usque denarium cogenda solutione : nemo esset qui non statim ad impetrandum gratis chirographum accurreret, maxime quando incertum esse intelligeret tempus quo rex abiret. Is etiam magis festinaret, qui graviore delicto premeretur. Ita peccator in hac vita imprudenter et stulte agit, si per pœnitentiæ sacramentum ad Christum non accurrat, remissionis chirographum accepturus. Ait enim propheta : *Quærite Dominum dum inveniri potest ; invocate eum dum prope est.* (Isai. LV, 6.) Et quia quotidie nova debita contrahimus, sæpe etiam petendum est novum solutionis chirographum, quamdiu nobiscum est Dominus.

2. Qui raro confitetur, significat se parvi facere Deum, cujus iram non metuit, et pluris facere hominem, quem non sustinet sibi esse infensum. Aliquem enim quotidie offendere et de eo placando raro aut nunquam cogitare, idem est atque illum nihili ducere.

3. Ingratum esset parenti, si filius vestem pretiosam quæ patri vel matri magno constitisset, pulvere ac sordibus oppleri nihil

curaret, et adhærentem pulverem vel maculas excutere vel abstergere negligeret. At vero gratia sanctificans qua anima justi ornatur, comparatur vesti nuptiali pretiosæ, et est res nobilissima quam Christus nobis acquisivit sanguine suo. Unde non immerito displicet illi quod eam, si non ex integro dilaceramus et a nobis abjicimus, socorditer tamen patimur per peccata venialia sordescere, quæ quidem ipsa dein per confessionem vel remedium æquivalens tollere non satagimus.

4. Homo quotidie, aut sæpius in hebdomada verrit cubiculum suum, ne immundus sit locus in quo ipse versatur. Atqui anima nostra est templum Spiritus sancti, proinde frequenter purganda, in tanti hospitis reverentiam.

5. Sicut qui illota facie aut manibus prandium cum aliquo sumit vel cum aliis versatur, abominationi aut tædio est illis quibuscum agit, ita qui illota conscientia et impura anima incedit, ingratus est Deo civibusque cœlestibus.

6. Sicut indusia, mappæ mensarum aliaque ejusmodi, quæ sunt in usu quotidiano, frequenter mutantur atque lavantur et, nisi purgentur, fœtore et sordibus dissolvuntur, ita anima quæ tam sæpe maculatur qua-

que tamen Christus quotidie ad sua ministeria uti desiderat, frequenter est abluenda. Nisi enim adveniente jugiter sordium et peccatorum multitudine assidue purgetur, timendum est ne in æternam perditionem dissolvatur.

7. Sicut cubiculum quod multis quotidie patet, si raro verratur multis magnisque sordibus impletur, quæ semel atque iterum verrendo non statim omnes tolluntur : ita conscientia quotidie peccans et raro per confessionem se purgans, una confessione vix bene purgari potest, quia per eam majora tantum peccata ejiciuntur, minorum autem nulla aut exigua habetur ratio. Fieri enim non potest ut recordetur quis in talibus circumstantiis eorum omnium quæ tanto abhinc tempore commisit.

8. Crebra confessione facilius venit homo in notitiam sui ipsius. Nam sicut in panno mundo facilius conspicitur macula etiam levis, ita in conscientia per crebram confessionem mundata et candida, facillime perspiciuntur levissima peccata ; quæque alii nihili ducunt, illi merito magni faciunt, qui conscientia sunt puriore.

9. Sicut qui gravi onere quod humeris suis sustinere cogebatur, levatus est, expeditus jam nunc et lætus incedit ; ita per

crebram confessionem, qua a peccatis plenius liberamur, datur nobis conscientiæ serenitas, pax cordis, lætitia animi, promptique reddimur ad currendum in via mandatorum Dei.

10. Sicut parens, qui videt filium suum hoc unice cavere ne eum offendat, non potest non illi maximum amorem et favorem exhibere : ita qui totus in eo est ne quid in conscientia sua hærere patiatur quod oculis divinæ Majestatis displiceat, magna fiducia quidvis a Deo sibi polliceri potest.

11. Nunquam in sacramento pœnitentiæ sine collatione gratiæ peccatum dimittitur. Ergo, quo sæpius hoc sacramentum frequentatur, eo plus gratiæ colligitur ; sicut pauper qui sæpius eleemosynam petit, majorem stipem cogit.

12. Sicut araneus vitat cubicula divitum, quæ sæpe purgantur, quod in eis suæ telæ detergeantur et ipsi periculum immineat ne pedibus conteratur : ita diabolus, dum videt tentationes suas frequenti confessione dissipari et caput suum calcari, fugit eos qui crebra confessione conscientiam purgant.

13. Sicut infirmo aut valetudinario utilis est frequens præsentia medici, qui præscribat quibus utendum sit et a quibus abs-

tinendum : ita qui frequenter exponit in confessione conscientiam suam sacerdoti, accipit salutaria consilia quibus se in actionibus suis juvet et quotidiana vitia deponat.

14. Sicut pavimentum quod raro verritur, minus apparet oculis inspicientis, quale est, quia totum pulvere contegitur, et sicut coma quæ raro pectitur, vermes nutrit in capite et usque adeo implicatur ut difficulter explicari possit : ita anima quæ nonnisi raro per confessionem purgatur, multis repletur sordibus et vermem conscientiæ nutrit ; qui tametsi in hac vita subinde non sentiatur, vehementissime tamen punget in hora mortis et in futuro seculo, ubi, ut ait propheta, *vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur*. (Isai. LXVI, 24.) Ac præterea talis conscientia frequenter tot peccatis et tricis est implicata, ut et hominem vehementer anxium reddat et sæpe ab ipsis etiam doctis viris vix extricari aut componi possit.

CAPUT SEPTIMUM. — De conditionibus boni vel mali medici spiritualis.

ERBELLE explicat Ven. Pater Lancicius (Opusculo XII, cap. 16) conditiones boni et mali directoris spiritualis, enumerando signa mali medici temporalis.

Primum signum imperiti medici est, si morbum curet, non evulsa prius morbi radice ; qua relicta, sanum corpus non erit, morbo semper ex ea excrescente. Ideo primum omnium spiritualibus medicis curandum est ut affectus et vehementes inclinationes ac pravi peccatorum habitus evellantur, iis modis qui præscribuntur a Sanctis.

Secundum signum est mali medici, si membra putrida, alia quoque putrefacientia, non abscindat. Ideo perniciosi sunt communitati illi spirituum medici qui ex ea non ejiciunt infectivos aliorum, stulta commiseratione ducti. Quocirca sacrum Concilium Tridentinum, inter monita superioribus ecclesiasticis data, hæc quoque præscripsit (Sess. XIII, in decreto de reformatione) : Diligentis et pii simul pastoris

officium est, morbis ovium levia primum adhibere fomenta ; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere : sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis ceteras saltem oves a contagionis periculo liberare.

Tertium signum est, si omnes morbos et omnes infirmos una eademque medicina, uno eodemque modo curet. « Medicus, ait S. Chrysostomus, sæpenumero multa contraria facit, sed non contraria ratione, immo eadem et conveniente. Sæpe enim urit, et non urit ; secat et non secat unum et idem corpus ; nunc amara, nunc dulcia pharmaca ad bibendum offert. Et facit quidem contraria, sed simili ratione atque eadem. Unum enim finem spectat, nimirum ægri sanitatem. » Idem alio in loco : « Nec exhortatione ac consilio indigent cuncta peccata ; sed sunt qui brevi et celerrima solent sectione curari. » Hinc sanctus Gregorius toto libro tertio sui « Pastoralis » copiose ostendit aliter esse admonendos juvenes, aliter senes ; aliter lætos, aliter tristes ; aliter subditos, aliter prælatos ; aliter sapientes, aliter hebetes ; aliter impudentes, aliter verecundos ; aliter protervos, aliter pusillanimes ; aliter

impatientes, aliter patientes ; aliter simplices, aliter impios...

Quartum signum insufficientis medici est, si semper amaris medicinis, vel sectione venæ vel inustione ignea, curet omnes infirmos. Verum quidem est, quod ait beatus Laurentius Justinianus, « esse nonnullos qui magis asperis invectionibus quam dulcibus verbis emendantur, talibusque dura et fortis increpatio proferenda est ; semper tamen erga illos compassio servetur in corde : » ordinarie tamen, ut ipse docet, Christo mandante frater blande et dulciter corripiendus est ; nam mollibus potius quam duris sermonibus compungitur animus delinquentis.

Quintum signum est mali medici, si non expurgato corpore præbeat antidota. Hoc commune est vitium in spiritualibus medicis imperitis, qui puncta perfectionis magnæ suis proponunt (uti sunt mortificationum et laborum externorum indiscreta fatigatio), non æque vero laborant ut a frequenti in peccata lapsu, præsertim deliberata et graviora, suos expurgent et ad mortificationem internarum passionum ac perpetuam sui victoriam suavibus sed efficacibus modis industriisque inducant, et ad ardentissimum perfectionis desiderium,

illudque constanter permanens, excitent: quod nisi perpetuo duret, nullus est sperandus stabilis in virtute progressus.

Sextum signum imperiti et insufficientis medici spiritualis est, si violenter curet infirmos, exigens ab illis ut statim sint sani et robusti. Hoc factis ostendunt illi qui a tirone in via spirituali exigunt tantam perfectionem in moribus externis et statu interno quanta debet esse in senibus multis annis in studio virtutum se exercentibus.

Septimum signum medici imperfecti est præpostera curatio, si, dum infirmus pluribus morbis laborat pluribusque in membris, occupet se medicus circa morbos minus periculosos, periculosiores vero vel negligat vel curet minus. Tales sunt ii qui magis exterioribus attendunt quam internis, et solidis virtutum inducendis studiis; qui exteriores inurbanitates et defectus magis conantur emendare quam internum hominis statum recte ordinare. Unde nascitur ut a curatione talium medicorum liberati fere pejus quam antea visi sint ægrotasse ægrotent, et medicorum magis peritorum curationem respuant, et sensim se reddant incurabiles, et ad spiritualem mortem sibi viam sternant.

Octavum signum mali medici est, si,

videns signa futuri morbi prænuncia, non præbeat præservativam medicinam, contra illud Spiritus sancti monitum : *Ante languorem adhibe medicinam*. (Eccli. XVIII, 20.) Superioribus, inquit S. Chrysostomus, non lapsi tantum debent esse curæ, sed et stantes : illi quidem ut erigantur, hi vero ne cadant ; illi ut ab urgentibus malis liberentur, hi ne incurrant in molestias imminentes. Et, ut idem alio in loco ait, Hoc providi est medici, ut non præsentia tantum mala depellat, sed et adversus futura præmuniat.

Nonum signum imperiti medici est præceps curatio, non suo tempore sed citius quam par sit porrecta medicina. Sunt enim quidam morbi qui moram aliquam postulant. « Nam etiam medendi periti, inquit S. Ambrosius (Epist. I ad Constantium episcopum), tempus exspectant ; nec deserunt invalidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt palpant delinimentis. » Ita dum subditus vehementi ira ardens furit, monitorum bonorum non est locus. Exspectandum ut furor ille abscedat ; tunc erit magis idoneus ut paterna medici curatione juvetur. Interim ponderanda sunt quæ dici apto tempore debent infirmo, ut juvent, ne quid inconsiderate prolatum lædat potius

quam sanet. Maturanda sunt omnia profunda consideratione et communicatione cum Deo, inspiratore sancti consilii.

Decimum signum insufficientis medici est diu dilata curatio. Morbi enim periculosi, qui vix quandoque apparent sed a peritis agnoscuntur, celeritate curantur. Tales morbi sunt vehementes contra vocationem tentationes, familiaritates periculosæ inchoatæ, aversio a statu vitæ sancte suscepto et a bona vivendi ratione, per clandestinas murmurationes ac prava in contrarium dictamina a tentatis roborari cœpta.

Undecimum signum, si semper medicinis suavibus utatur, vel ungat quando membra sectione seu incisione venæ vel ulceris opus habent. Qua de re S. Chrysostomus : Non semper expedit pharmaca levia adhibere ; sed quando ulcus curationi resistit, oportet violenta et mordacia admovere, quo morbo occurratur citius. (Homilia 6 in Genesin.)

Duodecimum signum, desperare nimis cito de sanitate infirmi. Non statim resiliendum a curatione, etsi non statim succedat. Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo. Sic quod una hebdomada vel mense obtineri non potuit, potest sequenti. Prosequenda itaque est ægri curatio cum

spe sanationis. Nam, ut ait S. Chrysostomus : Etsi hodie verbis tuis non obtemperat, postea obtemperabit ; et, si neque secundo vel tertio admonenti obtemperabit, iterum tamen te videns urgentem, forte erubescet. Non videtis quanta omnium Deus nos longanimitate tolerat et quomodo quotidie negligimus obtemperare ejus mandatis, et neque sic cessat a nostra cura ? Simili modo et nos, erga fratres nostros bene affecti, magnam faciamus diligentiam, et obluctemur maligno illi dæmoni, ut irritos ejus faciamus conatus.

NOTA.

Ex iis quæ hoc capite dicta sunt, quædam spectant confessarium in quantum est *director* animarum, præsertim in communitatibus religiosis : hæc in proxime sequenti sectione, ubi jam agitur de confessario in quantum munus exercet *directoris spiritualis*, enucleatius evolventur

ALTERA PARS : MUNUS DIRECTORIS SPIRITUALIS

CAPUT OCTAVUM. — De directione spirituali in genere.

IRECTIO spiritualis complectitur consilia et auxilia quæ dantur ab aliquo homine alii homini ut is acquirat virtutes et attingat perfectionem christianam.

Duplex est directio : una activa, passiva altera. Prior consideratur in eo qui dirigit, altera in illo qui dirigitur. De priori tantum hic sermo est. Dabimus successive *notionem* directionis spiritualis, — *regulas* directionis *generales*, — regulas directionis *particulares*.

§ 1. — Notio directionis spiritualis.

I. Quid intelligitur nomine « directionis spiritualis ? » Directio spiritualis pars est ministerii sacri quæ intendit rite ducere animas ad perfectionem christianam. — Omnis sacerdos exercens ministerium sacrum, ac proinde omnis confessarius, hac

arte pollere deberet. Sed quam pauci confessarii nomen« directoris » merentur!

Cum propria meta seu objectum directionis spiritualis sit ipsa perfectio christiana, patet tria veluti elementa in omni directione spirituali consideranda esse; scilicet consideranda veniunt :

a) Terminus directionis,

b) Animæ dirigendæ,

c) Via qua animæ ad terminum dirigendæ sunt.

A) Terminus ille, uti jam innuimus, est ipsa *perfectio* vitæ christianæ, et non tantum vita stricte christiana, qua quis solummodo vitat habitualiter peccata mortalia. Si de hac ultima tantum agitur, sufficit ut sacerdos se gerat tamquam confessarius, applicando circa peccata pœnitentis potestatem clavium, et ei præscribendo quædam remedia ad cavendos relapsus. At vero director spiritualis plus facit. Nam, ut ait sanctus Alphonsus de Ligorio in *Praxi*, n. 121 : « Cum videt confessarius pœnitentem suum vivere habitualiter immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet ut eum in *viam perfectionis* introducat, illi repræsentando quantum Deus mereatur ut a nobis ametur et quantam gratitudinem debeamus Jesu Christo qui nos amavit us-

que ad moriendum pro nobis ; necnon periculum in quo versantur omnes animæ quæ vocatæ a Deo *ad vitam perfectiorem*, illi resistunt. » Et ante eum dixerat Reuter in opere suo « Neo-confessarius, » n. 245 : « Cum nactus fuerit confessarius pœnitentes *capaces perfectionis*,... excitet ipsos ut foveant desiderium constans maximæ perfectionis, etsi hæc vel illa persona videatur ad eam non perventura ; quia desiderium illud faciet ut eam attingat saltem cujus est capax, et multum mereatur. Sic sancti multi, quos Deus martyres esse non voluit, magno ad martyrium incensi desiderio, martyribus similes effecti sunt. » — Quot animæ quæ, si tale quid audirent, statim arriperent !

Perfectio illa de qua loquimur, *relativa est* ad statum singulorum qui diriguntur. Alia est enim perfectio laica, alia perfectio sacerdotalis, alia perfectio religiosa. — Generatim tamen dici potest cum Reuter, loco citato, *cujusque perfectionem* in eo sitam esse ut opera ordinaria bene peragant, ut nempe mane bene surgant, bene orent, bene Missæ intersint, bene laboribus suis vacent; ut comedant, bibant, se recreent, conversentur cum proximo eo modo quo decet ; vesperi bene faciant examen conscientiæ, bene se ad quietem componant : omnia

denique quæ ex officio et statu incumbunt, recte obeant. Hæc qui bene facit, perfectus est : facit autem ea bene qui ea facit quando et quo modo ea vult Deus fieri, cujus sanctissima voluntas omnis perfectionis fons et norma est.

B) Animæ dirigendæ varias classes constituunt, quæ quidem classes distinguuntur ex vario fervoris gradu vel ex vario profectu in via spirituali. Secundum varios gradus fervoris, anima aliqua potest esse vel frigida, vel tepida, vel fervens. Secundum profectum in via spirituali, alii sunt incipientes, alii proficientes; alii jam aliquam perfectionem nacti sunt. Profectum uniuscujusque meteri debemus ex imperio quod exercet in se et in suas passiones.

C) Via demonstranda ea est qua quis magis semper recedat a malo et quotidie magis accedat ad bonum, ea scilicet quam elegit sibi Dominus, via nempe humilitatis et abnegationis, et ad quam nos invitant hæc verba Jesu : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth., XII, 29), et: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* (Matth., XVI, 24.)

Hæc via demonstranda est opportunis consiliis, quæ spectare debent — tum rationem et modum vitandi scopulos et oppu-

gnandi passiones, — tum *media progrediendi* : quæ *media* sunt fere sequentia : pia precatio vocalis, rectus usus sacramentorum, lectio spiritualis, oratio mentalis seu meditatio, examina conscientiæ, eleemosynæ, jejunia, et alia caritatis et mortificationis seu pœnitentiæ opera.

De *meditatione* sic docet sanctus Alphonsus in *Praxi*, n. 122 : « Prudens ergo confessarius, cum cernit animam aliquam abhorrentem peccata mortalia et desiderantem progredi in amore Dei, *ante omnia debet* illam disponere ad faciendam *orationem mentalem*, scilicet ad meditationem veritatum æternarum et bonitatis divinæ. Et quamvis necessaria non sit ad æternam salutem consequendam sicuti est necessaria Petitio, nihilominus videtur valde necessaria animabus ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere, sed non possunt cohabitare Oratio et peccatum. Anima aut relinquet orationem aut peccatum. Dicebat sancta Theresia : Animam quæ in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat diabolus, tandem pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum perducet. Et ideo diabolus nullum aliud exercitium tam quærit impedire quam illud orationis,

quoniam, inquit eadem Sancta, novit dæmon quod certe amittet animam quæ perseveranter incumbit Orationi.

Incipiat ergo confessarius, ait s. Alphonsus, n. 123, introducere animam in orationem. Ab initio non plus quam dimidiæ horæ spatium assignet ; quod deinde crescente spiritu plus minusve augebit. Neque desistat ex eo quod pœnitens difficultatem adducet quod desit sibi tempus, et locus ad se colligendum : immo imponat ei ut saltem mane, vel vespere, quando in domo major est quies, vel etiam in ipsis occupationibus (quando aliud non posset efficere) elevet identidem mentem ad Deum et meditetur veritates Fidei, ut sunt Novissima, quorum cogitatio (et præcipue Mortis) est utilior pro incipientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quæ meditatio est omnibus fructuosa. Si vero pœnitens non sit litterarum rudis, expediens est ut utatur aliquo libro spirituali, quo magis habeat ingressum in orationem, quemadmodum facere solebat sancta Theresia. Moneat quoque ut seligat materiam illam in qua anima majorem experitur devotionem, et in iis locis in quibus anima se vehementius affici sentit et commoveri, moretur aliquantum ; et lecta meditatione totam se

exerceat in actibus voluntatis vel incumbat petitioni aut faciendis propositis. Dico 1. se exerceat *in faciendis actibus*, scilicet humilitatis, actionis gratiarum, fidei, spei, et præsertim in repetendis actibus contritionis et caritatis erga Deum, offerendo se illi totam, totamque se suæ sanctissimæ voluntati resignando, et repetendo plus quam alios illum actum cui anima se magis sentit inclinatam. Dico 2. exerceat se *in petendo;* nam a petitione omne nostrum bonum dependet, et S. Augustinus inquit Deum ordinarie nullam gratiam hominibus concedere et præsertim gratiam perseverantiæ, nisi per canalem Petitionis. Dominus dixit: *Petite, et accipietis:* ergo, concludit S. Theresia, qui non petit, non accipit. Quapropter, si volumus animam nostram salvare, necesse est semper orare et ante omnia petere perseverantiam et amorem erga Deum. Et quidem nullum tempus opportunius est ad petendum quam tempus orationis mentalis. Qui non orat mentaliter, difficiliter petit, quia difficiliter se actuat ad considerandas gratias quibus eget, et necessitatem ipsam petendi: et ideo qui non facit orationem mentalem [plus minusve methodice, secundum captum suum et circumstantias in quibus ver-

satur], difficulter in Dei gratia perseverat. Dixi 3. *in statuendo*, ut oratio non remaneat infructuosa, et anima mandet exsecutioni ea lumina quæ in oratione recepit. Unde, quemadmodum inquit S. Franciscus Salesius, nemo debet imponere finem orationi, nisi prius fecerit particularem aliquam determinationem, puta vitandi defectus quosdam magis usuales, aut exercendi virtutem aliquam in qua se noscit debiliorem. His pretiosis monitis finem hic imponit sanctus Alphonsus, remittendo ad ea quæ inferius dicturus est in eadem sua Praxi adhuc magis enucleate circa orationem mentalem.

II. Quomodo acquiritur ars animas rite dirigendi?

1° Oratione. — Director animarum debet esse *vir orationis*, conjunctus cum Deo. Est enim legatus Dei, dispensator mysteriorum Dei, mediator inter Deum et eos quos dirigendos habet.

2° Experientia, — ea scilicet experientia quæ acquiritur propria formatione et observatione proprii cordis, potius quam illa quæ aliquo modo acquiri potest per directionem ipsam animarum aliarum. Sit proinde director spiritualis *vir interior*, ut possit cognoscere vias interiores per quas

Deus animas ducit et in quibus spiritualis pater eas dirigere debet ; sit *homo mortificatus*, ut cognoscere possit cor humanum et sciat quomodo passiones et inclinationes cordis domandæ et dirigendæ sint. Qui perfunctorie propriam conscientiam examinat, nunquam erit bonus director proximi sui.

3° Assiduo et attento studio operum ab optimis asceticis scriptoribus editorum. — In hoc genere, præter documenta quæ inveniuntur in Vitis plurimorum sanctorum,

Sequentes auctores utilissimi sunt :

Rodriguez, Saint-Jure, de Ponte in « Vita Patris Balthasari Alvarez, » Scaramelli *(Direttorio ascetico)* gallice bis editus cura Illust. Domini de Montpellier, episcopi Leodiensis, sub titulo : *Directoire spirituel* (1855 et 1869) ; opuscula ascetica P. Gasparis Druzbicki, S. J.; S. Franciscus Salesius ; Alvarez de Paz, S. J.; Guilloré, S. J.; Surin, S. J. ; Nouet, S. J. ; Le Gaudier, S. J. ; Opera sancti Alphonsi de Ligorio ; Opera Ludovici Granatensis.

Pro directione proprie dicta, commendari possunt :

Industriæ Patris Claudii Aquaviva, S. J.;

Regulæ discretionis spirituum in Libro exercitiorum S. Ignatii ;

Sanctus Bonaventura, De sex alis ;
Scribani, S. J., Medicus religiosus ;
Sanctus Joannes a Cruce.

Præsertim Pinamonti, Director spiritualis *(gallice Le directeur dans les voies du salut)*, et opuscula Patris Lancicii, S. J.

4° Applicatione regularum quæ sequuntur.

§ 2. — **Regulæ directionis generales.**

1. Director cognoscere debet illum quem dirigit. Debet scire qualis sit pœnitentis sui indoles, quale temperamentum, et qualis corporis constitutio. An propensus ad scrupulos, ad exaltationem mentis, ad levitatem animi, ad inconstantiam... Notus sit animæ status : notet utrum anima sit tepida an fervens, et quem jam gradum adepta sit in vita spirituali.

2. Non debet omnes dirigere eodem tenore ; oportet enim accommodare directionem dispositioni singulorum, eorumque conditioni sociali. Imitetur illum qui dirigere debet cymbulam. Alio modo operatur is in flumine tranquillo et placido, alio in turbido ; alio modo dirigit contra fluctus euntem, alio modo flumini obsequentem.

3. Ne exigat ab omnibus indiscriminatim eamdem perfectionem, sed conetur a sin-

gulis obtinere eum fructum qui respondeat capacitati uniuscujusque. Imitetur agricolam qui a singulis partibus agri sui non plus expetit quam quod dare possunt.

4. Caveat ne citius procedat quam oportet. Sicut enim agricola non plantat neque serit ante opportuna tempora, ita patienter exspectare discat sapiens director opportunas occasiones talia vel talia imponendi, hæc vel illa exercitia suggerendi.

5. Procedere debet *gradatim*. Sic ipse Christus Dominus paulatim duxit apostolos ad perfectionem ad quam illos vocabat. Aliquando dicebat illis : Non potestis portare modo. Qui vult uno impetu implere lagenam cujus angustum est os, fere totum perdit quod sic infundit. Secus ille qui per partes infundit. Generatim juvat sequi ordinem quem sequitur sanctus Ignatius in suis Exercitiis spiritualibus, enitendo scilicet 1° ut liberetur anima ab omni affectu inordinato ;

2° ut cum amore virtutes Christi imitetur ;

3° ut pro Christo Domino laborare et pati discat.

6. Debet director spiritualis sequi impulsum quem gratia imprimit ipsa animæ quæ ab illo dirigitur (gallice, *suivre l'attrait*

de la grâce). Proinde non debet prævenire gratiam, sed ei obsecundare.

7. Semper agere debet cum pœnitente *fortiter* simul *et suaviter*. Fortiter, si spectetur modus directionis. Sic egit ipse Dominus erga apostolos suos ; sic agit erga nosmetipsos. Utique displicent Domino defectus nostri, et vehementer desiderat nostram perfectionem : et tamen quanta cum patientia, suavitate, longanimitate nos suffert, nos ducit !

Induat director animarum sensa cordis Jesu !

8. Debet Director orare multum pro se et pro illis quos dirigit. Identidem adhibeat jejunia et alia pœnitentiæ opera.

§ 3. — **Regulæ directionis particulares.**

1. Curet ante omnia director ut cliens ordinem servet in suis exercitiis spiritualibus. Lectionis librum ipse proponat.

2. Doceat eum praxim Examinis particularis, sive ad exstirpandos defectus, sive ad acquirendas virtutes. Suadeat etiam recollectionem menstruam.

3. Electionem status vitæ, si opportunum fuerit, prudenter dirigat. — Videsis quæ de hac materia diximus in alio opere « Sacerdos rite institutus, » series tertia, et

quæ mox addemus hic, capite proxime sequenti.

4. Adducere satagat animas ad pacem internam, sive pacanda sit conscientia, sive passiones, sive imaginatio. Conscientiam ream pacare debebit ope confessionis ; conscientiam timoratam vel scrupulosam ope obedientiæ cæcæ et mutæ. Pacare debebit passiones ope mortificationis, exercendo etiam pœnitentem ad humilitatem, ad silentium (o triumphale silentium !) et ad recollectionem animi seu sensuum refrenationem. Pacare debebit imaginationem præscribendo pœnitenti occupationes moderatas et exercitium patientiæ erga seipsum. Ceterum interna pax qua frui conspicitur ipse director, non parum conferet ad pacandam animam clientis.

5. Clienti animos addat, eique inculcet summam erga Deum fiduciam.

6. Frequenter et fortiter inculcare satagat quædam principia practica vitæ spiritualis, v. g. *Vince teipsum ; — Abnega temetipsum ; — Age quod agis*, i. e. implenda sunt munera status et officii ; — *Sufficit diei malitia sua*, i. e. sanctifica opera et cruces diei præsentis, nihil sollicitus de crastino ; — *Alter alterius onera portate*, i. e. patienter ferendi defectus

aliorum; — *Discite a me quia mitis sum et humilis corde; — Eia, fratres, ne degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei!*

7. Adducere satagat animas ad spiritum recollectionis; recollectio enim animi omnino necessaria est ad vitam interiorem. Cfr. Imit. Christi, lib. I, c. XI.

8. Præparet animas ad omnimodam sui oblationem. Hanc oblationem faciendam proponat primum corde et ore; postea, disponente divina Providentia, offeret se via veri sacrificii. Solet enim Deus animas quas ad sui abnegationem paratas invenit, suaviter perducere per varias tribulationes usque ad summum Calvariæ montem et consequenter ad eximiam sanctitatem. Non raro accidit ut tales animæ quæ aliquando pollebant auctoritate, quæ prospere sua agebant, quasi gradatim spolientur et aliquo modo ad nihilum redigantur. Cfr. « Sacerdos » series secunda, ubi *de Viis Domini.* Quam pretiosa sit talis vitæ conditio, illi soli intelligunt qui noverunt exercitium *Tertii gradus humilitatis.* Cfr. « Sacerdos » series quinta, recollectio XIV, examen, et « Templum spirituale sacerdotis, » tomo I, pag. 46.

9. In privatis cum cliente colloquiis imi-

tari debet director medicum, efficiendo ut cliens loquatur multum et exponat statum suum fuse. Ne interrumpat loquentem, sed potius interrogatione opportuna provocet; audiat attente et respondeat breviter, sed cum auctoritate.

10. Ne relinquat clientem suum diu solum, ne forte obrepat ei dejectio animi et tædium, et ne tentatione abducatur a via perfectionis; sed assidue se ei adjutorem præbeat, titubanti manum porrigat, generose agentem sustineat et animet.

11. Multum, multum, multum oret pro cliente.

12. Ne miretur, si identidem cliens minus bene sentiat de suo directore. Insidiæ diaboli!

13. Utatur fere motivo amoris Dei et Deiparæ Virginis.

14. Memor sit ad omnem in vita spirituali profectum tria esse necessaria: gratiam, directionem, cooperationem.

CAPUT NONUM. — Quomodo director spiritualis clientem suum juvare possit in re vocationis.

EX iis quæ capite præcedenti circa hanc materiam indicavimus, deduci potest hæc regula generalis: Debet director ea omnia *vitare* quæ divinæ gratiæ actionem impedire possunt, et *præstare* ea omnia quæ eam possunt juvare.

I. — VITANDA. — Dupliciter impediri potest divinæ gratiæ circa vocationem actio. *Primo*, si agatur de vocatione ad statum religiosum, tuque, o director, religiosus sis, impedire potes gratiam ea agendi ratione quæ vitæ religiosæ pretium imminueret vel ejus difficultates exaggeraret. Vilescit vita religiosa, si ii qui eam amplexi sunt, humanis se duci affectibus passim ostendant, si imperfectiones aliorum et internas, si quæ sint, dissensiones externis referant, si parvi suam vocationem se facere significent. *Secundo*, ille etiam divinam gratiam in re vocationis impediret, qui eam anteverteret et vocationem obtrudere vellet. « Primum omnium cer-

tum est, ait P. Gaspar Druzbicki, S. J., in opusculo cui titulus « Modus dirigendi ad statum religiosum, » non probari in Societate nostra quemquam ad statum religiosum induci, ut patet ex regula sacerdotum 23ª, quæ id confessariis expresse prohibet his verbis : Etsi vota ad perfectionis statum pertinentia ut sancta laudari debent, et circa ea confessarii consilium, sed magna cum consideratione, dare possunt, quia tamen non humanam, sed divinam vocationem requirunt, nemo ad ea emittenda quempiam inducat ; verum ad orationem tales hortetur, ut a Deo adjuti vocationem suam melius intelligant et exsequantur... Namque vetat Societas directe homines trahi quibuscumque persuasionibus ad religionem ; exoptat tamen impense eodem promoveri proximum, sed eis dumtaxat modis ut *dirigatur in via spirituali*, ut non ponat proximus obices divinæ vocationi ; ut illam ultro oblatam non excutiat, ut agnoscere et discernere sciat vocem Dei trahentis illique obsequatur. »

II. — Præstanda. — Hoc autem excessu vitato, multi sunt modi actionem divinæ gratiæ juvandi.

1° Exemplum bonæ vitæ et ostensio felicitatis illius quæ a Christo Domino retri-

buitur iis qui se totos ipsi tradiderunt. Nihil sane impedit quin religiosus in tota sua agendi ratione cum simplicitate et discretione ostendat se sibi gratulari quod omnia pro Christi amore reliquerit.

2° Omnes ad abnegationem hortari et ad unionem cum Deo quam perfectissimam. Qui enim sic se Deo conjungit, ejus voluntatem non poterit non cognoscere, et eam sequetur. Hoc præcipue modo, non directa adhortatione, agendum esse cum juvenibus, censebat Pater Hieronymus Natalis sub ipsis initiis Societatis, ut refert Orlandinus in prima parte Historiæ ejusdem Societatis, libro VIII, n. 17, his verbis: « Prudentissime Natalis fecit ut ad eam ineundam nemo verbo consiliove excitaretur a nostris, non quod adhortari ad vitam perfectam in loco minus liceat, sed quod lubricum negotium existimaret : ut qui probe nosset celsissimum religionis statum non puerorum ludum esse, sed eorum qui tota inductione animi, sublata in humeros cruce, Christum sequi et seipsos omni ex parte abnegare constituunt. Quo cum aspirari nisi Patre trahente non possit, quis non videat quantas sit editura ruinas, si tantum consiliis res nitatur humanis ? Itaque satius existimabat homo prudens, si quorum de-

cretum est animis opem ferre, iis non tam persuaderetur claustrum religiosæ vitæ quam sacramentorum crebra et accurata tractatio, ut, si qui postea vocarentur a Deo, vocem ejus paratiore animo et aure puriore perciperent. Quæ item provisio tanto erat Societati necessaria magis quanto illius usus est cum juventute frequentior. » Proponi poterunt exempla eorum qui generositate sua enituerunt, animadvertendo tamen non omnes ad eadem sacrificia peragenda vocari, quamquam omnes in divina vocatione sequenda generosi esse debent.

3° Inculcare necessitatem orandi ad divinam vocationem cognoscendam, summam difficultatem salutem certam faciendi, immo et præsentis vitæ veram beatitudinem et quietem assequendi in alio statu ac eo ad quem Deus unumquemque vocat. Contra, facilitatem et suavitatem quam Deus dare solet his qui ejus ductum sequuntur.

4° Multum orare pro iis qui ad perfectionem amplectendam et ad animas salvandas a Deo vocantur.

CAPUT DECIMUM. — De modo agendi cum personis devotis.

HAC de re præclare scripsit piissimus doctor sanctus Alphonsus de Ligorio in libro cui titulus « Praxis confessarii. » Aurea ibi dedit consilia, quorum, o sacerdos, accipe brevissimam summam.

§ 1. Quoad puellas.

I. Caveat confessarius ne his suis pœnitentibus spiritualibus prohibeat accedere ad alium confessarium ; et si quando advertat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse ; immo ipsis imponat ut aliquando apud alios confiteantur. Caveat pariter confessarius ne ostendat velle se omnino alicujus animæ directionem suscipere.

II. Nunquam absque necessitate de aliorum confessariorum defectibus loquatur; sed potius sedulo quærat eos ab aliquo errore commisso excusare.

III. Evitet confessarius partialem se ostendere cum aliqua pœnitente. Non negandum quod aliqua anima quandoque majori indiget assistentia quam alia ; sed

alia est assistentia, alia est adhæsio, quæ efficit ut parcior cura de aliis pœnitentibus habeatur. Ideo expedit quod confessarius personæ illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum accipiant.

IV. Ne concedat feminis juvenibus ut vagent ecclesias visitando, utque in ecclesia morentur plus quam est necessarium, cum perturbatione parentum ; sed eas moneat ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo.

Quomodo autem et quantum confessarius cavere debeat a familiaritate suarum pœnitentium, monet hic sanctus Doctor, et nos etiam aliis operis nostri locis jam monuimus et monebimus.

§ 2. Quoad mulieres.

I. Summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Regulariter in confessionali cum junioribus sit potius rigidus quam suavis. In actu confessionis non ostendat se eas agnoscere. Aliquæ enim quæ religiosæ haberi volunt, aliquando advertentes se nosci a confessario, non faciunt integram confessionem. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum e confessionali recedunt,

easque per aliquod tempus intueri. — Extra confessionale, ne immoretur ad colloquendum cum ipsis, etiam in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. « Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est ; nec tamen, quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendæ : quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt. » Hæc verba citantur tamquam sancti Augustini ab angelico Doctore in opusculo 63, cui titulus « De modo confitendi et de puritate conscientiæ, » capitulo « De periculo familiaritatis dominarum vel mulierum. » Ipse angelicus Doctor initio hujus capituli dixerat : « Quoniam spiritualibus loquor, propter quos ista scribuntur, noverint ipsi quod, licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, eis tamen perniciosa est magis, maxime quando conversantur cum persona quæ spiritualis videtur ; nam, quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum : quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur. »

II. Confessarius non adeo mulierum

confessionibus sit addictus ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. Quamquam opus est valde Deo gratum animas dirigere ad viam perfectionis, probi tamen confessarii qui tantum ut Deo placeant confessiones excipiunt, quemadmodum facere consueverant S. Philippus Nerius, S. Joannes a Cruce, S. Petrus de Alcantara aliique, quando cernunt aliquam animam indigentem, præferunt eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando confessarius vult, tempus non deerit.

III. Super omnia cum pœnitentes patiuntur *desolationem* spiritus, confessarii adhibere debent diligentiam inquirendi scilicet de modo quo unusquisque eorum fecit orationem mentalem et num forte eam decurtaverint vel omiserint. Solet enim Deus initio quo anima se tradit vitæ spirituali, hanc animam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrimis et sensibilibus aliis consolationibus ; sed elapso aliquo tempore solet claudere hanc venam, ut probet ejus fidelitatem et ut eam ad majorem perfectionem extollat, subtrahens ei sensibilem omnem dulcedinem cui facile anima adhæret, non sine impuritate quadam et culpa, ex amore sui ipsius. Consolationes sensibiles, quin et attractiones su-

pernaturales, sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus: unde ipse ut animas sibi dilectas avellat etiam a donis suis, utque cogantur donatorem puriori amore diligere, efficit ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum et solitam consolationem, sed tædia, ariditates, tormenta et quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere confessarius ad confortandas animas istas, ne orationem omittant et præscriptas communiones. Revocet illis in memoriam verba illa S. Francisci Salesii, scilicet: Plus valere coram Deo unciam unam orationis in medio desolationum, quam libras centum in medio consolationum.

Addat director spiritualis Deum ita se gerere cum animabus a se magis dilectas. « Ariditatibus et tentationibus, dicebat sancta Theresia, probat Deus suos amatores. Quamvis ariditas tota vita perduret, non omittat anima orationem mentalem instituere optimo modo quo potest. Veniet tempus quo omnia ei persolventur. » O certe pulchram pro anima desolata sententiam! Hortetur ergo director clientem suum ut forti animo sit et viriliter exspectet res magnas a Deo, qui eum per tutiorem viam deducit, scilicet per viam Crucis.

Cfr. quæ diximus in aliquo *Examine circa desolationem.* («Sacerdos» series 4ª, pag. 12.)

§ 3. Quoad petentes directionem.

I. Debent collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se et de suis bonis propositis.

II. Cavere a quocumque minimo defectu deliberato sive apertis oculis admisso.

III. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare et, confugiendo ad Deum cum brevi actu contritionis et proposito, se in pace remittere. Et ita semper se gerere debent, etiamsi centies in die quis caderet.

IV. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus. Aliter, ut ait S. Theresia, anima non recedendo a voluptatibus mundanis, non post multum denuo recedet a via Dei. — Effugere familiaritatem personarum diversi sexus.

V. Lætari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri et omnium vilissimum reputari.

VI. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum illique placendi. Ait S. Theresia: Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent exsecutioni demandata.

VII. Habere magnam uniformitatem

divinæ voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre.

VIII. Præstare exactam obedientiam regulis, superioribus et Patri spirituali. Dicebat Ven. P. Vincentius Caraffa, S. J. : « Obedientia est regina omnium virtutum ; omnes enim virtutes obediunt Obedientiæ. » Et S. Theresia : « Deus ab anima quæ sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit quam obedientiam. » Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter et sine ullo judicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res ipsa non sit certe peccatum, inquiunt SS. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius Loyola et omnes spiritualis vitæ magistri ; et in rebus dubiis eligere id quod præsumitur quod jussisset obedientia : et quando hæc præsumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince teipsum* toties inculcatum sancto Francisco Xaverio a sancto Ignatio, qui solitus erat dicere longe plus proficere animam mortificationis amicam unico horæ quadrante quam alias non mortificatas per plurimas horas.

IX. Attendere semper divinæ præsentiæ. — « Omne malum, inquit S. There-

sia, provenit ex eo quod non consideramus Deum præsentem. » Qui vere amat, nunquam obliviscitur objecti amati. Ad conservandam vero memoriam hujus divinæ præsentiæ, juvat in praxi aliquod speciale signum gestare vel intra cubiculum habere. Maxime vero oportet hanc memoriam fovere repetendo sæpius in die actus amoris erga Deum et petendo divinum amorem. Exempli gratia, *Deus meus et omnia ! Diligam te ex toto corde meo ! Totum me tibi do ! Fac de me quod tibi placuerit ! Nihil aliud volo nisi te et tuam voluntatem ! Da mihi amorem tuum, et dives sum satis !*

X. Dirigere *intentionem* placendi Deo in quacumque actione quotidiana, sive spirituali sive corporali, dicendo : Domine, hoc facio, tantum ut placeam tibi. Omnia ad majorem Dei gloriam ! Merito appellatur recta intentio « alchimia spiritualis, » quia omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

XI. *Quotannis* « Exercitia spiritualia » peragere, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione et ab omni officio quod distractiones afferat, ut solus cum solo Deo homo versetur. Similiter, *singulis mensibus* aliquam diem ad se colligendum destinare.

Addo : Et in hoc exercitio ad duplicem hanc quæstionem serio respondeatur (1) : 1. In quo jam statu habentur proposita ultimi secessus annui ? 2. An sum nunc paratus ad mortem ?

XII. Habere devotionem specialem erga S. Joseph, erga angelum custodem, erga Sanctum suum tutelarem... sed ante omnia erga beatissimam Virginem.

Addo : Nihil aggredi in quocumque negotio, sive spirituali sive temporali, quin id specialiter commendetur Cordi sacratissimo Jesu per manus Virginis immaculatæ. Incredibile est quot quantaque hac pia commendatione obtineantur

1 Videsis de hoc Allocutionem nostram ad sacerdotes, initio operis nostri « Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis. »

CAPUT UNDECIMUM. — De cura mulierum religiosarum seu monialium.

§ 1. Quale judicium sibi efformare debet de vita monialium is qui earum suscipit directionem ?

CAGNI faciat munus suum director, sive sit ipse confessarius ordinarius, sive sit extraordinarius. Cura speciali, sicut Christus Ecclesiam, sponsas Salvatoris foveat. Conetur ut ipsæ quæ pro Domino omnia reliquerunt, in confessario quoque centuplum inveniant, eo quod eas juvet pietatis suæ exemplo, stimulos addendo, consilia præbendo. Cogitet quanti eas sancta Dei Ecclesia faciat ; quot quamque graves libros ediderint præclarissimi ex scriptoribus ecclesiasticis de earum gloria, merito, virtutibus ac regimine. Quis non novit tractatus Cypriani, Tertulliani, præsertim Ambrosii de virginibus ? Item sanctorum Chrysostomi, Augustini, Hieronymi ? Dum jocamur inter nos, solet dici : Monasterium femineum est tota parochia ! Esto, sed aliquando una anima, ait sancta Theresia,

pluris est in oculis Domini quam tota provincia. Sedulo perpendamus arctos limites quibus se constrinxerunt. Renunciarunt juri quod omnes habent seligendi confessarium eumque pro nutu mutandi. Grande et quandoque durum sacrificium hoc est, ideoque sunt indulgentia dignæ.

§ 2. Qualis esse debet monialium director seu confessarius ?

Conetur ipse confessarius fieri vir spiritualis. Studeat theologiæ asceticæ, non solum in libris, sed in primis in seipso et in proprio suo corde. Cognoscat vias Domini ; virtutem acquirendi discat et doceat media, illusiones dæmonum, discretionem spirituum. Præclara scripsit sancta Theresia de iis quæ in directore monialium requiruntur, et talia quæ a multis feminis forsan non sine periculo legerentur. « Non timeo, inquit, confessarium nimis doctum, modo pius et humilis sit ac sciens scientiam sanctorum. Ab hujusmodi nunquam decepta fui, sed a semidoctis, a doctis in theologia et scientiis humanis sed imperitis et inexpertis in viis Domini. » Ut vitæ religiosæ secreta intelligat monialium director, legat assidue Rodericium, Salesium, Ligorium, Saint-Jure et similes.

Teneat regulas perbreves sancti Ignatii de discretione spirituum.

§ 3. **Cognoscat regulas et usus receptos.**

Perdiscat regulas suæ Communitatis. modo non qualicumque, sed studio diligenti et assiduo. Cognoscat usus receptos. Nihil temere improbet, nihil leviter carpat; nihil immutet absque auctoritate Præsulis. Non statim se constituat reformatorem. Exspectet, observet, oret, interroget, consulat. Magni faciat ipse regulas minimas, præsertim regulas silentii, obedientiæ, caritatis mutuæ, quæ *pupilla oculi* sunt in communitatibus religiosis.

§ 4. **Quomodo se gerere debet erga superiorissam et alias moniales?**

Noscere studeat indolem superiorissæ, ejusque fiduciam comparare conetur, simulque nosse indolem seu spiritum totius domus. Notet eas ex monialibus quæ ad influxum exercendum quasi natæ sunt *(les influentes)*, et has sibi et Deo lucretur; sequentur reliquæ. Investiget quænam fuerit uniuscujusque prima educatio: alio enim modo ruricolæ, alio civitatenses ducendæ sunt; aliæ cum aliis interrogationes faciendæ sunt et cautelæ adhibendæ. Quæ

politiores sunt, difficilius noscuntur, facilius nos decipiunt, artificiosæ sunt : earum artes *(intrigues)* detegendæ.

§ 5. Quomodo se gerere debet director ordinarius erga extraordinarium?

Ordinarius ægre non ferat advocari extraordinarium, sed libenter partem oneris ac sollicitudinis suæ in eum conjiciat. Sciant omnes et persuasum habeant hoc ipsi gratum esse. In dubio num causa rationabilis adsit vocandi extraordinarium, inclinet potius in partem affirmantem. Væ cupientibus pro se quasi monopolium in hac materia!

§ 6. Quomodo se gerere debeat extraordinarius.

Extraordinarius existimationem ordinarii foveat et tueatur. Ne credat facile, si quædam forte contra eum dicantur ; omnia audiat, sed nihil decidat. Quot capita, tot sensus ! Respondeat : « Bene est, curabo, dabo operam ut omnia recte fiant ; habe patientiam, ora pro confessario tuo, orabo pro te. » Ubi autem confessiones exceperit extraordinarius, putet se satis fecisse muneri suo, et regimini domus minime se immisceat ; debet enim, sicut ordinarius,

liberam gubernationem superiorissæ relinquere.

§ 7. Quomodo audiendæ sunt confessiones monialium?

In confessionibus satagemus ut moniales discant esse breves et perbreves. Non in multiloquio consistit utilis confessio. Generatim, ubi *prima vice* accedunt, audiuntur benigne, patienter. Juvantur, interrogantur: « Nonne hoc quoque? et etiam hoc?... An licet et aliud addere? — Ita, hoc numquid? » Mirantur te melius eas nosse quam ipsæ se norunt, et cor aperitur. « An omnia dixisti? — Omnia. — En, puto et hoc restare... Nunc igitur tranquilla sis. Jam novi te, novi indolem, characterem, habitus. In posterum confiteberis solummodo tria, quatuor puncta, 1um, 2um, 3um, 4um. »

Magni refert distinguere quæ levia sunt et absque sequelis, ab his quæ graviora et periculosiora. Quoad sextum, prudentissime interroget, etiam ubi generalis fit confessio. Pauca capita sat firma sunt ut omnia minutatim explanent quin turbentur, tententur, etc. Præscinde sermones. « Sufficit, novi rem, reliqua supplebo. » Quo plus sinuntur explicare, eo magis implicantur.

Sentiant autem se magni fieri a confessario ob sublimem vocationem qua a Deo vocatæ sunt. Ostendat se bona ab iis exspectare. Omnes generatim excitari debent ad fiduciam, et ad bonam spem animari.

§ 8. Quænam discretio?

Sit maxime discretus ubique, sed præsertim in ipso confessionali. Nihil dicat, nihil aperiat quod non velit vulgari. « Raræ nantes » sunt feminæ quæ possunt tacere. Cavendum autem summopere ne quid dicatur contra superiores aut contra superiorissam, ne sub prætextu quidem solandi afflictas.

§ 9. Ne foveat partes.

Vitet diligentissime ne ansam præbeat suspicioni quasi studio aliquo partium addictus sit. Nulli præ aliis faveat. Prædilectiones sunt pestes in omni communitate: quanto magis si veniant a confessario, qui omnia pacificare, unire et componere tenetur? A nulla sit aversus. Quod si qua eum offenderit, si etiam graviter in eum debacchata sit, ferat patienter, compatiatur infirmitati femininæ, dissimulet, rem Deo offerat, oret pro ea. Ne significet quidem se rem didicisse, ne in æternum cor claudatur;

multo minus se siccum, taciturnum, vindictæ cupidum, mordacem præbeat. Peculiari modo satagat eam Deo lucrari.

§ 10. Quid si fiant querelæ?

Ne facile credat uni vel alteri querelas moventi de alia. Utramque partem pacate audiat, suspendat judicium et sententiam. Lites componere studeat. In adhortationibus publicis nunquam perstringere videatur aliquam in particulari; multo minus locum det suspicioni se aliquid ex confessionibus hausisse ad monitiones publicas.

§ 11. Vitet quam maxime familiaritatem.

Per amorem Dei vitet studiosissime, etiam sub specie boni, familiaritatem quamcumque, ne fiat ipse lapis offensionis. Excludantur e monasterio seculares, etiam devotulæ. Tempus teritur, novellæ sparguntur. Seipsum quoque, quantum fieri potest, excludat.

§ 12. Ne sit durior erga minus ferventes.

Si quædam sint valde timidæ, immo tepidæ, et quæ sint oneri aliis, ne simus duriores. Cogitemus res de quibus agitur esse sæpe minoris momenti quam primo intuitu videntur. An nihil est has feminas

absque peccato mortali transegisse annos et annos ? Quid si in seculo mansissent ?

§ 13. Sciat uti temperamento.

Non omnes ducendæ sunt per easdem vias, neque perfectio eadem ab omnibus exigenda. Non omnia possumus omnes. Quælibet pro modulo suo tractanda. Nonnullæ animæ, ait Pater Saint-Jure, sunt ita rudes et simplices *(bornées)*, ut oleum et operam perdas, si velis eas interiora docere. Utinam admissæ non fuissent ! sed nunc jam sero est. Nihil ab ipsis exigatur ultra vires.

§ 14. Studeat bono Communitatis.

In omnibus dispositionibus quæ inducuntur, magis cordi habeatur bonum Communitatis quam bonum cujuslibet privatæ. Curet director ut solide probentur quæ in novitiatu sunt. Solide quoque doceantur obligationes votorum, et moneantur de difficultatibus quas secum affert vita religiosa, quæ monotona est natura sua, maxime si diuturna fuerit.

CAPUT DUODECIMUM.—
De discretione spirituum.

UNT nonnulli qui omnia quæ *extraordinaria* dicuntur vel narrantur, statim rejiciunt ad imaginationis deliramenta vel ad malitiosam fraudem. Sunt et alii qui, fere nullo præhabito examine, valde proni sunt ad credenda quæcumque miracula et vias extraordinarias. In utroque hoc agendi modo facilis est error ; et proinde medium nobis tenendum est iter, si cavere velimus et a nimia credulitate et ab imprudenti incredulitate.

Non carebit igitur utilitate sequens

CONSIDERATIO DE DISCRETIONE SPIRITUUM.

1. Ea quæ habet sanctus Ignatius in libro « Exercitiorum » de discretione spirituum, pulcherrima sunt, solidissima, utilissima, et ab omnibus qui animarum curam suscipiunt, bene perpendenda. Et quamquam regulæ aureæ quas ibi tradit, referantur primario ad directionem earum animarum quæ, ut ita dicam, *ordinaria* procedunt via, possunt nihilominus inservire iis qui dirigere debent animas *extraor-*

dinarias vias percurrentes. At quo hujusmodi viæ altiores subtilioresque sunt, eo etiam difficilior evadit prædictarum regularum applicatio. Quapropter existimavi aliquid hic edisserendum esse circa modum quo se gerere debet confessarius, si ipsi dirigendam committat Deus animam non ordinaria via incedentem.

2. Ante omnia quædam principia in memoriam revocare oportet.

*I*um *Principium.* Triplex cogitationum genus potest homini inesse, intelligendo hoc nomine « cogitationis » aliquam operationem mentis ad quam homo plene advertit.

Primum genus complectitur eas cogitationes quæ in homine exsurgunt proprio ipsius motu seu ex mera ipsius libertate.

Secundum genus complectitur eas cogitationes quæ extrinsecus adveniunt homini ex *boni* spiritus suggestione, id est Dei.

Tertium genus constituunt eæ cogitationes quæ etiam extrinsecus homini adveniunt, sed ex *mali* spiritus suggestione.

Hinc cogitatio hominis esse potest vel fructus operationis naturæ rationalis *recte* agentis, vel fructus operationis naturæ rationalis *inordinate* agentis — vel, si est

fructus operationis extrinsecæ, potest esse vel ex suggestione boni spiritus, vel ex suggestione spiritus mali. Ita ut omnis dicta cogitatio sit vel recta operatio intellectus humani, — vel operatio erronea, deficiens a vero propter illusionem imaginationis, — vel vera propter inspirationem Dei, — vel denique falsa et illusoria propter inspirationem dæmonis.

*II*um *Principium*. Intimum et arctissimum exsistit commercium corpus inter et animam, ita ut anima agat in corpus suum et corpus in animam. Certum est animam suas impressiones communicare corpori et corpus vicissim suas impressiones communicare animæ. Hoc omnes singulis momentis in nobismetipsis experimur. At animadvertendum effectus hujus commercii varios esse pro varietate organismi humani, secundum quod is plus vel minus delicatus est, nervosus et impressionibus obnoxius.— Hoc intimo corporis et animæ commercio multa enodantur quæ aliis explicationibus minime solvuntur.

*III*um *Principium*. Quandoquidem Deus ab initio hominem ad ordinem supernaturalem evexit, elementum (ut ita dicam) *supernaturale* tam *ordinarium* est homini quam elementum naturale. Vita enim su-

pernaturalis seu vita in ordine *gratiæ* æque *ordinaria* est homini quam vita naturalis seu vita in ordine *naturæ*. — Hæc omnia sufficienter cognita suppono ex theologia.

3. Ex his sequitur magna nobis opus esse discretione ad judicandum utrum aliquid quod primo aspectu ad ordinem supernaturalem *extraordinarium* pertinere videtur, ad illum revera pertineat. Id enim quod videtur extraordinarium vel pertinet reapse ad ordinem naturalem vel pertinet reapse ad ordinem supernaturalem. Si ad ordinem naturalem reapse pertinet, explicabitur per leges physicæ et chemiæ, aut reducetur ad meras operationes phantasiæ ; si vero deprehendatur pertinere ad ordinem supernaturalem, illud ipsum quod apparet extraordinarium, potest esse vel extraordinarium *subjective* — vel extraordinarium *etiam objective*.

Vocamus autem *extraordinarium subjective* id quod fit in anima *vere supernaturaliter* sed *modo illo ordinario* quo Deus *solet* agere in animam nostram in ordine salutis, quod tamen subjecto illi in quo fit illa operatio supernaturalis, videtur (propter ejus dispositionem) constituere modum operandi extraordinarium, licet

reapse sit modus operandi ordinarius. Vocamus vero *extraordinarium objective* id quod fit *supernaturaliter quoad modum etiam* et non tantum *quoad rem*. Sic ex. g. quando sanctus Paulus audiebat vocem Domini dicentis: Saule, Saule, quid me persequeris? *aliis viris* qui adstabant, eamdem *vocem audientibus*, habebatur supernaturale *extraordinarium objective*.

4. Hæc jam sit regula quædam generalis ad dignoscendos varios casus qui occurrere possunt.

a) Si aliquid quod videtur extraordinarium, explicari potest per vires ordinis naturalis, ne recurras ad ordinem supernaturalem.

b) Si res quæ videtur extraordinaria, non potest explicari per vires ordinis naturalis, explicetur per vires ordinis supernaturalis, ea tamen cautione ut nunquam admittas aliquid tamquam *objective* extraordinarium, nisi hoc certissimis constet argumentis.

Proinde, ne statim rejicias factum, sed, admittendo veritatem facti, id est exsistere revera in casu dato impressionem supernaturalem boni vel mali spiritus (quæ, ut diximus, est aliquid valde ordinarium), rejicias in organismum corporis id quod in re de qua agitur, apparet extraordinarium.

Quomodo capienda sint ea quæ hic tradimus, per exemplum illustrare conabimur. Suppono duas personas, quarum una habeat temperamentum delicatissimum, nervosum et sensationibus aptissimum, ita ut maxima facilitate anima corpori et corpus animæ mutuo communicent impressiones suas ; altera autem habeat temperamentum minus delicatum, minus sensationibus obnoxium. Fac nunc Deum per angelum bonum loqui interne utrique animæ prædictæ ac dicere idem eodemque modo, verbi gratia, « Cito convertere ; secus non amplius habebis tempus. » Impressio quæ fit in anima personæ illius quæ habet organismum delicatissimum et nervosum, communicatur statim corpori propter commercium intimum, et tanta cum vehementia ut sibi videatur audivisse revera loquelam exteriorem. Altera autem persona, quæ minus nervosa est, intelligit se habuisse bonam inspirationem ; sed scit certissime se non audivisse loquelam exteriorem. In utraque persona habes operationem supernaturalem, sed quæ non excedit viam ordinariam ; in priori tamen habes operationem supernaturalem objective ordinariam, *subjective* extraordinariam.

5. Praxis. — *a)* Bene inspicere utrum ea

quæ videntur naturæ vires excedere, non sistant revera intra naturæ limites, vel saltem an non ingenii viribus naturalibus dilatata sint vel affectus impetu aucta.

b) In *visionibus* et mentis elevationibus perpendenda res ipsa quæ conspicitur, an vana, an inutilis vel saltem bono communi nihil conducens; vel contra. Tum ejus conformitas cum Ecclesiæ dogmatibus circa fidem et mores, cum Scripturis divinis, cum Doctorum communi sententia et Ecclesiæ traditionibus. In variis autem revelationibus solet Deus simul internum quemdam sensum ac gustum conjungere, quo se a Deo moveri Sancti cognoscunt.

c) Tarde ac lente habeatur fides talibus narrationibus et contineantur qui talia experiuntur, in spiritu humilitatis, adhibita omnimoda cautione.

CAPUT DECIMUM TERTIUM. — Quædam de visionibus.

ISIO præternaturalis, tum ea quæ a mysticis vocatur passim visio *corporalis*, i. e. homini vigili et apertis oculis aspicienti obversans, — tum ea quæ ab iisdem vocatur *imaginaria*, quia fit per imagines in phantasia obortas, — tam a dæmone quam a Deo procedere potest ; in visione vero *pure intellectuali*, utpote quæ immediate a Deo solo excitatur, nulla est timenda deceptio.

Visiones et apparitiones quæ potissimum tendunt ad revelandum aliquid quod occultum est, vocantur *revelationes :* et quidem, si hoc a bono spiritu fiat, tendit ad salutem animarum et salutarem instructionem ; si vero a malo spiritu procedat, tendit ad animarum perniciem. — Visionum, apparitionum et revelationum *dæmoniacarum* indicia sunt : infidelitas, apostasia a fide, superbia, hypocrisis et similia.

Visiones et apparitiones quæ Deum auctorem habent, etiam malis hominibus contingere possunt, et leguntur in Scripturis

factæ aliquando ipsis gentilibus. Sunt autem tales apparitiones gratiæ gratis datæ; sæpius tamen visiones et apparitiones supernaturales dantur solis justis et sanctis.

Visiones et apparitiones divinæ, si initio timorem vel perturbationem incutiant, postea jucundæ fiunt; dæmoniacæ vero si initio turbent, sic perseverant; si initio alliciant, postea turbant. — In visione corporali et in visione imaginaria, etiam divina, potest turbatio aliquantulum permanere, sed ad pœnitentiam inducendam. In diabolicis potest permanere aliqua lætitia non bona et a vera virtute aliena.

Hæ sunt qualitates et indicia visionum, apparitionum et revelationum vere supernaturalium et divinarum: 1. Si is qui talia experitur, timet ne sint diabolicæ illusiones, et ideo abstinet a talibus desiderandis et a Deo petendis. 2. Si libenter communicat cum viris doctis ea quæ experitur, et se illorum judicio subjicit. 3. Obedientia directoribus, et post visiones profectus in caritate fraterna et humilitate. 4. Dilectio persecutorum, et libentius agere cum minus credulis. 5. Tranquillitas et jucunditas mentis cum desiderio majoris semper perfectionis. 6. Si reprehendatur interius de imperfectionibus suis. 7. Petito-

rum assecutio. 8. Excitatio in aliis facta qui cum ipso versantur (nisi mala dispositio obstet) ad Dei amorem. 9. Si visiones et apparitiones contingant post ferventem orationem vel devotam sacræ Eucharistiæ receptionem, et si in iis augeatur desiderium patiendi pro Deo. 10. Carnis castigatio et gaudium in tribulationibus, oppugnationibus et omnimodis infirmitatibus. 11. Amor solitudinis, aversio ab omni superflua hominum conversatione, avulsio ab omni humano et pure naturali affectu. 12. Si conformia sint omnia cum fide et religione vere christiana et nihil adsit quod a viris doctis et piis possit reprehendi. Et ut hic unum addamus quod ad *formas* apparitionum spectat, angeli sub humana figura tantum apparere solent, dæmones vero vel sub figura humana sed atra, deformi, mutila et inusitata, vel sub forma bestiarum, non tamen columbæ aut agni. Aliquando apparent dæmones sub figura angeli lucis, sub figura etiam Christi, beatæ Virginis aut Sanctorum ; immo suadent aliquando rem quæ videtur bona, vel etiam actum virtutis, sed ut decipiant in fine.

Affert sanctus Alphonsus, in *Praxi*, n. 143, monitum sanctæ Theresiæ, animam videlicet, quotiescumque sentit se suaviter

accendi ad amorem erga Deum, hanc motionem accipere debere tamquam divinam ; non ideo tamen eam posse se aliis præferre, sed conatus eam facere debere ad perfectius coram Deo ambulandum : ita futurum esse, efficiente Deo, ut dæmon, etiamsi in his rebus extraordinariis aliquam partem haberet, victus remaneat et suis ipse armis sibi damnificet.

Animæ separatæ, etiam damnatorum, si appareant, apparent sub forma qua cognosci possint.

Videsis Bened. XIV, in opere *De servorum Dei beatificatione et canonizatione ;* Bona, *De discretione spirituum ;* scriptum sancti Petri deAlcantara quod citat Ribera, S. J., in Vita sanctæ Theresiæ, lib. IV, cap. 4.

CAPUT DECIMUM QUARTUM. — De dono orationis extraordinariæ et sublimis.

SUAREZ, in opere « De virtute et statu religionis, » demonstrat lib. IX, c. VI, per methodum orandi et contemplandi quam docet sanctus Ignatius in libello Exercitiorum, omnibus vitæ spiritualis statibus satis provisum esse. Revera, inquit, donum fuit speciali gratia illi concessum et non sine magno usu et experientia comparatum cum divina gratia : et ideo in hac forma (orandi) proponenda et declaranda et diversis hominum statibus et ingeniis accommodanda versantur fere omnia documenta hujus operis, nihilque deest quod desiderari potest.

Hæc doctrina Suarezii admirabiliter confirmatur ex iis quæ fuse scripsit de variis gradibus contemplationis noster Jacobus Alvarez de Paz, tomo III, libro v. Ex his habemus ad hoc ut quis disponatur ad quindecim gradus contemplationis de quibus agit Alvarez, satis in libro Exercitiorum sancti Ignatii provisum esse, et nihil ibi deesse quod ad hunc finem desiderari possit.

Gradus contemplationis quos describit et explicat Pater Alvarez de Paz, sunt sequentes :

1. Intuitio veritatis. — 2. Secessus virium animæ ad interiora. — 3. Silentium. — 4. Quies. — 5. Unio. — 6. Auditio loquelæ Dei. — 7. Somnus spiritualis. — 8. Extasis. — 9. Raptus. — 10. Apparitio corporalis. — 11. Apparitio imaginaria. — 12. Inspectio spiritualis. — 13. Divina caligo. — 14. Manifestatio Dei. — 15. Visio intuitiva Dei.

Ne omittat director spiritualis, occasione data, attente inspicere quæ de hac materia leguntur in Vita sanctæ Theresiæ conscripta a Francisco Ribera, S. J., et in ipsis scriptis hujus Sanctæ (1).

Cfr. etiam sanctus Alphonsus in *Praxi confessarii.*

1. Pater Augustus Poulain, S. J., edidit anno 1901 opus cui titulum fecit *Des grâces d'oraison*, et in quo testatur velle se methodo *descriptiva tantum* ad unitatem reducere modos loquendi eorum qui de his rebus scripserunt. Nuper prodiit hujus operis editio 5ª, elimata et aucta (8° pp. XVI et 600, Parisiis apud Retaux).

CAPUT DECIMUM QUINTUM. — Variarum virtutum adjumenta a directore spirituali pro tempore proponenda.

AN promptu habeat spiritualis animarum director considerationes quasdam quibus juvare possit data occasione omne genus clientum. Nos hic varia suggerimus ad complementum præsentis tractationis. Hæc autem proponendo, studemus obtinere, juxta id quod in præfatione et alias sæpe monuimus, ut fratres nostri sacerdotes prius apud semetipsos in praxim deducant bona consilia et virtutum adjumenta quæ deinde aliis commendabunt.

§ 1. Media ad obtinendum perpetuum et verum cordis gaudium.

Primo. Habere conscientiam liberam a peccatis non solum mortalibus, sed etiam venialibus gravioribus. Ratio est, quia *secura mens quasi juge convivium* (Prov. XV, 15), et in mediis tribulationibus ait Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscien-*

tiæ nostræ. (II Cor., I, 12.) Cavenda est etiam omnis animi duplicitas et omnis simulatio. Hæc enim pacis inimica sunt. Dicit autem liber Proverbiorum : *Qui ambulat simpliciter,* ambulat confidenter. (Prov., X, 9.)

Secundo. Frequenter cum vera pietate suscipere sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quod est sacramentum pacis et gaudii, in quo se dat nobis Christus, pax nostra. Ideo in ultima Cœna, postquam dederat Dominus discipulis corpus et sanguinem suum, dixit eis : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (Jo., XIV, 27.) Consolatio spiritualis tunc enim multo plenior est, quando anima illum possidet qui plene saturare potest omne ejus desiderium.

Tertio. Exercitium veræ humilitatis et mansuetudinis. Ait enim Christus ipse : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* (Matth., XI, 29.) Sicut autem vesica, inflata vento et in edito loco suspensa, non potest in vento et in fumo quieta manere, ita homini *superbo* et *iracundo* nulla est unquam quies animi nec solidum gaudium.

Quarto. Rebus quæ nobis commissæ non sunt, et de quibus proinde nulla a nobis

ratio exigetur, nos non ingerere, neque curiosius de iis inquirere. Quod si forte contingat nos aliquid de iis audire vel de iis loqui, ita nos habere conemur circa eas quasi ad res a nobis alienas et quæ ad nos non pertinent, hoc maxime caventes ne, conclave cordis nostri ingressæ, internam ejus pacem perturbent. Sæpe nobis in mentem veniat illud quod Christus respondit Petro curiosius de Joannis futura sorte inquirenti: *Si sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*, id est: Tu tua tractes, relictis rebus alienis, quæ nihil ad te.

Quinto. Nos totos nostraque omnia plene in manus Dei resignare atque committere, et ab eo in omnibus vitæ vicissitudinibus pendere. Nam sicut infantulus securus est et lætus dum versatur in sinu matris, quia neutiquam dubitat quin a matre regatur, protegatur, juvetur et foveatur, quomodocumque tandem mater illum teneat, sive dextera manu sive sinistra: ita christiano qui Deo nititur, satis esse debet ad semper gaudendum, quod semper a Deo regitur. Et sicut tessera lusoria, in quodcumque latus projecta, firmiter consistit, ita christianus æquabili et constanti deberet esse animo, quidquid

occurrat, sive lætum sive triste, hoc sæpe cum Davide repetens : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* (Ps. XXII, 1.) *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* (Ps. XXVI, 3.) Et cum alio propheta : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* (Habac., III, 18.)

Sexto. Assidue considerare nos esse *filios æternitatis*, juxta verba sancti Pauli ad Hebræos : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (Hebr., XIII, 14), et sic vitam instituere ut *conversatio nostra in cælis* sit, juxta verba ejusdem apostoli ad Philippenses. Adhiberi possunt ad hoc propositum pulcherrima verba sancti Joannis Chrysostomi quæ habemus in Communi confessoris non pontificis. Ostendit ibi sanctus Doctor juxta sanctum Paulum « fieri posse ut *semper gaudeamus*, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus exererit caput vitamque suam recte composuerit, » et ideo Paulum « hominibus adhuc in vita degentibus dicere : *Semper gaudete.* »

Innumera porro sunt loca Scripturæ quæ intuitu bonorum cœlestium spirituale gaudium provocant ; sed quoniam persuasum habemus hæc in omnium sacerdotum memoria præsto esse, sufficiat hic appo-

nere textum sancti Pauli ad Romanos, capite XII : « Obsecro vos, fratres, ut... Domino serviatis, *spe gaudentes*, » et alium textum ejusdem ad Hebræos, capite XI, ubi ostenditur nobis Moyses eligens magis *affligi* cum populo Dei et majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi ; *aspiciebat enim*, addit Paulus, *in remunerationem.*

§ 2. Considerationes proponendæ ad obtinendam magnam semper in omnibus patientiam.

Doceat director clientes suos ea quæ nos ipsi in tomo I hujus operis, pag. 51, ubi agebatur de bajulatione crucis nostræ, et dein ibidem, pag. 343, ubi sermo erat de tecto templi nostri spiritualis, ipsis sacerdotibus commendavimus, et in specie hæc quinque puncta quæ hic breviter repetimus, quia sunt valde practica.

1. Considerare nos diversis multorum annorum peccatis commeruisse mala longe graviora quam ea quæ patimur : quæ peccatorum merita, si non in isto mundo his quas patimur similibusque afflictionibus compensata fuerint, certe in futuro seculo purgatorii ignibus excoquenda erunt.

2. Conferre tribulationes molestiasque

nostras cum his quas multi alii, fortasse etiam meliores nobis, tolerant.

3. Respicere lucrum quod ex tribulatione sequetur. Sicut enim operarius in summis laboribus seipsum consolatur exspectatione mercedis, ita christianus in omnibus molestiis et afflictionibus, gaudere debet spe retributionis. Vir enim bonus, qui filius est Dei, dignior est aliquo filio regis terreni ; ac proinde major erit sine comparatione merces laboris atque molestiarum hujus filii Dei in cœlo quam filii regis in hoc mundo. Namque juxta personarum dignitatem augentur præmia laborum. Et quidem in hoc mundo, sicut abundant tribulationes in nobis, ita abundare solent et consolationes. Post mortem vero, *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (II Cor., IV, 17.)

4. Considerare quid levaminis sentiamus ex impatientia. Non enim ob id dolor minuitur aut molestia tollitur quia impatientiæ signa edimus, sed potius augetur, ex eo quod ad cetera mala etiam conscientiæ vulnus addimus. Ergo feramus patienter quod juxta Dei voluntatem ferendum videmus.

5. Omnia quæ patimur, referamus oculis

fidei ad Dei voluntatem, neque imputemus hominibus ullis mala nobis illata, sed Deo, quo auctore omnia nobis eveniunt. Sicut beatus Job, tam magno a variis accepto detrimento, nihil de ullis inimicis conquestus est, sed omnia ad Deum referens : *Dominus dedit*, inquiebat, *Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum*, eodem modo dicamus et nos. Magna est, dicit sanctus Gregorius (in hunc locum), consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur cui non nisi justum placet. Si igitur justa placere Deo scimus, pati autem nulla nisi quæ Domino placuerunt possumus, justa sunt cuncta quæ patimur, et valde injustum est si de justa passione murmuramus.

§ 3. Considerationes proponendæ ad obtinendam humilitatem cordis.

Vera humilitas non in externis sita est actionibus, sed in corde. Discite a me, inquit Christus, quia mitis sum et humilis *corde*. Per hanc virtutem homo vilis et abjectus semper est in oculis suis, desideratque ut talis haberi ab omnibus ; et si habeatur, gaudet. « Verus humilis, ait sanctus

Bernardus, serm. 16 in Cantica, vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contempu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit. »

Ad hanc virtutem assequendam et fovendam, præter monita quæ sacerdotibus ipsis pluries inculcavimus tum in multis locis operis nostri « Sacerdos, » tum in tomo I operis præsentis, commendare poterit spiritualis animarum director praxes sequentes :

I. De se suisque factis non miscere sermones, neque in laudem neque in vituperium, juxta poetæ cujusdam effata :

> Nec te collaudes, nec te contempseris ipse;
> Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Qui enim se commendat ipsum, aperte laudem quærit ; qui autem seipsum vituperat, occulte eamdem gloriam quærit : nempe cupit sua facta ab aliis excusari.

II. Frequenter sibi imperfectiones suas et peccata ob oculos ponere. Tam multa sunt vitia cujusque, ut omnes laudis occasionem tollant. Hoc autem tunc maxime usurpandum videtur, cum gloriolæ præbetur materia.

III. Libenter occupari in rebus abjectioribus, et frequenter versari cum iis qui

vilioris sunt conditionis. Sicut enim humilitatis virtus causa est actionum humilium, ita vicissim per exercitium officiorum humilium, oritur et conservatur.

IV. Superiores omnes suos tamquam Christi vicarios ex animo magni facere ; internam eis et externam reverentiam exhibere ; eorum existimationem, auctoritatem et facta apud alios, quantum fieri potest, tueri. Superiores enim reprehendere vel judicare vel parvi facere, manifestum superbiæ argumentum est.

V. Sanctorum cum Christo regnantium vitam moresque sæpius intueri, nostraque facta cum illorum actis conferre. Tali enim comparatione intelligemus nihil esse quod hactenus egimus. Juvabit etiam inspicere perfectionem hominum multorum adhuc viventium atque ex eorum vita considerare quam multa nobis desint.

§ 4. Remedia proponenda contra inanem gloriam.

Primum. Considerare nihil utilitatis sequi ex inani gloria, uti jam proposuimus sacerdotibus omnibus in aliquo examine conscientiæ (cfr. *Sacerdos*, tom. V, p. 407 sqq.). Talis enim, dicebamus ibi, quisque

est, qualis coram Deo est. Si quis vesperi, postquam discubuit, apud se cogitet quid omnis elapsi diei gloria jam illi prosit, inveniet nihil se nisi *vanitatem* consecutum.

Secundo. Considerare *gloriam amitti* ab illo qui illam quærit. Fugit namque gloria sequentem, et sequitur fugientem. Ideo omnis homo superbus et gloriosus est contemptibilis, et merito contemnitur ; humilis autem exaltatur. Exempla in utroque Testamento in promptu sunt : in Aman et Herode ; contra, in Davide et Beata Virgine.

Tertio. Considerare ex inani gloria magnum sequi *detrimentum.* Perit enim omnis bonorum operum fructus, cum quis operatur etiam quod in se bonum est ut honorificetur ab hominibus. De talibus ait Christus : *Receperunt mercedem suam.* (Matth., VI, 2.) Nam sicut aves non relinquerent intactas carnes quas in aperto campo expositas viderent, nec latrones sine damno dimitterent viatorem qui in silva pecunias palam deferret, ita dæmones, qui bonis operibus insidiantur, illa nostra merita furantur quæ per inanem gloriam exposita vident. Si autem non tanta sit inanis gloria ut omnia merita boni operis perdat, usque adeo tamen est inimica vir-

tuti omnis vana gloria, ut virtutis splendorem obfuscet, etiam quantumvis exigua, sicut qui in ardenti sole iter facit non potest non colorari.

Quarto. Considerare, ut ait sanctus Bernardus, *statum nostrum in hac vita* non esse honoris et gloriæ, sed *contemptus* potius, laboris et exsilii, inter vermes et bestias, in quo *omnia nos ad humilitatem provocant :* corpus sordidum multisque malis obnoxium, tentatio dæmonis assidua, denique Christi et sanctorum prædicatio et exempla.

Quinto. Qui laudari vult et videri, quærat laudem a Deo et sanctis et angelis, qui plures sunt et nobiliores hominibus omnibus in terra viventibus ; eorumque *laus* est *solida.* Sicut enim stultum est quærere laudem puerorum et interim a viris omnibus contemni, ita valde imprudenter agit quisquis gloriam quærit hominum et simul ridendum et contemnendum se præbet ob facta sua Deo et angelis ejus et sanctis ejus.

§ 5. Argumenta proponenda pro honore parentum et superiorum.

Primo. Cogitare quanta parentes passi sint pro nobis, et quantum onus pro nobis

sustineant superiores. Hoc argumento monebat Tobias filium suum: « Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus ; memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. » Et beatus Paulus ad Hebræos: « Obedite præpositis vestris et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes ; hoc enim non expedit vobis. »

Qui tam multa pro nobis sustinent, merito sunt honorandi a nobis ; nam licet mali superiores de suis subditis sint parum solliciti, non ideo tamen minus sustinent onus reddendæ rationis pro nobis : quod eo erit illis gravius quo negligentius in curam ovium suarum incubuerint.

Secundo. Cogitare cujus loco sint superiores, nempe Christi quem repræsentant, quemadmodum imago prototypum. Proinde sicut imaginibus Christi summum honorem omnes exhibemus aut potius Christo in ipsis, sic superioribus habendus est honor talibus imaginibus conveniens, scilicet non externa tantum reverentia, sed et obedientia, interno amore et humili obsequio.

Tertio. Considerare mercedem honoris parentibus et superioribus exhibiti. Si enim

illi sunt loco Christi, sane quidquid illis præstatur, censet Christus sibi præstari, sicut quod fit legato, fit domino legati. Proinde sicut mercenarius a famulo nomine heri ad laborem vocatus, mercedem exspectat a domino, pro domini liberalitate et opibus, non pro paupertate et conditione famuli : ita qui superioribus propter præceptum Christi obtemperat, amplissimam mercedem merito exspectare potest, pro divitiis et liberalitate Christi. Et sicut ditissimus et liberalissimus princeps, nihil, ne minimam quidem rem, patitur sibi a quoquam, potissimum vero a paupere, præstari gratis, ita Christus nullum opus, quantumvis exiguum, ex obedientia susceptum, sine amplissima mercede relinquet. Qua ex re duo sequuntur : 1° Meliorem esse subditorum quam superiorum conditionem, utiliusque esse subesse et parere quam aliquam potestatem exercere. 2° Felicissimos esse eos qui in omnibus suis rebus et actionibus a præpositorum obedientia pendent, neque aliquid agunt vel aggrediuntur nisi ex superiorum voluntate. Quidquid enim ex obedientia præstatur, mercedem peculiarem obedientiæ obtinet. Atque hinc est quod præcepto de honorandis parentibus peculiarem promissionem Dominus adjunxit,

non solum præmii post hanc vitam, sed etiam in hac vita : ut ostenderet se esse illum qui honoris et obedientiæ mercedem est daturus.

Quarto. Considerare quam graviter Deus eos punierit, in exemplum aliorum, qui parentibus aut superioribus honorem debitum non habuerunt, sed illis molestiam exhibuerant, et de quibus dicitur in Ecclesiastico : *Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem ; et est maledictus a Deo qui exasperat matrem.* (Eccli., III, 18.) Cham, irriso patre, maledictus est in sua posteritate. Esau, inobediens parentibus, amittit nobilissimam benedictionem. Filii Heli, contemnentes monita patris, a quo tamen nimis molliter reprehensi fuerant, uno die pereunt. Absalom, in patrem rebellis, ex arbore pendens confoditur. Core, Dathan et Abiron propter murmurationem factam in Moysen a terra vivi absorbentur. Maria, soror Moysis, eadem de causa lepra perfunditur.

Quinto. Intueri reverentiam Christi non modo erga Patrem suum cœlestem, cui fuit obediens usque ad mortem crucis, sed etiam erga Mariam et Joseph, quibus in hac vita fuit subditus, et quos in cœlo et in terra gloria cumulavit.

CAPUT DECIMUM SEXTUM. — De modo assistendi moribundis.

EST hoc ministerium magni *momenti* et immensæ *caritatis*. Omnia pendent ab hora mortis. Proinde bonum est in promptu habere quæ dicamus dum ad moribundos vocamur et bene tenere quæ tunc agenda sunt.

***

Vocatus ad moribundum sacerdos, statim eat, absque ullo timore morbi contrahendi.

Aliis turbatis et circa eum trepidantibus, ipse non turbetur. Hac in re admirabilis erat sanctus Franciscus Salesius.

Si moribundus notus sit confessario, prævideat is omnia dum iter facit. *Oret.*

Si ignotus sit, petat a vocantibus qualis sit homo, qualem vitam duxerit; num a longo tempore non sit confessus.

Si moribundus inveniatur destitutus sensibus, omnino ignotus, extraneus, et qui loqui non possit, inspiciantur vestes, si forte ibi invenire sit librum precum vel rosarium...

Si agnoscatur ut catholicus, detur absolutio sub conditione.

Si vixerit promiscue inter hæreticos et nullum sit signum qualis sit, ego absolverem hunc etiam sub conditione, si periculum sit in mora et animam jam agat, et quidem in hoc casu absolvatur statim.

Si sic absolutus supervivat et ad se redeat, aut si periculum non sit in mora, paucis eum alloquerer et excitarem ad eliciendum actum fidei, ad fiduciam, ad dolorem, et peterem ut det signum velle se confiteri... Quod si quid etiam olim reticuerit, quod nunc jam explicare non potest, ne angatur...

Si vero moribundus non sit destitutus sensibus, — sacerdos eum amice salutet, dein dimittat omnes adstantes et petat *ab eo jam solo* num habeat aliquid in conscientia quod ipsum angat. Proponatur novena, etc.

N. B. Etiam in aliis ægrotorum visitationibus, ne petatur ab ipsis, *aliis præsentibus*, num velint aliquid dicere sacerdoti sine arbitris.

*
* *

Observanda generatim apud ægrotos.

Ne loquatur sacerdos voce elatiori. Sermo ejus sit brevis, substantialis. Loquatur

lente, et sistat aliquoties, pausas interponendo.

Ne loquatur in faciem ægroti, sed a tergo, ad aurem.

Si opus fuerit ut ipse ægrotum adjuvet vel allevet, non tamen tangat caput ejus, sed supponat manum pulvino. Si aliquo modo eum tangere debeat vel movere, valde cautus sit.

Ne innitatur ipse lecto cubitis, nec quatiat illum genibus. Ægroti enim sunt valde sensiles.

Ne aspiciat ægrotum manducantem, maxime si sit ægrotus qui phthisi laborat.

Si homo ex vulnere inflicto moribundus sit, ne quærat ab eo sacerdos quis vulneraverit.

***

Si jam sit morti proximus :

Sacerdos loquatur in nomine moribundi, et tunc cum infirmus jam ad exhalandam animam vicinus est, auctor est sanctus Alphonsus de Ligorio ut actus pietatis suggerantur *sine pausa et fortiori voce.* Tentationes solent fieri hoc tempore contra patientiam, fidem, spem, caritatem, fiduciam. Suggerat ergo sacerdos sensa conformia hisce virtutibus.

Suggerat oblationem vitæ et protestationes conformitatis cum voluntate divina.

Aspergat moribundum aqua benedicta, maxime si eum agitari advertat, et recitet verba Psalmi : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.* Non est tamen aspergenda facies.

Identidem renovet absolutionem.

Osculandas præbeat Crucem et alias imagines sanctas.

Signum crucis super moribundo faciat, dicens v. g. *Benedicat te, Deus Pater, qui te creavit ; benedicat te Deus Filius, qui te redemit ; benedicat te Deus Spiritus sanctus, qui te sanctificavit.*

Jesu, Jesu, Jesu !

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Maria, mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Domine Jesu, suscipe spiritum meum.

Curet ut alii litanias recitent Beatæ Virginis, sanctissimi Nominis, sacratissimi Cordis...

Recitet ipse preces Ecclesiæ pia et flebili voce. Et tunc adhibeatur stola, quantum fieri potest.

Dum ægrotus proximus est morti, tradat ei candelam benedictam, ut ita in fide se mori profiteatur.

Ne nimis promptus sit ad declarandum obitum jam supervenisse. Dubia sæpe sunt signa mortis.

*
* *

ORATIO.

Confessariis omnibus

qui contriti saltem corde pie sequentem orationem, antequam confessiones excipiant, recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, concessit Pius IX. (Decr. 27 martii anno 1854.)

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni cœlorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem,

ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam. Inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer ; alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

LIBER QUARTUS

FONS BAPTISMALIS
ubi et de aliis sacramentis
et de sacramentalibus

INTRODUCTIO AD LIBRUM QUARTUM.

QUARTA res quæ cum altari, cathedra et confessionali templum catholicum intus constituit, est *fons baptismalis*. De hac re in quarto libro hujus tomi agendum est. Jam vero religio christiana, prouti a divino suo Fundatore practice instituta est, pro scopo habet animas hominum ad vitam æternam præparare, quod fit per collationem gratiæ sanctificantis ; gratia autem sanctificans potissimum confertur per sacramenta, per quæ, uti loquitur concilium Tridentinum, omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Ideo, quoniam videlicet tanti momenti est res sacramentaria in tota vita christiana, libenter amplectimur occasionem quæ hic se præbet, fusius tractandi de his divinæ gratiæ canalibus, dilatando materiam, quæ prius erat de solo baptismate, et extendendo illam ad quædam alia sacramenta, omnia quæ dicemus dirigendo ad considerationem de *spiritu* quo sacerdos Christi in eorum administratione plenus esse debet.

Felix nimirum ille sacerdos qui per pietatem, studium et meditationem adeo

plenus est cogitationibus quæ referuntur ad hæc salutis et sanctitatis subsidia, ut et aliis dare queat quasi de plenitudine sua. Quamquam porro sacramenta efficaciam suam habent ex opere operato, multum tamen conferre potest sacerdos modo ipso quo de sacramentis sive pro concione sive cum pœnitentibus et aliis loquitur, ut fideles sacramentorum majorem habeant existimationem et ea quæ recipiunt majori cum fructu percipiant. Quare summopere decet ut sacramentorum minister non solum probe norit ea quæ ipsi in eorum administratione ex officii obligatione præstanda sunt, sed etiam perspectum habeat quidquid pertinet ad ipsorum *mysticam* significationem.

Hic liber triplici sectione ea omnia complectitur quæ maxime adjuvare poterunt pium sacerdotem ad sacramentorum intelligentiam et usum, tum pro se tum pro ovibus quas divina Providentia illi commisit ad gratiæ et vitæ æternæ fontes ducendas.

In prima sectione loquemur de sacramentis *in genere ;*

In secunda, de sacramentis *in specie ;*

In tertia, de quibusdam *sacramentalibus.*

SECTIO I.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM. — De mira Sacramentorum utilitate.

SAPIENTIA divina, disponens omnia suaviter, multiplici de causa, instituit ut gratia salutaris hominibus dispensaretur per œconomiam sacramentorum, qualem eam aliquomodo jam ante Christum exstitisse novimus et nunc in Ecclesia catholica perfecte habemus. Et quidem sacramentorum œconomiam instituit Deus.

Primo, quia naturale est homini ut per sensibilia et corporalia ad spiritualium intelligentiam deducatur. Animus enim noster immortalis in hoc obscuro et caduco corpore, veluti carcere quodam, inclusus, sensuum ministerio utitur, nec citra hoc adminiculum ad divina capessenda assurgere solet. Ideo visum est Sapientiæ divinæ mortalium imbecillitati sese accommodare, et per externa symbola sive sacramenta dona eis spiritualia et divina indicare et conferre.

Secundo, instituit Deus sacramenta ut essent voluntatis divinæ, erga nos benevolæ et beneficæ, certa testimonia, ac fœderis ejus nobiscum iniți promissionumque ejus quædam sigilla. Promisit quippe Deus nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus sancti communicationem, æternam salutem: hanc suam promissionem voluit nobis per sacramenta, quasi per visibilia signa, esse confirmatam et oppigneratam. Itaque, postquam nos tum hujus redemptionis exhibitæ, tum gratiæ ac salutis participes effecit, vult per sacramenta, tamquam per infallibilia testimonia et sigilla, fidem nostram spemque excitare et corroborare.

Tertio, instituta sunt ut essent notæ quædam et symbola religionis nostræ et professionis christianæ, quibus Ecclesiæ filii sese mutuo agnoscerent et ab infidelibus distinguerentur, et sic quasi nexibus religionis christianæ in unione, humilitate et obedientia se fructuose exercerent et continerent. Adde quod, cum homo corpore et anima constet, debet Deo duplicem cultum, secundum animam *interiorem*, secundum corpus *exteriorem*, cum interiore conjunctum.

Quarto, instituta sunt sacramenta ut essent medicinæ et obvia salutis remedia.

Hæc sunt boni Samaritani medicamenta, ad animarum sanitatem recuperandam ordinata, quæ ex vulneribus Domini vim habent ad vulnera nostra spiritualia sananda. Unde sancti Patres, interpretantes parabolam illius qui, spoliatus et vulneratus, semimortuus a Samaritano transeunte assumptus fuit et in locum tutum deportatus, ubi a vulneribus sanatus est, dicunt Christum hunc Samaritanum esse, qui, Incarnatione sua transiens per hunc mundum, compassione motus, miseri Adæ infirmitates et vulnera in se suscepit, deinde ex sanguine suo et gratiæ suæ unctione, tamquam ex vino et oleo, medelam ei salutarem composuit, illumque commendavit stabulario qui curam ejus haberet, hoc est pastoribus Ecclesiæ, in qua inveniuntur medicinalia sacramenta, ab Ecclesiæ ministris vulneribus generis humani applicanda.

Magna certe et admiranda bonitas Dei nostri, qui tam prompta et tam facilia nobis dat salutis remedia! Quid est pauculum aquæ cum levi aspersione? Quid pauca verba a quolibet homine pronunciata? Hæc tamen si invicem conjungantur, adeo salutifera esse possunt ut in ictu oculi, in momento innumera abluant et sanent peccata. Iterum, quid sunt hæc pauca verba « Ego

te absolvo ? » et tamen gratiam perditam restituunt, vulnus tollunt, sanitatem reducunt, spem gloriæ in anima pœnitente excitant et instaurant !

Quinto, instituta sunt sacramenta ad edomandam hominis superbiam, dum homo, qui peccando corporalibus rebus plerumque se subjecerat, in pœnam humiliare se cogitur et sensibilibus elementis se subjicere, ac per illa remedium quærere.

Admirabiliter profecto elucet hic Dei sapientia, dum sensibilia et vilia elementa elegit ad operandum opus redemptionis, justificationis et glorificationis hominis. Nonne infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia, dum per guttulam aquæ, dum per modicum olei consecrati tantas dat homini vires contra infernales potestates et rectores tenebrarum harum ? Vis aquæ est expultrix Satanæ, auferens ei prædam, lavans animam, stola justitiæ eam vestiens et, excusso spiritu maligno, tribuens adoptionis spiritum. Carens homo hac aquæ guttula, infirmus est ; et si hoc sua culpa contingat, inferni præda est.

Merito igitur Rituale romanum sub ipso initio ait : In Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius aut magis divinum, quam sacramenta

ad humani generis salutem a Christo Domino instituta.

O si frequentius, o sacerdos, exponeres oculis fidelium stupendam hanc Dei bonitatem et sapientiam quæ in omnibus sacramentis mirifice elucent, frequentius, suavius, fructuosius ad hos fontes omnis consolationis et fortitudinis recurrerent, et in dies cresceret amor illorum erga eum qui cum tanta benignitate hos gratiæ fontes hominibus aperire dignatus est.

CAPUT SECUNDUM. — De effectu primario sacramentorum, quæ est gratia sanctificans.

UXTA Ecclesiæ doctrinam, causa formalis justificationis ac remissionis peccatorum est donum gratiæ sanctificantis. Porro donum illud reddit animam hominis Deo gratam, filiam Dei, sponsam ac templum Spiritus sancti, heredem vitæ æternæ, habetque annexa dona fidei, spei et caritatis. Est participatio quædam divinæ naturæ. — Ad hoc ultimum explicandum utuntur Doctores sanctæ Ecclesiæ et scriptores ecclesiastici plurimis exemplis. Sic v. g.

1° Exemplo *ferri candentis*. Etenim ferrum candens, licet maneat in natura ferri, tamen ita participat qualitates *ignis*, ut in naturam ignis versum videatur, ignem referens calore, fervore, colore et splendore. Sic anima per gratiæ sanctificantis donum deiformis evadit, consors divinæ naturæ divinarumque perfectionum, nimirum sanctitatis, bonitatis, nobilitatis, puritatis.

2° Exemplo *speculi*, sive radiorum solis sese in speculo reverberantium. Sol in

speculo imaginem suam imprimit, illudque facit ex illa repercussione miro splendore radiare. Ita sol Divinitatis per gratiæ donum lucem radientem et ardorem cœlestem animæ communicat.

3° Explicant naturam gratiæ sanctificantis per *vestem* et *ornatum* filiæ regis de quibus sermo est in psalmo XLIV, et quæ texuntur a Spiritu sancto ; per vestem quæ redditur filio prodigo ; per vestem nuptialem de qua in Evangelio ; per monile sponsæ de quo Isaias ; per annulum sive signaculum quo cognoscit Dominus qui sunt ejus.

Licet vero gratiæ hujus donum perfecte intelligere non possimus, nec ejus excellentiam, de illo tamen aliquid nosse datur *ex effectibus*.

Primus effectus est, tantam pulchritudinem conferre animæ ut Deus non possit non amare animam quæ gratia sanctificante ornata est, quia non potest non amare *suam* pulchritudinem in ea quasi in speculo resplendentem. *Ecce*, inquit (Cant. I, 14), *tu pulchra es, amica mea ; ecce tu pulchra es.* Pulchra per naturam ad imaginem Dei creatam, pulchrior per gratiam in reformatione, altioris ordinis imaginem recipiens.

Secundus effectus est, impertiri animæ

miram fortitudinem. Est enim velut armatura totum hominem fortificans ; est lorica totum vestiens ; est scutum bonæ voluntatis, coronans et protegens. Gratiæ sanctificantis minimus gradus, inquit sanctus Thomas, potest resistere cuilibet concupiscentiæ et vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum : minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas militat auri et argenti (3ª p., q. 70), quia semper habet adjunctum auxilium Dei speciale.

Tertius effectus est, reddere omnia opera meritoria et proportionata vitæ æternæ, licet ex se naturalia sint, ut manducare, bibere, dormire, ambulare. Nam cum sumus in statu gratiæ sanctificantis, gratia hæc est vere *vita animæ nostræ*. Sufficit ergo ut hæ actiones ex se indifferentes vestiantur a nobis bona intentione, et statim inde acquirunt dignitatem operum bonorum et meritoriorum ; quia per hanc intentionem qua anima eas dirigit ad beneplacitum Dei, mutuantur hæ actiones dignitatem animæ illius quæ per actum voluntatis suæ ipsarum est principium. Hoc etiam sensu hortatur Apostolus, dicens : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (I Cor., x, 31.)

Quartus effectus est, efficere hominem Dei filium et Dei heredem. Hoc summum est quod cor humanum potest optare sibi. Unde merito Christus discipulis gaudentibus quod dæmones eis subjecti essent, aiebat: *Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* (Luc., x, 20.) Hæc inscriptio fit per præsentem justitiam; potest autem lethalis culpa hominis eam adhuc delere. Sed donec manet, anima hominis fit per gratiam sanctificantem velut cœlum aut paradisus in quo tota Trinitas sancta inhabitat.

Ex his patet gratiam sanctificantem rem esse prorsus divinam, quam Spiritus sanctus diffundit in cordibus eorum qui justificantur, eamque esse donum dignitate primum inter omnia dona Dei, et quasi aliorum omnium parentem. Merito igitur dixit aliquis gratiam sanctificantem esse inter cetera dona Dei id quod inter elementa mundi est ignis, quod empyræum inter cœlos, quod aurum inter metalla, quod sol inter stellas, quod Seraphim inter angelos. Ipsa est ignis quidam cœlestis, qui animam inflammat eamque facit rubum ardentem et incombustum. Est aurum fulgidissimum, quo cœlestes merces et ipsum cœlum emimus. Est sol illuminans, fecundans, vivifi-

cans aridam cordis nostri terram. Est seraphicum donum, mentem accendens hominemque angelis reddens æqualem.

Quid igitur non agere, quid non pati debemus ut hoc donum cum suis effectibus tam pretiosis in nobis conservemus? Et tamen quam exili pretio hanc gemmam vendimus! Quam facile per peccata illam pessumdamus! Quam parvi facimus hunc fructum passionis Christi, qui ut eum nobis acquireret, totum sanguinem suum profudit! Quam multi sicut Esaü propter edulium, propter parvum lucrum temporale, propter momentaneam voluptatem, propter rem nihili vendunt hanc primogenituram et jus suum ad hereditatem cœlestem et æternam beatitudinem!

Sanctus aliquis vir dicere solebat: Hæc est inter miserias humanas maxima, quod scilicet non attendunt homines se, cum a gratia ad peccati statum proruunt et gratiæ vestem exuunt, induere sibi maledictionem, inducere super se horribile simulacrum diaboli et, loco imaginis Dei, characterem bestiæ sibi imprimere. Templum sanctissimæ Trinitatis et Spiritus sancti sacrarium vertunt in domicilium serpentum et viperarum infernalium, efficiunturque vasa iræ, filii damnationis, heredes inferni.

O quam prudentius multo erat hoc sancti juvenis, Joannis Berchmans, propositum, quod sibi præstituit in exitu exercitiorum sacri secessus : « Faciant alii quod volunt, liberi sunt ; ego etiam liber sum, et volo fieri sanctus, magnus sanctus, brevi tempore. Quare malo mori millies quam semel fœdari vel minimo peccato ! »

CAPUT TERTIUM. — De causa effectiva et causa meritoria sacramentorum.

CAUSA principalis *effectiva* sanctificationis nostræ est *Deus* solus ; *causa meritoria* est *Christus ut homo.*

Prima assertio patet, quia solus Deus potest principaliter peccatum remittere et illud condonare. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? Nonne tu qui solus es ?* (Job, XIV, 4.) Nemo præter Deum potest in anima creare donum gratiæ sanctificantis, cum ad hoc requiratur virtus infinita, eo quod gratia hæc sit quædam participatio divinæ naturæ secundum suam infinitatem et quædam elevatio ad naturæ divinæ consortium. Est lumen aliquod cœleste quod Deus solus animabus infundere potest. *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* (Jac., I, 17.) Ad illum solum qui auctor est puritatis, spectat purificare corda nostra a macula et fœtore peccati, potestque solus illa sanctificare, dum in illa illabitur eaque quasi templa sua inhabitat. Et sicut solus potest hanc imagi-

nem cœlestem et divinam nobis imprimere, ita solus potest hanc imaginem, si deturpata fuerit, reformare. Denique ad illum spectat reatu culpæ liberare, qui potest mittere in gehennam, qui habet claves vitæ et mortis.

Secunda assertio certa est ex eo quod Christus, cum sit mediator noster et redemptor constitutus, peccati remissionem, gratiam sanctificantem aliaque omnia salutis media nobis promeruit, ratione infinitæ dignitatis personæ suæ ; ideoque nominatur Christus ut homo auctor vitæ et salutis, quia in genere causæ moralis et meritoriæ primatum habet. Immo ejus meritis non tantum nobis datur gratia, sed etiam omnis ad illam dispositio et omne auxilium supernaturale. Cum autem Christus meruerit per sanguinis sui effusionem et per passionem, ideo *sanguini* ejus attribuitur sanctificatio nostra et peccatorum remissio ; et quia sanguis ejus medium factus est quo reconciliati sumus Patri, ideo in Scripturis vocatur sanguis ille pretiosissimus 1° Sanguis redemptionis, quia fuit pretium quo illa facta est. 2° Sanguis propitiationis, quia facti sumus prope in sanguine ipsius, et quia Deus proposuit Christum propitiatorem per sanguinem. 3° Sanguis ablutionis, quia

emundat nos ab omni peccato, et quia lavamus conscientias nostras in sanguine ipsius, et stolas nostras in sanguine Agni. 4° Sanguis aspersionis et sanctificationis, quia per fidem aspergimur in sanguine Agni in sanctificationem. 5° Sanguis testamenti, quia per illum confirmatum est testamentum quo heredes instituimur futuræ felicitatis.

Assuesce igitur, o sacerdos, ad mentionem sanguinis Christi eos grati animi sensus fovere quibus præcipit Ecclesia ut ministri ejus genuflectant, dum canuntur hæc verba hymni *Te Deum :* Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni quos pretioso *sanguine* redemisti.

CAPUT QUARTUM. — De sacramentis, ut sunt causa instrumentalis gratiæ sanctificantis.

QULCHRE explicat sanctus Thomas hanc propositionem : Sacramentum operatur ad gratiam causandam *per modum instrumenti.*

Est autem, inquit, duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus ; aliud autem conjunctum, ut manus. Per instrumentum autem conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur Humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum, sacramenta autem sicut instrumentum separatum : et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa sacramenta derivetur. (Summ. theol. 3ª p., q. 62.)

Similitudine rem explicemus, addit Marchantius : Sacramenta sunt lucernæ oleo gratiæ refertæ ; quod oleum derivatur a lampade in superiori parte candelabri eminente, hoc est a Christi Humanitate, cui

gratia superabundans et superfluens communicata est. Sic illa mysteria describit Zacharias : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud : et septem infusoria lucernis quæ erant super caput ejus.* (Zach., IV, 2.) Itaque in summitate candelabri erat lampas ardens ceteris major, et circa illam lampadem septem lucernæ minores, et ex illa superiori lampade defluebat omne oleum quo lux illa multiplex fovebatur. Sive ergo per septem lucernas intelligas septem Spiritus sancti dona et per septem infusoria ipsa sacramenta, ut aliqui volunt, sive aliter interpreteris, semper hæc manet significatio : a Christo, in Ecclesiæ candelabro superiorem partem tenente, omnem vim illuminandi derivari, omnia dona, omnia sacramenta.

Et concludit, post. quædam interjecta: Maneat itaque fixum et certum Ecclesiæ dogma, Scripturis et sanctorum Patrum doctrinæ conforme, sacramenta vere et per se, virtute a Deo sibi indita, justificare, sanctificare, corda purificare animasque a peccatis emundare, infuso gratiæ interioris dono, per quam Spiritus sanctus animam inhabitat.

CAPUT QUINTUM. — De sacramentali gratia.

NON carebit fructu cura qua sacerdos satagat populo suo explicare *quomodo singula sacramenta propriam gratiam conferant.* — Certum est enim gratiam sacramentalem aliquid superaddere gratiæ habituali animam sanctificanti.

I. Sacramenta quædam ordinata sunt ad conferendam gratiam quæ peccatum originale vel mortale tollit ; quædam vero ad augmentum et confirmationem gratiæ in anima jam exsistentis. — Sic baptismus et pœnitentia per se instituta sunt ad gratiam primam conferendam quæ remittat peccatum mortale: baptismus quidem per modum *regenerationis*, et ideo tollit etiam originale peccatum quo nascimur filii iræ ; pœnitentia vero per modum *resurrectionis et sanationis* spiritualis. Unde sanat animam a vulnere lethali vel etiam resuscitat a morte peccati. — Confirmatio autem dat gratiam secundam, hoc est robur et augmentum ipsius gratiæ, sicut et Eucharistia, quæ instituta est ad augendam et nutriendam caritatem. — Similiter et alia sacramenta hominem supponunt esse in gratia, illamque adaugent.

Itaque duo sunt principales effectus et quasi generici sacramentorum : unus est, remittere peccatum, vitam gratiæ communicando ; alter est, illam vitam conservare, augere et contra ea quæ huic vitæ adversantur, nos corroborare, ut possimus a vita gratiæ ad vitam gloriosam tandem pertransire.

II. Porro advertendum est singula sacramenta *propriam* sacramentalem gratiam conferre, juxta diversos fines ad quos singula ordinantur. Frustra enim esset tanta sacramentorum varietas, nisi etiam foret diversus gratiæ effectus per illa collatus. Hinc distinguenda est *gratia habitualis* et *gratia sacramentalis :* omnia enim sacramenta conferunt gratiam habitualem, hoc est donum illud gratiæ sanctificantis animæ inhærens per modum cujusdam habitus ; sed gratia *sacramentalis* est singulis peculiaris et super gratiam sanctificantem addit auxilium quoddam speciale, ordinatum ad proprium finem cujusque sacramenti. Et ita gratia sanctificans cum tali auxilio speciali sibi correspondente in quolibet sacramento, dicitur *sacramentalis.*

In Baptismo, gratia sacramentalis est gratia illa simpliciter prima qua primo homo sanctificatur, quæ datur per modum

spiritualis regenerationis, quia dat primum esse divinum, simul cum speciali auxilio ad conformandum se Christo et mandata ejus observanda, atque alia sacramenta digne suscipienda.

Gratia sacramentalis in Confirmatione, est gratia illa sanctificans sive augmentum gratiæ et donorum, cum speciali auxilio ad constanter profitendum fidem in baptismo susceptam, imminente licet persecutione et mortis periculo.

Gratia sacramentalis in Eucharistia, est incrementum gratiæ habitualis, et donorum ex gratia tamquam ex essentia ortum habentium, fidei scilicet, spei et caritatis, cum speciali auxilio ad hanc caritatem nutriendam, ad præservandum se a peccato, ad ingenerandam devotionem interiorem et ad producendum alios spirituales effectus ad quos hoc sacramentum ordinatur.

In sacramento Pœnitentiæ, gratia sacramentalis est gratia non simpliciter prima, sed prima post lapsum ac spiritualem mortem ; ideoque non datur per modum regenerationis, sed per modum resurrectionis cujusdam spiritualis, ut diximus, sive per modum curationis a vulnere lethali, cum speciali auxilio ad detestandum et fugiendum efficacius peccata et pro illis satisfaciendum.

In extrema Unctione, gratia sacramentalis est gratiæ augmentum ad abstergendas peccatorum reliquias, ad vincendas tentationes quæ in articulo mortis occurrunt, cum speciali auxilio ad eumdem effectum.

In sacramento Ordinis, gratia sacramentalis est augmentum gratiæ, cum auxilio speciali ad sancte et religiose exercendas sacras actiones ad Dei cultum spectantes ad quas quis per Ordinem quem suscipit, destinatur.

In Matrimonio, gratia sacramentalis est illa gratia quæ datur conjugibus ad mutuum amorem fovendum, ad fidem conjugalem servandam, ad piam prolis educationem ; et ad hæc omnia dantur specialia auxilia ad hoc sacramentum rite dispositis.

III. Licet autem gratia sanctificans suscepto sacramento *statim* detur, si non sit obex, id est si non sit in anima aliquid divinæ huic gratiæ repugnans et inveniatur in ea dispositio requisita, pro natura uniuscujusque sacramenti, tamen speciale illud auxilium de quo hic agimus non semper datur *statim ;* datur etenim *tempore opportuno*, juxta finem et institutionem sacramenti cujusque. Illi nihilominus qui sacramentum aliquod digne suscipit, confertur statim jus ad accipiendum tale auxilium

quando ei necessarium fuerit, habetque illud quodammodo sibi paratum, ita ut illud infallibiliter consequatur, si tempore illo necessitatis obicem non posuerit. Exempli gratia, qui confirmatur, non statim accipit auxilium speciale ad profitendam constanter fidem, quia non statim illo opus habet, et tale auxilium non est quid permanens aut durabile ; accipit autem jus ad illud auxilium consequendum tempore quo illo indigebit.

CAPUT SEXTUM. — De charactere indelebili trium sacramentorum.

NOMINE *characteris sacramentalis* intelligitur, testante concilio Tridentino, signum quoddam spirituale (seu animæ impressum) et indelebile quo homo peculiari modo ad divinum cultum deputatur et consecratur.

I. Triplex est hujus characteris officium in christianis : 1° debet eos Christo configurare ; 2° eos ad divina sacramenta suscipienda vel administranda deputat, vel ad speciales aliquos actus exercendos ; 3° eos ab aliis distinguit. — Porro hæc tria reperiuntur in tribus sacramentis, Baptismi, Confirmationis. Ordinis.

a) Reperitur in illis *primum officium characteris*, quia Baptismus nos Christo specialiter configurat, tamquam membra capiti ; Confirmatio nos illi sùbjicit et configurat, tamquam milites duci ; Ordo illi nos configurat, tamquam inferiores ministros summo sacerdoti. Hinc character sacramentalis, docente sancto Thoma, recte dicitur « character Christi, » quia illo nos Christus insignivit, sibi nos conformans

relate ad quædam præstanda quæ pertinent ad cultum Dei : totus autem ritus christianæ religionis, sic ille, derivatur a sacerdotio Christi.

b) Secundum characteris officium etiam in dictis sacramentis declaratur. Per sacramentum Baptismi reddimur idonei ad reliqua sacramenta suscipienda. Per sacramentum Confirmationis deputamur tamquam milites ad fidem intrepide profitendam. Per sacramentum Ordinis deputatur quis ad conficienda et conferenda sacramenta. Hinc character sacramentalis a multis theologis censetur esse supernaturalis qualitas sive habitus animæ superadditus in quantum aptum reddit hominem ad aliquid vel suscipiendum vel agendum : ita ut eo ipso quo Deus nobis characterem sacramentalem imprimit, quodammodo nos deputet et se quodammodo obliget ad cooperandum nobis in his functionibus ad quas deputamur. Sic, quod attinet ad sacramentum confirmationis, extendere licet hoc sensu ad omnes fideles qui sancte confirmationem acceperunt, hæc verba Christi : *Ego enim dabo vobis os et sapientiam.* (Luc., XXI, 15.)

Ubi advertamus oportet aliter Deum, aliter hominem se gerere, dum ad aliquod munus nos deputant. Hominum enim de-

putatio, quia solum externa est, non est ita efficax : unde ad arbitrium reipublicæ vel principis tolli solet. At vero Deus efficaciori et excellentiori modo potestatem ad munia sacra exercenda solet tribuere, per internum aliquod donum animæ infusum et immobiliter inhærens, quod hominum arbitrio tolli nequeat. Sicut etiam cum vult offensam nobis remittere, non facit id exteriori solum condonatione et reconciliatione, ut solent homines, sed interius in anima infundit et imprimit qualitatem per quam nos sibi obligatos efficit et acceptat in amicitiam. Et cum vult nos in se credere, in se sperare, se diligere, id præstat per interiora spiritualia dona animæ inhærentia, per habitum scilicet fidei, spei et caritatis, quæ interius animam exornant et nos ad harum virtutum actus promptos reddunt. Itaque efficax et perfecta est divina deputatio in muniis de quibus loquimur, propter signum spirituale characteris quo anima exornatur et per quod consecrationem quamdam indelebilem accipit ad ea quæ sunt cultus divini : quæ quidem consecratio nec magistratuum, nec principum nec hominis cujuscumque, etiam illius qui accepit, subest arbitrio aut potestati.

c) Tertium characteris officium in dictis

sacramentis declaratur. Baptismus nos tamquam domesticos Christi distinguit ab illis qui nullo modo ei conjuncti sunt, hoc est fideles ab infidelibus. Deo nimirum qui interius in anima agere potest, satis non est si fideles sui ab infidelibus signo aliquo exteriori distinguantur, sed et, interiori in anima eorum charactere impresso, eos consignat, et agnoscit ipsos sive ut domesticos, sive ut milites, sive ut ministros et sacerdotes ; idque facit per diversos characteres. Sicut per Baptismi characterem signat specialiter suos *fideles*, ita per Confirmationem signat speciales suos *milites*, distinguens signo eos qui confirmati sunt ab iis qui tantum baptizati, quique habentur ut modo geniti infantes. Similiter per Ordinem signat *ministros* suos nota speciali, ut distinguantur a reliquis fidelibus, tamquam destinati ut stent coram Domino in functionibus sacris.

II. Dicitur character horum trium sacramentorum *indelebilis*, quia de facto manebit in æternum in anima illa in qua semel impressus fuerit, quicumque demum animæ illius status postea sequatur. Est enim character ille participatio quædam sacerdotii Christi ; quod cum sit perpetuum, etiam perpetuitatem communicat characteri.

Unde advertenda est differentia quæ intercedit inter characterem hunc et alia Dei dona, ut sunt fides, spes, caritas, auxilia gratiæ, sanctificatio et similia. Licet enim gratiæ donum, etiam illud quod per sacramenta infunditur, ex se sit perpetuum, quia a nulla causa creata potest destrui, nec physice loquendo habet contrarium a quo destruatur : est enim qualitas spiritualis, incorruptibilis, in subjecto spirituali et incorruptibili ; tamen *demeritorie* per peccatum quodlibet mortale deperditur. Est enim in libero animæ arbitrio hanc gratiam et caritatem deserere per pravæ voluntatis actum, sicut et fidem ac spem, per actus fidei speique contrarios. At non est in potestate animæ, ullo etiam infidelitatis aut desperationis peccato, hunc characterem tollere aut expungere. Sic nec in hominis potestate est, dum unum ex his tribus sacramentis sufficiente consensu suo et voluntate suscipit, dicti characteris impressionem impedire, qualibet prava indispositione. Etiamsi aliquis hæretico errore imbutus esset, negans sacramentum illud vim habere talem characterem imprimendi, immo contendens hujusmodi characterem figmentum esse, illum tamen in anima sua reciperet, modo in receptionem sacramenti

consentiret. Itaque quantumlibet aliquis et fidem et baptismum suum, immo omnia sacramenta et ipsum Deum ejuret, manet in ipso hoc signum sacramentorum characterem imprimentium, adversus eum testimonium ferens et sententiam pronuncians damnationis, nisi resipiscat et ad Christi castra ante mortem revertatur.

Ex dictis concludimus, cum communi theologorum sententia, characterem sacramentalem non solum in hac vita (quod de fide est, propter canonem Tridentini), sed et post mortem perdurare. Quod si quæras ad quem usum post mortem perduraturus sit, respondeo cum Marchantio illum in Beatis recte manere, cum sit qualitas spiritualis animam quodammodo perficiens ; et servire potest ad hoc ut per totam æternitatem eos designet quibus abundantius datum est frui hic divitiis Christi. Illum autem in damnatis manere ad ignominiam et majorem confusionem, ut notior sit ingratitudo eorum qui gratiam hic acceptam neglexerunt.

Concludimus etiam, cum plerisque theologis, ex eo quod prædicta sacramenta, docente concilio Tridentino, non possunt iterari ob hunc characterem quem imprimunt, statim sequi baptizatum qui resuscitaretur

a morte, non posse iterum baptizari. Eadem de causa sacerdos qui a morte resuscitaretur, non posset iterum ordinari.

SECTIO II.
DE QUIBUSDAM SACRAMENTIS IN SPECIE.

DIXIMUS supra, capite IV, nos posse, cum Marchantio, comparare septem sacramenta *septem lucernis* quas vidit Zacharias propheta in mystico candelabro quod describit his verbis quæ ibi jam attulimus : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud ; et septem infusoria lucernis quæ erant super caput ejus.* (Zachar., IV, 2.) Supponimus lampadem significare ipsum Dominum Jesum Christum ; lucernas vero septem esse septem Sacramenta, in quæ per infusoria oleum, id est gratia Christi adducitur.

Stante ob oculos mentis nostræ hac pulcherrima comparatione, facile intelligi poterunt quæ de aliquibus sacramentis singillatim consideratis declarare aggredimur.

Prima autem lucerna in sublimi Ecclesiæ candelabro posita, est Baptismus. Ab illa lucerna primam fidei gratiæque cœlestis lucem depromimus, per quam de regione umbræ mortis vocamur *in partem sortis*

Sanctorum in lumine, ut loquitur sanctus Paulus ad Colossenses (1, 12), et adscribimur libro vitæ.

Ut probe intelligat populus tuus, o sacerdos, quanta sit excellentia hujus doni cœlestis et quantas debeamus sine intermissione pro eo Deo gratias agere, accurate explica illi cæremonias Baptismi.

CAPUT SEPTIMUM. — De cæremoniis Baptismi.

ÆREMONIÆ præcipuæ quibus Ecclesia Romana in administrando Baptismi sacramento uti consuevit, ab ipsis Apostolis venerunt, ut jam testatur antiquus auctor libri « De ecclesiastica hierarchia » sancto Dionysio Areopagitæ adscripti. Postmodum tamen nonnullæ aliæ utiliter adjectæ fuerunt, quo plenius indicarentur tam ea quæ Spiritus sanctus per hoc sacramentum in anima baptizati operatur, quam ea ad quæ nos ipsi per susceptionem Baptismi obligamur. Ad hæc enim duo referuntur omnes istæ cæremoniæ : nimirum ad significandos Baptismi effectus, et nostram obligationem nobis declarandam. — De quibus multa, eaque præclara, scripsit seculo nono Rabanus Maurus, et nos tum ex ipso tum ex aliis nonnullis pauca etiam ad omnium utilitatem afferemus.

Ante omnia igitur Baptismi *materia* remota, id est *aqua*, ex apostolorum institutione consecrari solet, infuso sacro unguento, idque fit ut significetur conferri his

aquis gratiam Spiritus sancti ad peccatorum ablutionem.

Imponitur iisdem aquis cereus paschalis, qui significat Christum novo lumine et glorioso corpore post passionem redivivum et quinque splendida vulnera ceu quinque odoriferi thuris globulos gestantem, quique per suam passionem, mortem et resurrectionem dat aquis potestatem abluendi peccata.

Quod vero jam attinet ad ritum ipsius baptismi, defertur puer baptizandus ad fores ecclesiæ, quia in domum Dei non meretur ingredi qui peccati sordibus est conspurcatus. Atque hoc loco catechizatur et exorcizatur : hoc est, proponitur ei fides Ecclesiæ catholicæ, ut sciat quid in posterum credere debeat ; et variis orationibus adjuratur dæmon, adhibita etiam lectione evangelii et exsufflatione, per quam depellitur diaboli potestas inimica, qui hactenus infidelem possidet.

Imprimitur deinde Crucis signum fronti, pectori, oculis, auribus aliisque sensibus, ut sciat 1° per sacramentum baptismi in animam suam imprimi signum Christi, hoc est characterem indelebilem quo etiam in die judicii christianus fuisse agnoscetur ; 2° aperiri sensus suos omnes ad agnoscen-

dum verum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum ; 3° obligari se ad palam profitendam omnibus sensibus et potentiis suis Christi fidem et catholicam religionem ; 4° christiano homini non esse dæmonis insignia gestanda, sed Christi crucem ei esse ferendam : christiani enim vitam non esse hic in terra deliciis plenam, sed laboriosam ; 5° corpus suum effici habitaculum Spiritus sancti : quia ex signo externo domui alicui præfixo cognoscitur quis in ea habitet, et quid operis in ea agatur.

Postea datur degustandus sal benedictus, ad significandum *a)* quod per baptismum anima a putredine et fœtore peccatorum liberatur, ut a vermibus peccatorum ultra non putrefiat, sed magis illæsa servetur, ad majorem gratiam percipiendam. *b)* Quod ipsi gustus datur rerum spiritualium, ne illa posthac insipida sint ei quæ in ecclesia traduntur, sed potius delectetur, videat et gustet quam suavis sit Dominus. *c)* Quod veram accipiat et divinam sapientiam, in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudenter, temere aut irreligiose agat. Sal sapientiæ quo initiantur catechumeni, ait venerabilis Beda, in cunctis operum nostrorum sacrificiis offerre jubemur. *d)* Quod per gratiam Baptismi ipsum cor-

pus christiani liberabitur aliquando ab omni corruptione.

His peractis, inducitur baptizandus in ecclesiam, ubi initio tanguntur a sacerdote aures et nares ejus saliva, sub prolatione verborum Christi, quibus ipse usus est in sanatione surdi et muti, *Ephpheta*, quod est Adaperire, tali contactu significando 1° quod jam verum et vivum efficitur Christi membrum, cum reliquo corpore capiti adhærens ; 2° quod aures ejus internæ aperiuntur, ne ad divinas promissiones, comminationes aut admonitiones obsurdescat, sed facile intelligat vocem Domini et pastoris sui, juxta illud : *Oves meæ vocem meam audiunt* (Jo. x, 27), ut norit discernere vocem pastoris a voce alienorum et spiritum Christi a spiritu pseudoprophetarum, atque ut audiat mandata Domini sui eaque in intimo cordis sui reponat. Nares etiam attinguntur, ut aperiantur ad percipiendum odorem notitiæ Dei ; ut ex creaturis non fœtorem sensualitatis vel alium odorem peccaminosum hauriant, sed suavem et animæ salutarem, hoc est ut homo Deum in omnibus creaturis agnoscat, illis non nimis adhæreat, illas non immoderate admiretur vel cum periculo magni faciat, sed pro creaturis, rebus caducis et perituris habeat, in qua

.consideratione sita est vera et christiana scientia. 3° Quod sicut Christus cæcum illum a nativitate, luto ex saliva oculis imposito, ad aquam Siloe abluendum misit, ita baptizandus, sordibus peccatorum infectus et conspurcatus, ad Baptismum lavandus mittitur.

Postea sequitur *abrenunciatio*, de qua beatus Hieronymus: In mysticis, inquit, primum renunciamus ei qui in Occidente est nobisque moritur cum peccatis ; et sic, versi ad Orientem, pactum inimus cum Sole justitiæ et ei servituros nos esse promittimus (Comment. in Amos, cap. VI). Et beatus Ambrosius, in libro De Mysteriis, cap. 2 : « Renunciasti *diabolo* et operibus ejus, *mundo* et luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. » Sanctus autem Gregorius, Hom. 29 in Evang. : « In die baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus atque omnibus pompis abrenunciare promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat ; et, si servat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus jam quia fidelis est, gaudeat. »

Ista renunciatio ob id ab omnibus catechumenis ante Baptismum instituitur, ut

christiani sciant non esse solorum monachorum aut religiosorum renunciare seculo, sed hanc esse omnium christianorum professionem ut non sint de hoc mundo, sicut et Christus non fuit de hoc mundo, ut deserant et oderint mundum atque omnia quæ in mundo sunt, ut cor sursum habeant ad Dominum, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, atque hanc professionem tam esse propriam et intimam christianis, ut qui eam negligit non minus censeatur reus quam religiosus violans professionem suam.

Deinde ungitur baptizandus oleo sanctificato in pectore et scapulis, 1° ut sciat se quasi Christi athletam luctamen hujus seculi esse luctaturum : solent enim luctatores inungi ; 2° ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant : penetrans quippe oleum significat interiora quæque hominis etiam curari ; 3° ut sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio et gratuita misericordia donari, quæ per oleum significatur, juxta illud Psalmistæ : *Impinguasti in oleo caput meum* (Ps. XXII). 4° Quia oleum est medicamenti species, per hanc unctionem significatur interna vulnera animæ nostræ, hoc est passiones et noxias infirmitates, hac medicina curari, fomitem-

que ipsum, quantumvis non omnino exstinguatur, at certe debilitari et frangi, viresque et robur spirituale nobis reddi ad omnes dæmonis et carnis tentationes repellendas, juxta illud : *Peccatum vobis non dominabitur ; non enim sub lege estis, sed sub gratia* (Rom. VI, 14). Qua de re pulchre Lactantius, Cyprianus et Augustinus, qui hujus rei experientiam mirabilem tum in seipsis tum in aliis referunt.

Venitur ad fontem baptismalem ; quo in loco examinatur catechumenus de fide orthodoxa, trina interrogatione juxta tres in Divinitate personas. Ut sciat : 1° sine recta fide Baptismum nihil prodesse ; nam *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. XVI, 16). 2° Hoc sacramentum sic esse et dici « sacramentum fidei, » ut per illud infantibus *virtus fidei* infundatur et adultorum *fides* gratia divina illustretur, firmetur et in virtutem perficiatur.

Ubi vel adultus per se vel susceptores pro infante tertio responderint « Credo, » et item sacerdoti interroganti : Vis baptizari ? responderint : « Volo, » confertur Baptismi sacramentum, corpus abluendo et cor ipsum purgando ab omni peccato, lavacro aquæ in verbo vitæ, invocato nomine sanctæ

Trinitatis : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

Post hanc ablutionem, in qua consistit ratio hujus sacramenti, inungitur a presbytero novellus christianus sacro chrismate in vertice capitis cum hac aut simili oratione : Deus Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Fitque hæc unctio ex ordinatione sancti Silvestri papæ, ut ait Rabanus Maurus (De clericorum institutione, lib. 1, cap. 28). Fit autem, tum ut christianus sciat se Spiritus sancti gratiam in hoc fonte accepisse, qui columbæ specie in Christum Dominum baptizatum descendit, tum ut intelligat se, jam inunctum interna gratia et externo chrismate, merito posse vocari christianum.

Deinde sacerdos baptizatum induit candida veste vel tegit caput ejus velo candido, his verbis : Accipe vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam et vivas in secula seculorum. Amen. Quæ quidem vestis significat 1° puritatem animæ et justitiam qua anima, jam ab omni sorde peccati purgata, tamquam candidissimo vestimento in-

duitur ; 2° libertatem christianam, quam in hoc sacramento sumus assecuti, erepti de tenebris carceris et immani servitute diaboli ; 3° lætitiam internam et gaudium spiritus ; 4° futuram resurrectionem, ad quam per Baptismi sacramentum jus et pignus accepimus ; 5° innocentiam christianam, quam post ablutas veteres maculas studio sanctæ conversationis immaculatam servare debemus, ut eam præsentare possimus ante tribunal Christi.

Postremo omnium porrigitur baptizato adulto cereus ardens, hisce verbis : « Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi baptismum tuum ; serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, una cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam et vivas in secula seculorum. Amen. Vade in pace, et Dominus sit tecum. Amen. » Hoc cereo significantur tres theologicæ virtutes, quæ baptizato per sacramentum infunduntur : fides in lumine, caritas in calore, spes in cerei recta altitudine, quæ ex imo sursum ascendit, sicut spes nostra ad cœlos usque erigitur et nos erigit. Ceterum hic cereus datur gestandus manibus, quia non sufficit corde fidem, spem et caritatem retinere, nisi etiam operibus eas

virtutes prodamus et exseramus. Ideoque his virtutibus instructi jubemur *ire* in pace, hoc est non otiari, non quiescere, non contenti esse his quibus donati sumus, sed operari, progredi de virtute in virtutem, ad anteriora nos extendere, in novitate vitæ ambulare. Et sicut nobis in baptismo cereus datur, ita egressuris ex hac vita redditur, ut eo tempore tali signo protestemur nos Christi fidem inviolatam retinere, caritatem amplecti et spe bona fulciri, optareque, quod in nobis est, Christo sponso nostro occurrere, cum sapientibus virginibus gestantes lampades ardentes manibus nostris, nempe firmum propositum Deo placendi eique serviendi.

Habet porro etiam hoc antiqua Ecclesiæ consuetudo ut in sacramento baptismi *nomen* imponatur ; quod olim in veteri Testamento in circumcisione usitatum fuit. Atqui sicut in ecclesiis christianorum mutabitur ritus sacrificiorum, ut jam non offeratur aliquid cum sanguinis effusione, ita erit et mutatio nominum, ut qui prius nomina sortiebantur consentanea religioni suæ, sive gentilismo, sive judaïsmo, nunc habeant nomina Sanctorum qui in Ecclesia virtutibus suis præcelluerunt ; idque propterea ut talium vitam et mores sibi christiani imi-

tandos proponant, utque patronos in cœlo habeant eos quorum nomina gerunt in terris.

Susceptorum officium, quod in Ecclesia antiquissimum esse constat, in eo potissimum versatur ut susceptor, quem nunc *patrinum* vocant, susceptum, si opus fuerit, in his quæ fidei nostræ sunt, instituat. Sicut enim in naturali vita nullus homo sine patre nascitur et sicut homo natus solet pædagogo tradi ad erudiendum, ita mater christianorum Ecclesia, ubi Christo aliquem per baptismum genuit, sedulo curat ne ei desit institutor sive pædagogus ; et non contenta parentibus carnis, qui sæpe filios ad suam consolationem, non ad spiritualem ipsorum utilitatem diligunt, juxta sermonem Christi Domini : *Inimici hominis domestici ejus* (Matth., x, 36), providet eis de aliis institutoribus, quorum officium est 1° pro infante ipso respondere, mundo renunciare, fidem profiteri, ita plane ut per os susceptoris infans loqui censeatur et sese obstringere ; 2° sese obligare ad institutionem infantis, ipsique Ecclesiæ testari et fidejubere se omnem daturos operam ut infans iste vel adultus iste in his quæ sunt christianæ religionis erudiatur.

*
* *

Assuesce, o sacerdos, quotiescumque contingit te hoc sacramentum administrare, attenta mente cuncta peragere quæ in ejus administratione præstanda sunt, et identidem grato animo de his cæremoniis coram Deo meditari.

CAPUT OCTAVUM. — De cæremoniis et effectibus sacramenti Confirmationis.

SECUNDA lucerna mystica Candelabri nostri est Sacramentum Confirmationis, quo novus ardor, nova gratia accenditur in cordibus fidelium ; ut nunquam primam fidei lucem per Baptismum succensam patiantur in se exstingui, vel desidia et torpore, vel flatu tentationum incursante, vel periculo mortis exterrente. Ad hoc nempe servit Confirmatio sacramentalis ut quos invenit tirones, efficiat strenuos et infractos milites, in hostili prœlio inter vulnera etiam exsultantes.

De hoc eximio sacramento sequentia, o sacerdos, assidue considera et opportuno tempore eadem explica populo tuo.

Sicut in sacramento Baptismi generatur homo per aquam et Spiritum sanctum, ut sit *christianus*, ita per sacramentum Confirmationis adolescit homo in eodem Spiritu sancto et perficitur in virum, ut sit *plenus et perfectus christianus* juxta morem loquendi cum aliorum antiquorum tum concilii Eliberitani (a. 305), canone 38 et 77.

Quia vero in hoc mundo tota ætate victuris, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in Baptismo generamur ad vitam; post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur; post Baptismum roboramur. Spiritus sanctus in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Numquid prodest, si quisquam magnam pupillo conferat facultatem, nisi provideat et tutorem? Hac de re Paraclitus regeneratis in Christo custos datur et defensor.

In quo sacramento hoc *primum* observandum, solum episcopum esse ejus ministrum ordinarium, quia, ut ait Eugenius IV in decreto pro Armenis, de solis apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum apostolorum lectio manifestat. Et quia sacramentum Confirmationis est perfectio hominis christiani, et in omni arte fieri videmus ut opus quod rudior inchoavit, peritior perficiat, congruum est ut supremæ auctoritatis ac potestatis munus sit ultimam perfectionem huic operi addere per quod homo christianus ex integro constituitur. Discant porro ex hac re christiani confirmati se non parvulos esse in fide, neque decere ut circum-

ferantur omni vento doctrinæ ; sed contra stabiles sint atque immobiles in spe Evangelii.

Observandum *secundo*, materiam remotam sacramenti Confirmationis, hoc est Chrisma, episcopali benedictione consecrari ; et hunc morem ad primævam Ecclesiæ traditionem referendum esse docet sanctus Basilius, in libro de Spiritu sancto, cap. 27. Per hoc significatur omnem perfectionem a Christo proficisci, cujus personam episcopus plenius gerit quam alius privatus sacerdos.

Tertio, hæc materia non est simplex liquor, sed unguentum compositum atque commixtum ex oleo olivarum et balsamo. Oleum, inquit concilium Florentinum in decreto Eugenii IV pro Armenis, nitorem significat conscientiæ ; balsamum vero, odorem bonæ famæ. Designat præterea oleum gratiam Spiritus sancti ; balsamum rursus, quia odoriferum, professionem fidei. Ait beatus Cyprianus ob id balsamum et oleum misceri, ut significetur omnes christianos esse debere sensu aliquo spirituali reges et sacerdotes.

Hoc sacro unguento imprimitur fronti *signum crucis*, ut ne erubescamus fidem Domini pro nobis crucifixi publice profiteri.

Simul significatur 1° imprimi in anima christiani per Confirmationis sacramentum Characterem de quo egimus capite VI; 2° dari bene dispositis copiosam Spiritus sancti gratiam, qua non solum sine gravamine, sed etiam cum jucunditate legem Dei implere possint; 3° conferri audaciam profitendi fidem tum verbo tum sancta vivendi ratione, et robur ad resistendum salutis adversariis, tum internis, tum externis. « Ideo nos unxit, ait sanctus Augustinus (Tract. 33 in Jo.), quia luctatores contra diabolum fecit. » 4° Infundi christiano per hoc sacramentum septiformem Spiritus sancti gratiam, et quidem : *a*) donum *intellectus*, quo facile apprehendat quæ de Deo rebusque divinis audit ; *b*) donum *sapientiæ*, quo illa vera esse non solum credat, sed spirituali etiam gustu sapiat ; *c*) donum *scientiæ*, quo in creaturarum æstimatione agat ut christianum decet, non pluris scilicet eas faciendo quam merentur, sed pro rebus caducis et perituris eas habendo ; *d*) donum *consilii*, quo actiones suas perpetuo moderetur voluntate divina, in omnibus sequendo dictamen Spiritus sancti ; *e*) donum *fortitudinis*, ut sine cujusquam, vel hominis vel maligni spiritus, metu aggrediatur et perficiat quod rectum est ; et non

in externis tantummodo rebus, sed etiam in passionibus internis domandis et subjiciendis sese virum strenuum præbeat; *f*) donum *pietatis*, ut in Deum divinaque omnia interna devotione moveatur, Deum ut pium patrem amando, res sacras venerando, proximos et creaturas omnes in Deo et propter Deum sincero affectu diligendo; *g*) donum *timoris Domini*, ut interna reverentia Deum metuat, nihil æque ac Dei offensionem caveat, ejus majestatem cogitans, non quidem ut servus, sed ut verecundus filius. — Quæ dona, tametsi etiam in sacramento Baptismi conferuntur, plenius tamen et perfectius dantur in sacramento Confirmationis.

Quarto, episcopus capiti confirmandi manum suam imponit : unde etiam a veteribus Confirmatio appellatur « sacramentum impositionis manuum. » Per hoc autem significatur *a*) christianum hic peculiari modo a Deo attingi et perfectius Ecclesiæ incorporari, copiosius accipiendo de spiritu Christi ; *b*) eum digniori loco jam esse in Ecclesia, nempe eum quoad vitam christianam non amplius censeri inter infantes et pueros, sed inter viros ætate firmatos, quorum officium sit, utpote militum, *alios in certamine juvare ; c*) eum a Spiritu sancto,

tamquam solidissimo scuto, adversus tela hostium protectum iri ; *d*) venialia peccata ei remitti, atque etiam mortalia, si quæ in conscientia ipsius occulta lateant quorum non succurrat memoria. Attactus enim manuum significat reconciliationem et unionem cum Deo.

Quinto, episcopus ei quem confirmat, levem alapam impingit, non modo ut is susceptí a se sacramenti sit memor, memor etiam vitæ instituendæ quæ tantæ gratiæ respondeat, sed etiam *a*) ut sciat se talem jam militem esse constitutum cujus pugna et victoria non in inferendis, sed in tolerandis verberibus cernatur : sicut apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *b*) Ut non quærat nimis commoda sua, et sciat etiam incommoda hujus vitæ sustinere. Est quippe militis non in deliciis vivere, sed humi cubare, pondus armorum gestare et incommoda multa ferre. *c*) Ut intelligat officii sui esse in acie stare ictusque et tela observare unde veniant, et paratum esse corpus, honores et opes exponere, ne anima sua quoquo pacto vulneretur.

Sexto, cingitur frons velo, tum ob reverentiam sacri Chrismatis, tum ad signifi-

candam ignominiam quæ pro Christi nomine est negligenda. Christiani enim militis est apud Deum et cives cœlestes honorem quærere ex pugna, non apud mundum ex otio et desidia. Qui namque novit per Spiritum sanctum quanta sint proposita præmia servis Dei rite decertantibus, quamque exigua sint ea quæ mundus admiratur, is magno animo præfert cum Christo contemptum honori, ignominiam gloriæ, infamiam crucis cuilibet existimationi in terris.

Solet in hoc etiam sacramento adesse susceptor seu patrinus, tum quia olim, quando simul eodemque tempore utrumque sacramentum, Baptismi et Confirmationis, adultis conversis administrabatur, iidem utrobique neophytum suscipiebant in fide instituendum, tum etiam ut sciat christianus ita se per gratiam Spiritus sancti perfectionem esse assecutum, ut tamen sibi fidere non debeat, sed aliorum provectiorum consilia libenter audire et amplecti.

Ex his omnibus tum Baptismi tum Confirmationis cæremoniis luculenter apparet quanta res sit in oculis Dei homo christianus, qui tot mysteriis, orationibus, unctionibus et benedictionibus initiatur et consecratur, et quantopere deceat ut perpetuo meminerimus nos divino cultui dedicatos

esse et longe sacratius quam vel calicem sacrum, vel templum, vel altare solemin consecratione ejus servitio deputatos. Cogitemus proinde frequenter majorem injuriam Deo fieri, cum christianus seipsum fœdat quovis peccato mortali, quam si calix, altare vel templum materiale secularibus usibus profanetur. Sæpe id cogitandum est quod ex Jeremia in quotidiana lectione recitat Ecclesia : *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos : ne derelinquas nos, Domine Deus noster.* Et illud Apostoli : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* (I Cor., III et VI.)

RECAPITULATIO

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

Ex iis quæ de his duobus sacramentis diximus, colligi potest quinam sint effectus qui in anima hominis per ea producuntur.

EFFECTUS SACRAMENTI BAPTISMI.

1. Imprimitur in anima character indelebilis.

2. Remittuntur penitus peccata omnia, qualiacumque et quantacumque.

3. Remittitur omnis pœna, sive inferni sive purgatorii, pro peccatis debita sive etiam ab homine pro iisdem irrogata.

4. Pellitur ab homine dæmon.

5. Anima prius mortua in oculis Dei, accipit vitam supernaturalem.

6. Anima hæc induitur interna justitia, et splendore mirabili.

7. Homo efficitur membrum Ecclesiæ, sub capite Christo, accipiens eumdem Spiritum sanctum quem habet Christus.

8. Efficitur filius Dei adoptivus per inhabitantem gratiam et Spiritum sanctum.

9. Veram accipit libertatem ab omni servitute diaboli et peccati.

10. Infunduntur ei virtutes omnes theologicæ et morales.

11. Sensus omnes interni animæ ejus aperiuntur, ad cognoscendum et gustandum Deum et res divinas, creaturas autem æstimandas tanti quanti valent.

12. Datur homini robur ad recte vivendum.

13. Infunditur animo ejus interna lætitia et gaudium spirituale.

14. Confertur ei jus ad vitam æternam et regnum cœlorum.

15. Corpus ipsum hominis christiani fit domicilium Spiritus sancti.

16. Diminuitur in homine vis fomitis et concupiscentiæ.

17. Corpori ejus promittitur immortalitas, impassibilitas, claritas, agilitas aliæque dotes in resurrectione universali conferendæ.

EFFECTUS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

1. Imprimitur in anima hominis qui confirmatur, character et signum Christi.

2. Remittuntur ei peccata levia seu venialia.

3. Remittuntur etiam mortalia quæ per oblivionem confiteri omisit, sic tamen ut, si postea dum confitetur occurrerint in memoria, teneatur ea clavibus subjicere.

4. Ex infante vel puero in negotio religionis Christi, transfertur homo confirmatus in virum : qui quidem præcipuus est hujus sacramenti effectus, unde omnes alii sequuntur.

5. Dantur ei plenius septem dona Spiritus sancti, quibus animus hominis disponitur ad

percipiendum divinos instinctus et eis obtemperandum.

6. Virtutes theologicæ et morales confirmantur et augentur.

7. Instruimur armis contra dæmones, contra mundum et carnem, ut non erubescamus fidem profiteri et dæmonem non metuamus.

8. Juvamur ut cum jucunditate præcepta Dei ejusque voluntatem exsequamur.

9. Efficimur, propter gratiæ augmentum, gratiores Deo.

10. Post hanc vitam habetur rite custodita confirmatio pro titulo majoris gloriæ, sicut majori mercede donantur viri quam pueri.

***

Quam utile esset tibi, o sacerdos, ad proficiendum strenue in via sanctitatis, singulis annis in sacro secessu serio considerare an forte radii istius sacræ lucernæ apud te aliquid de suo fulgore amiserint, unde impar fueris ferendis laboribus belli quo nunc Ecclesia premitur.

***

De *tertia lucerna*, quæ est *sacramentum Eucharistiæ*, actum est in toto libro primo hujus tomi.

***

Quarta lucerna mystica nostri Candelabri est sacramentum *Pœnitentiæ*. Hæc allucet præcipue his qui, lapsi in peccatum mortale post Baptismum, rursus in tenebris versantur: datur autem ut, prævio ejus lumine, ad vitam supernaturalem et lucem gratiæ per triplicem viam, contritionis, confessionis et satisfactionis, revertantur.

De hoc sacramento fuse actum est in libro tertio hujus tomi. Sufficit ergo hic addere quædam de cæremoniis quae adhibentur in ejus administratione et de effectibus ejus.

CAPUT NONUM. — De cæremoniis et effectibus sacramenti Pœnitentiæ.

CHRISTUS Dominus, cum in hoc mundo ageret, præbuit se aliquando judicem, aliquando vero medicum et pium curatorem, non solum corporum, sed etiam animarum. Judicis officium exercuit, sive minando et pœnam infligendo, ut cum de templo ejecit vendentes et ementes, et dirum Væ, hoc est æternam damnationem comminabatur scribis et pharisæis; vel sententiam pronunciando, ut cum paralytico dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, et de peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* et quando in cruce pendens paradisum promittebat latroni. Medicum se ostendit, curatione tot morborum, consolatione tot animarum. *Venite*, aiebat, *ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Qualem autem se Dominus exhibuit hominibus, tales voluit esse vicarios suos, nempe apostolos et primos discipulos eorumque successores, episcopos et presbyteros, quibus potestatem dedit remittendi peccata,

conscientias ligandi atque solvendi. « Nostris sacerdotibus, inquit sanctus Chrysostomus, non corporis lepram, sed animæ sordes, *non dico testificari* purgatas, sed *prorsus purgare* concessum est. » Et paulo supra : « Pater omne judicium dedit Filio, ut ait Joannes ; sed video idem judicium a Dei Filio sacerdotibus traditum esse. » (De sacerdotio, lib. III.) Hos nimirum cum sublimi potestate præposuit Christus Ecclesiæ suæ, ut simul et *judicum* animarum et *medicorum* animarum officio fungerentur : *judicum* quidem, in pœna imponenda, in danda vel neganda absolutionis sententia ; *medicorum* vero, in suadendo, in monendo, in remediis indicandis quibus peccata in posterum præcaveri possint.

I. Juxta hoc duplex officium institutæ sunt et ordinatæ variæ consuetudines et cæremoniæ quæ in hujus sacramenti administratione notantur. Magis tamen spectant officium judicis, quia in hoc loco potissimum est et præstantissimum.

Primo itaque pœnitens sese in terram prosternit ad pedes sacerdotis (seu genuflectit), *a*) Ut se reum esse ostendat mortis æternæ, veniamque se petere significet. *b*) Ut ostendatur in hoc potissimum sacramento magnam humilitatem requiri.

Secundo, manus servat complicatas et oculos demissos, tum ob easdem causas, tum ut indicetur animum hic esse debere recollectum, non vagum sed cum Deo unitum, tamquam in præsentia Christi. Digiti conjuncti simul et elevati significant collectum esse per conscientiæ examen omnium peccatorum fasciculum, oris confessione offerendum, ut in rogum Dominicæ crucis projiciatur et igne passionis Christi comburatur. Tunditur etiam pectus initio confessionis, quando dicitur *Mea culpa, mea maxima culpa*, ad significandum tum internis cordis dolorem de peccatis conceptum et detestationem præteritarum noxarum, tum promptum animum ad peccata commissa juxta arbitrium sacerdotis expianda.

Tertio, pœnitens accusator esse debet sui, peccata a se commissa clare et integre declarans ore, tum quia in judicio non fertur a judice sententia nisi prius reo accusato, neque condonatur accusato delictum, nisi, malum quod egit confessus, veniam precetur ; tum quia medicus curare non valet vulnera quæ ignorat.

Per hæc igitur quæ pœnitens exterius agit, non solum indicantur tres partes pœnitentiæ (ut concilium Tridentinum loquitur), nempe contritio, confessio et satisfa-

ctio, quæ ad integritatem sacramenti, uti ait, in pœnitente requiruntur, sed et quædam *conditiones* quæ in ipsa peccatorum *enunciatione* inveniri debent : integritas scilicet, ne quid scienter, quod mortale sit, reticeatur ; puritas, ut non inficiatur confessio aliquo mendacio vel simulatione ; humilitas, ut fiat confessio cum interna reverentia in conspectu Dei — Atque ista quoad pœnitentem.

At vero sacerdos : 1. *Sedet* tamquam judex, quandoquidem sacramentum Pœnitentiæ institutum est a Christo per modum judicii, ut docet concilium Tridentinum.

2. Pro auctoritate sua de peccatis *inquirit*, et singula examinat, tamquam habens a Christo « clavem scientiæ, » quæ officium tum judicis tum medici significat. *Judex* porro inquirit, ut sciat quid puniendum sit, quid condonandum, quomodo sententia temperanda ; *medicus* vero, ut cognito morbo facilius remedia adhibeat. Partes autem tam rei quam infirmi hic sunt pure, candide, vere et aperte ad interrogata respondere.

3. In aliquibus regionibus sacerdos proferens absolutionis sententiam, manum imponit capiti pœnitentis, ex antiquo Ecclesiæ consuetudine, qua peccatores per manus impositionem absolvi solent et recon-

ciliari. Hac cæremonia significatur : *a*) peccatorem, qui hactenus fuit obligatus servituti peccati, nunc manu mitti et libertati restitui. *b*) Eum mystico corpori Christi rursus tamquam vivum membrum inseri. *c*) Remissionem peccatorum conferri per adventum et delapsum Spiritus sancti, qui reipsa per dona animam hominis attingit et mundat, totiusque hominis protectionem suscipit, juxta id quod scriptum est in psalmo XC. : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

II. Non erit difficile ex prædictis colligere hujus sacramenti *effectus*, qui duplicis sunt generis : priores proficiscuntur ex vi sacramenti seu ex potestate clavium ; posteriores ex ipsa præsertim actione pœnitentis.

Et quod ad priores attinet, — constat Pœnitentiæ sacramentum a Christo institutum esse ut christiani qui per peccatum in Dei offensam incurrerunt, remedium habeant quo denuo in gratiam cum Deo redeant. Ideo vocatur jam a Tertulliano « secunda post naufragium tabula. »

Ac proinde *primus* præcipuusque effectus est *remissio peccatorum* omnium quæ post Baptismi receptionem committi possunt : per dignam enim hujus sacramenti receptionem delentur et condonantur omnia

simul peccata, non solum levia et venialia, sed etiam quotcumque, qualiacumque et quantacumque mortalia.

Secundus effectus est *restitutio* eorum bonorum quibus per peccatum mortale homo privatus erat. *a*) Redditur ei gratia Dei et justitia interna, per quam reconciliatus et ornatus vivit Deo et efficitur denuo amicus Dei et filius ejus adoptivus. *b*) Redeunt omnes illæ virtutes infusæ quæ per peccatum mortale amissæ fuerant, et roborantur habitus earum quæ aliquo modo remanserant, ita ut homo possit rursus cum facilitate et delectatione bonum operari. *c*) Restituuntur ei omnia dona Spiritus sancti, ut rursus valeat facilius capere, gustare et cum suavitate spirituali considerare cœlestia Deique motionibus facilius et plenius cooperari. *d*) Opera bona ante peccatum facta et per peccatum mortificata reviviscunt, et sic recuperat bonorum illorum operum merita. *e*) Restituitur ei jus ad vitam æternam et ad hereditatem Dei, cum facultate merendi de condigno, ob dignitatem quam habet utpote filius Dei adoptivus.

Tertius effectus est *depulsio malorum* quæ per peccatum invecta erant. Multa sane mala adducit peccatum : *a*) obligatio-

nem pœnæ pro accepta contra divinam voluntatem delectatione; *b*) servitutem, qua misere a diabolo ita captivus tenetur peccator, ut miris modis ad omnem ejus nutum impellatur; *c*) inquietudinem et vermem conscientiæ continenter rodentem, unde quædam carnificina interna exsistit; *d*) habitus perversos et vitiosos, animum hominis vehementissime ad malam inclinantes.

Hæc omnia tam tristia per hoc sacramentum auferuntur. Etenim:

1. Reatus pœnæ æternæ omnino et semper tollitur; licet obligatio ad pœnam temporalem tunc tantummodo plane auferatur, quando suis omnibus partibus est completum Pœnitentiæ sacramentum, hoc est quando pœnitens non solum corde doluit et ore confessus est, sed etiam opere satisfecit, vel quod operibus satisfactoriis deest, hoc aut magnitudine doloris aut alia ratione compensavit. Hæc est autem consueta christianorum tepiditas, ut pauci has tres partes perfecte adhibeant. Quapropter rarissime locum habet ut peccata dimittantur quin pœna aliqua etiam post absolutionem subeunda maneat, quæ vel in hac vita toleranda erit vel in purgatorii ignibus post hanc vitam.

2. Restituitur homo in pristinam libertatem christianam, ut jam non ad nutum dæmonis, concupiscentiæ et mundi, sed ad voluntatem Dei vitam instituat, et tanta ei confertur dignitas ut operibus bonis promereri possit titulo justitiæ mercedem æternam.

3. Redit in animam ejus serenitas cum consueta pace et gaudio, sublatis anxietatibus et omnibus tricis quibus homo ille per peccatum implicabatur.

4. Quamquam habitus vitiosi per peccatum inducti non statim in justificatis exstinguuntur, sed paulatim tantum per exercitia bonorum operum, non parum tamen per gratiam sacramentalem imminuuntur, et quod ex illis remanet jam non ad demeritum relinquitur, sed ad exercitium et certamen, ad obtinendum per gratiam Dei meritum majoris coronæ et gloriæ.

Posterioris generis effectus sequuntur quidem præcipue, ut diximus, ex ipsa actione pœnitentis; confirmantur tamen et perficiuntur per gratiam Spiritus sancti quæ vi sacramenti infundi solet.

Primo, vehementer juvat ipse actus peccata confitendi ad exstirpandum ex animo hominis superbiæ vitium, ex quo peccata omnia tamquam ex fonte oriuntur et sine

quo peccata nulla committuntur. Cogitur enim homo ex instituto hujus sacramenti ad pedes hominis alius sese abjicere, illi cor suum totum pandere, nihil quod speciem constituat peccatorum suorum celare, reprehensionem et pœnitentiam pro ipsius arbitrio admittere et sententiam ab eo tamquam a judice suscipere. Præterea, dum vitia sua expendit, dum sibi peccatorum suorum enormitatem et multitudinem ob oculos ponit, dum suam inspicit malitiam, incipit sibi displicere et minus alte quam solebat, de semetipso sentire.

Secundo, ex ipsa confessione oritur in homine pudor et erubescentia de peccatis admissis, quæ usque adeo Deo grata est ut « partem habeat remissionis, » ut ait capite 10 auctor libri De vera et falsa pœnitentia, diu adscripti sancto Augustino, et addit : « Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus ut nemo pœniteret in occulto : in hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti et erubescentiam vincit timore Dei offensi, fit dignus venia criminis. Fit enim per confessionem veniale quod criminale erat in operatione. » Ille etiam pudor facit ut segnior sit homo ad peccandum, dum committere timet quod erubescit confiteri.

Tertio, magna est utilitas in admonitione

sacerdotis, per quam pœnitens *a*) discit peccata agnoscere et discernere: quæ res est non exigui momenti, dum quidam gravia peccata minimi æstimant, alii contra minoribus aut his etiam quæ peccata non sunt, plus æquo torquentur. *b*) Remedia discit vitandi peccata. *c*) Monetur ut serio resipiscat atque ex animo doleat. Virtus autem sacramenti gratiam addit et lumen, ut homo percipiat, sapiat et credat quæ a sacerdote dicuntur. *d*) Auxilium accipit ex pii sacerdotis orationibus, quas pro pœnitente ad Deum fundit, ex ejusque dolore et gemitu ac lacrimis quibus ex animo peccatori compatitur. Habetur hic quædam efficientia salutaris et emolumentum pœnitentis ex *opere operantis ministri.* Ita namque confessarius ad exemplum Christi et beati Pauli affectus esse debet et sese infirmis accommodare, ad eis condolendum eosque dolore ac lacrimis suis ad verum dolorem excitandos, sicut sanctum Ambrosium fecisse quando pœnitentium peccata in confessione excipiebat, narrat Paulinus, notarius sancti episcopi, in ejus Vita.

Quarto, confessio peccatorum ad totius reipublicæ utilitatem redundat. Sicut enim externa constituuntur judicia et tribunalia ad continendos homines in officio conser-

vandamque publicam pacem et tranquillitatem metu pœnarum, ita hoc tribunal sacramenti Pœnitentiæ est institutum a Christo ut metu divinæ vindictæ ab omnibus justitia erga proximum sincere et ex animo servetur, ut peccata quæ eam lædunt cohibeantur, ut unicuique quod forte ablatum fuerit restituatur, ut homines inter se quiete vivant, superioribus morem gerant et pauperes eleemosynis juvent : quæ omnia multo purius solius Dei intuitu et metu fiunt quam metu humano.

Conclusio practica. Hæc attendens, o sacerdos, et memor eorum quæ diximus capite IV° libri primi hujus tomi, de mira potestate sacerdotis in corpus Christi mysticum, obstupesce cum sancto Chrysostomo, et usurpa ejus verba quibus exclamat in libro III de Sacerdotio, quem modo citavimus : « Qui in terra incolunt, potestatem acceperunt quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, *Quæcumque ligaveris !* Habent quidem qui in terra regnant, potestatem ligandi ; sed corpora solum. » Et concludit, et tu conclude cum ipso : « Debent ab humanis affectibus esse liberi, qui ad tantam potestatem evecti sunt ! » Et quoad exercitium hujus ministerii, firmum sit tibi pro-

positum induere sensa misericordiæ, exemplo sancti Ambrosii, de quo scribit in ipsius Vita notarius ejus Paulinus : « Erat gaudens cum gaudentibus, et flens cum flentibus ; siquidem quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat ut et illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. » Hic modus agendi suorum sacerdotum gratissimus est Cordi Jesu.

CAPUT DECIMUM. — De cæremoniis et effectibus Extremæ Unctionis.

UINTA lucerna nostri Candelabri est sacramentum Extremæ Unctionis. Hæc lucerna potens est præbere nobis lumen in extremo discrimine et exitu caliginoso hujus vitæ. Tunc enim opem lucidam affert contra densas aliquando tenebras quæ, ex timore mortis, judicii, inferni obortæ, multipliciter animam involvunt.

Extremæ Unctionis sacramentum ob id nimirum a Christo est relictum Ecclesiæ, ut fideles, sicut in exordio vitæ suæ mortalis aliquo cœlesti sacramento initiantur et in Ecclesiam militantem admittuntur, ita in egressu suo ex hoc mundo sacramento item cœlesti roborentur et cum supernaturali consolatione in æternitatem dimittantur. Proinde *cæremoniæ* omnes quæ in Extremæ Unctionis administratione locum habent, eo referuntur ut christianus ad mortem ægrotans facilius morbum toleret et beatius migret ex hac vita.

Primo itaque, multæ ad Deum funduntur preces pro infirmo, quibus divinum auxilium imploratur.

Secundo, invocari solent lectis Litaniis sancti Dei omnes, tum ut in hac extrema pugna qua dæmon omnes suas vires exserit, infirmus eorum præsidio muniatur et ex eorum præsentia consolationem accipiat, tum ut animam ejus, quando ex hoc mundo emigrabit, comitatu suo ad sedem beatitudinis cum triumpho deducant.

Tertio, sacro oleo olivarum inunguntur sub signo crucis quinque sensuum organa, dum interim rogatur Deus ut ignoscat quidquid his sensibus commissum est mali. Et hoc ita fit ut significetur *a*) hoc sacramentum adhiberi per modum medicamenti, ad languorem animi curandum, sicut oleum corpus debilitatum confortat et curat; *b*) dari vires ad luctandum cum dæmone; *c*) conferri gratiam Spiritus sancti, quæ per oleum symbolice figurari solet.

Imprimitur autem *crux*, *a*) quia hæc dona quæ Extrema Unctio præstat, nobis conceduntur per merita Dominicæ passionis et crucis. *b*) Ut in ultima cum dæmone pugna hoc signo utamur, eoque sensus nostri muniantur, ne per eos inimicus noster in animam irrepat. *c*) Ut hoc signum crucis ad tribunal Christi judicis deferamus, declarantes nos sub crucis vexillo constanter usque ad finem mortalis vitæ depugnasse.

Effectus sacramenti istius, qui a beato Jacobo indicantur, ex prædictis cæremoniis non difficulter colligi possunt. Sic enim ait : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis significat apostolus tres effectus.

1° *Oratio fidei*, hoc est, virtus sacramenti quod administratur per orationem innixam fidei, *salvabit infirmum*, hoc est, per gratiam Spiritus sancti infusam salvabit animam, ornans eam pulchritudine et miro splendore, quo dæmonibus efficiatur terribilis, utque ex hac vita migrans per media hostium agmina intrepide transeat et ad regnum cœlestis gloriæ veniens altiori loco collocetur quam si sine hoc sacramento migrasset. Corpus vero aliquando sanatur « in quantum expedit, » ut docet concilium Florentinum in decreto pro Armenis, et sine miraculo evidenti fieri potest. Idem docet concilium Tridentinum his verbis : Infirmus « sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. »

2° *Alleviabit* eum Dominus. Alleviatio hæc est gratia infirmum corroborans

ad levius ferenda incommoda morbi et per « magnam fiduciam divinæ misericordiæ, » ut Tridentinum loquitur, facilius superanda ea quæ in ultimo agone contingere solent. Nam *a*) homo naturaliter metuit mortem ; *b*) terretur plus minus cogitatione exactissimi judicii, cujus consideratio peccatorem in desperationem injicere posset; *c*) dæmon acrius instat et animam moribundi vehementius impugnat, sciens ab hoc ultimo tempore omnia pendere, et prout longa experientia et perspicacitate sua cujusque conditionem et indolem didicit, variis artibus utitur, ut hunc pusillanimitate et desperatione dejiciat, illum nimia præsumptione attollat, alium vanis occupationibus distrahat. *d*) Morbus ipse hominem deprimit et contristat, adeo ut de Deo, de rebus cœlestibus et de animæ suæ salute non libenter cogitet. *e*) Ægrotus facillime ad impatientiam, ad querelas, ad suspiciones aliasque imperfectiones movetur, neque valet suis passionibus prout conveniret resistere. — Adversus hæc omnia incommoda juvat hoc sacramentum tamquam saluberrima medicina, per quam mortis et judicii timor minuitur, dæmonis vires per Spiritus sancti præsentiam franguntur, animus recreatur et sublevatur atque ad resistendum

dæmonis, mundi et carnis tentationibus roboratur. Impediuntur per gratiam sacramenti vitiosi habitus, ne contra rectam rationem sese exserant, ne superbia, avaritia, impatientia, sensualitas aliæque id genus pravæ affectiones in actum prodeant et novos reatus in animam inducant. Denique confertur ægrotanti lætitia interna et consolatio spiritualis qua sese divinæ bonitati penitus committit et in protectione Altissimi conquiescit.

3° *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Hoc est, *a*) remittuntur peccata venialia virtute gratiæ quæ per sacramentum confertur. *b*) Si quæ sint mortalia peccata quorum in confessione non memineramus, per hoc sacramentum directe tolluntur, et sic fit ut contritio etiam imperfecta, quæ in confessione satis erat obtinendæ remissioni peccatorum mortalium, idem nunc valeat sine confessione, propterea quod ob infusam gratiam et caritatem imperfectus de peccato dolor pro perfecto accipitur. *c*) Minuitur et etiam aliquando tollitur pœna quæ peccatis mortalibus debebatur. *d*) Denique hoc sacramentum est protestatio quædam fidei catholicæ, qua quis in exitu vitæ suæ declarat se, sicut hactenus in Ecclesia militante cum justis communionem habuit, ita posthac

optare sibi consortium cum sanctis in Ecclesia triumphante : et hæc protestatio novus titulus est ad obtinendum a Deo ut condonet peccatorum reliquias.

Ex his conclude, o sacerdos, quanta tibi cura esse debeat et sollicitudo ad erudiendum populum tuum de excellentia hujus sacramenti, ut illud magni faciant et vehementer exoptent illud in quavis ægritudine mortali suscipere. Cave ne quis tua negligentia tanto salutis medio privatus moriatur, cum periculo pereundi in æternum.

*
* *

Sexta lucerna in nostro Candelabro est sacramentum Ordinis. Hæc lucerna lucidissima est, ex qua potestas sacra luxque gratiæ specialis depromitur a ministris Dei ad eam accedentibus, per quam possint omnia sacra rite obire et cum fulgore *interiori* coram Domino in ministeriis digne stare. Ex illa etiam desumitur ignis ardens zeli gloriæ Dei ac salutis proximi, quo possint ipsi non solum lucere, sed et ardere et alios accendere igne illo cœlico quem Dominus venit mittere in terram et vehementer optat accendi.

De iis qui hoc augustissimo sacramento donati sunt, multimodis sermo fuit in hoc secundo tomo « Templi spiritualis. »

CAPUT UNDECIMUM. — De Matrimonio christiano.

EPTIMA lucerna mystica eminentis nostri Candelabri, est sacramentum Matrimonii. Jacebat in terra matrimonium tempore Legis veteris : tunc enim situm erat in contractu quodam civili tantum et terreno ; sed Christus veniens illud in sublime evexit et in Ecclesiæ candelabro posuit, ex contractu naturali efficiens sacramentum, addita speciali significatione conjunctionis suæ cum Ecclesia, sponsa sua. Sic huic lucernæ addidit lucem ; addidit et oleum, cujus participes esse possunt ii omnes qui, carnis infirmitati condescendentes, conjugia ineunt.

Hoc posito, attente considera, o sacerdos, et doce solerter plebem tuam ea quæ in sequentibus punctis circa hanc materiam proponuntur.

I^um^ PUNCTUM. — Benignitas Salvatoris in hoc sacramento instituendo.

Christus elevans Matrimonium, quod erat primitus officium naturæ tantum, ad rationem sacramenti, addidit ei tria.

Primo, addidit *firmitatem majorem* quam

habebant matrimonia veteris Legis, quæ patiebantur solutionem per libellum repudii, et divisionem, per pluralitatem uxorum ; majorem quoque firmitatem quam eam quæ inest matrimoniis infidelium, quæ possunt dissolvi, si convertatur ad fidem christianam unus conjugum et alter nolit cohabitare sine injuria Creatoris, ut patet ex Apostolo.

Secundo, Christus Matrimonio addidit *perfectiorem significationem.* Nam si Matrimonium Adæ significabat futuram conjunctionem Christi et Ecclesiæ quæ facta est per Incarnationem et caritatem, Matrimonium christianum multo melius et perfectius significat illam conjunctionem jam consummatam, quæque non solum in Incarnatione facta est, sed et in cruce tamquam in amoris thalamo. Unde de Matrimonio Legis novæ maxime intelligitur illud Apostoli : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Ephes. v, 32) ; quasi dicat : Matrimonium in Christi Ecclesia magnum est sacramentum, quia significat perfectissime unionem Christi et Ecclesiæ jam factam, et quia amor conjugum, purus et perfectus, repræsentat amorem Christi et Ecclesiæ. Ideoque vos, conjuges, excitate in vobis et fovete amorem mutuum et sincerum exemplo Christi et Ecclesiæ, ut non

sit inanis repræsentatio in vestro conjugio. Vir, ut caput, diligat uxorem tamquam corpus suum, sicut Christus diligit corpus suum mysticum, Ecclesiam. Uxor diligat et timeat virum suum, sicut Ecclesia Christum. Hæc est summarie intentio Apostoli in hoc capite quinto ad Ephesios.

Tertio, adjunxit conjugio *gratiam specialem.* Hoc asserit concilium Tridentinum sequentibus verbis : « Gratiam vero quæ naturalem illum amorem perficeret et indissolubilem unitatem confirmaret conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. » Hæc igitur est gratia sacramentalis, quæ recte dispositis applicatur in sacramento Matrimonii virtute passionis Christi, gratia scilicet amorem naturalem perficiens, adjuvans ad onera Matrimonii subeunda, quasi administretur ex hac lucerna oleum cœleste quo ungatur jugum vitæ communis, ita ut mollius et suavius fiat a facie hujus olei supernaturalis.

IIum Punctum. — **Excellentia cælibatus et continentiæ.**

Pro tua consolatione, o sacerdos, et pro consolatione eorum qui amplexi sunt statum

virginitatis, vel quos constituit Deus in statu viduitatis.

I. Quid *perfectius* sit in hac materia, notum est ex Apostolo dicente: Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit (I Cor. VII). Quasi diceret: Argentum non est reprobandum; aurum tamen est præferendum.

Ex parabola quadam evangelica discimus agrum Ecclesiæ tripliciter cultum triplici quoque messe adornari, fructu videlicet trigesimo, sexagesimo, centesimo. Pars prima agri colitur per conjugatos pie conversantes, et fructum affert trigesimum. Secunda pars per vidualem continentiam, et duplum fructum profert. Tertia per castitatem virginalem, et centuplum infert in horreum Domini. Susannæ matrimonium, fidelitate et pietate excultum, non fuit sine fructu. Castitas vidualis, sive Judith, sive Annæ in templo, longe ampliorem produxit. Virginitas beatæ Mariæ, matris Dei, supereminet sine comparatione. Etenim status castitatis virginalis est vera imitatio vitæ cœlestis, ut post Christum et apostolum Paulum docent omnes Patres et sancti. Audi sanctum Cyprianum: « Domini vox est illa dicentis: Filii seculi hujus generant et generantur; qui autem habuerint digna-

tionem seculi illius et resurrectionis a mortuis, non nubunt neque matrimonium faciunt. Neque enim incipient mori; æquales enim sunt angelis Dei, cum sint filii resurrectionis (Luc. xx, 34-36). Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto seculo jam tenetis; per seculum sine seculi contagione transitis. » (*De habitu virginum*, cap. 22.) Idem in eodem libro vocat virgines « illustriorem portionem gregis Christi, decus et ornamentum gratiæ spiritalis, florem ecclesiastici germinis. »

II. De *securitate*, etiam claret ex capite VII ad Corinthios, ubi asserit Apostolus multa esse impedimenta salutis in matrimonio, multa adjumenta in cælibatu. *Qui sine uxore est*, ait, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Summa moniti apostolici hæc est : Cum tam breve tempus hic nobis sit ad placendum Deo æternaque bona consequenda, ideo suadeo cælibatum, quia conjugati, per onera conjugii varie dis-

tracti, Deo vacare fere non possunt, dum in cælibatu licet se Deo ex integro impendere. In conjugio oportet partiri animum, in uxorem, in proles, in familiam, in cogitationes de negotiis, de lucro, de opibus, de statu filiorum, de collocandis in matrimonio filiabus, de emendis fundis, de domibus exstruendis, de perpetuanda familia : hæc omnia animum cœlo avocant, terræ immergunt, et sic quandoque absorbent ut multi vix semel solido de die mentem ad Deum dirigant. Cælibatus contra animum hominis colligit ad Deum et divina, dat otium et gustum ad cœlestia, cum facultate serviendi sine impedimento Patri spirituum, illum assidue obsecrandi ejusque gratiam jejuniis et aliis bonis operibus promerendi. Hæc est prima ratio Apostoli.

Altera ratio est, quia cælibatus eximit a tribulationibus carnis, quibus scatere solet vita conjugalis. Etenim *a*) magna molestia est viro si incidat in uxorem imprudentem, vel superbam, vel dicacem, vel impatientem, vel morosam, vel rixosam, aut quæ non sit bona materfamilias : jam vero in tale quid non incidere, difficile est. *b*) Magna est afflictio parentibus, si liberi protervi sint, contumaces, prodigi, si ad mala consortia abrepti, si poculis aleisque

dediti, si stupidi, si defectibus laborent animi vel corporis. *c*) Uxori tribulatio est non solum ex viri dominatu, ex ejus ira, ebrietate, prodigalitate, zelotypia, sed et ex paupertate, ex rerum damnis, morte prolium, filiarum incontinentia vel certe nimia libertate ; et licet omnia dicta removeas, manet tamen tribulatio carnis ob fastidia et dolores partus, ob anxiam curam prolis et innumeras alias miserias. An non hic multa orationis salutisque impedimenta ?

Gratias ergo age Deo ex toto corde, o sacerdos, quod vocando te ad statum cælibatus, occluserit tibi periculorum magnorum fontem atque amoverit a te multa quæ tibi fuissent impedimenta in divino servitio.

III^um^ PUNCTUM. — De vocatione ad matrimonium.

I. Licet cælibatus perfectior sit *per se* matrimonio, multi tamen per matrimonium vocantur ad salutem. Hoc indicat Apostolus cum dicit : *Volo omnes sicut meipsum esse, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (I Cor. VII). Quasi dicat : Cuperem omnes continentiam amplecti, sicut et ego feci, et vitæ genus perfectum sequi, in quo, liberi a sollicitudinibus et a carnis tribulatione, in aula mentis

suæ possent assidue vacare divinis laudibus, gustare bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi (Hebr. VI, 5), ac soli Deo placere corpore puro et corde. Sed quia Deus, nolens hanc perfectiorem castitatem concludere sub præcepto, diversa instituit vitæ genera, matrimonium, cælibatum, religionem, viduitatem, sic neminem adstringo. Aliquos enim vocat ad hunc statum, alios ad illum, et unicuique præbet donum cœlestis auxilii, ut, si cooperari velit, possit in statu suo salutem invenire. Unusquisque ergo attendat quo vocetur a Deo ; et, cum statum ex divino instinctu elegerit, advocet Dei donum, invocet auxilium illique strenue cooperetur : nec enim Deus illi deerit, si sibimet non desit ipse. Et quia aliqui tantæ sunt infirmitatis ut se non contineant, sed, ardore libidinis invalescente, urantur lædanturque, succumbentes fornicationi vel libidinosæ corruptioni, ideo his etiam suadeo ut matrimonium ineant, tamquam infirmitatis remedium. *Melius enim est nubere quam uri*, quam carnis desideriis incessanter agi et angi, vinciri et vinci, cum salutis dispendio. Hæc est summa mentis Apostoli in hoc loco.

Ex quo colligitur quosdam vocari ad matrimonium tamquam ad remedium, dum

hanc quasi tabulam arripiunt ne fluctibus carnis in perniciem abripiantur, vel dum in conjugio suppeditatur eis veluti aquæ frigidæ remedium quo cupiditatis ignis, in illicitas libidines exæstuans, licito morbo temperetur.

II. Sunt qui vocantur ad matrimonium ut in eo ad aliquam vitæ perfectionem perveniant, per patientiam nimirum inter tot onera et tribulationes, per sanctam prolis educationem perque alia virtutum opera statui huic congrua, sicque ceteris exemplo suo præfulgeant. Ita in conjugio perfectus fuit Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Job. Nec defuerunt eis variæ tribulationes et sollicitudines, a filiis, ab uxoribus, a servis et ancillis, a propinquis, a domesticis negotiis. Sanctæ mulieres plurimæ fuerunt a Deo ad matrimonium destinatæ, ut non tam in his terris quam in cœlis sancta sua germina propagarent. Et nunc speciali lætitia in cœlis exsultant, dum filios suos vident in circuitu mensæ Domini et filias suas coronas virginitatis suæ matribus offerentes.

III. Quotquot igitur a Deo vocati sunt ad statum matrimonialem, possunt in eo salutem æternam consequi, immo ad certam vitæ perfectionem pertingere et ingentia sibi comparare merita in vitam futuram. Si

vero vocati non sint, infelices in eo erunt nimium, et innumera incurrent pericula æternæ perditionis. Est ergo vere momentum hoc a quo pendet æternitas, tempus scilicet quo status eligitur vitæ. Multi sunt tamen qui, carnem et mundum sequentes, matrimonia nectunt cæco gressu, sine deliberatione matura, sine consultatione cum Deo per orationem et prout eos passio turbulenta agit. Quapropter, ut agnosci queat voluntas Dei ab eo qui de statu vitæ deliberat, aliqua *media* præscribunt viri sancti.

1° Monent ut serio cogitet de fine ad quem a Deo creatus est, videlicet ut æternum Deo fruatur. Ad hunc finem obtinendum debet homo totum ætatis suæ cursum ordinare ; huc omnis ejus intentio dirigi debet.

2° Monent ut se coram Deo sistat, purgata conscientia, et ut, remota passione vel affectu inordinato ad terrena, intret in cor suum, coneturque suam voluntatem cum indifferentia perfecte offerre Deo, ut Deus inspiret quod ipse voluerit. Caveat homo summopere ne voluntatem suam obstinate inclinet ad hunc potius statum quam illum, sed paratus sit ad firmiter amplectendum id quod erit consonum voluntati divinæ,

licet carnali vel mundano desiderio contrarium.

3° Ne forte mundus oculos terreno inspergat pulvere, bonum est in hac deliberatione sibi ob oculos ponere horam mortis et a se petere : Quid tunc elegisse volam ?

4° Consideret unusquisque talenta sua, indolem, vires corporis, rationes *serias* pro uno statu vel altero, et hæc omnia secundum Deum perpendat. His vero omnibus bene perpensis, si quamdam aversionem sentiat ab aliquo statu, censere potest ad eum se non vocari ; si contra cum pace interiori, cum magna in Deum fiducia, cum gaudio conscientiæ ad alium se moveri sentiat, hunc potest eligere.

IV. Ex his patet in electione status matrimonialis a multis errorem committi.

Sunt qui hunc statum eligunt quia volunt parentes imitari qui illo fruiti sunt. Non considerant filio non semper congruere id quod parenti congruebat, et idem esse dicendum de filiis spectatis inter se ; quandoquidem non est omnium eadem complexio et indoles, quod in Esau et Jacob nimis claruit.

Aliqui primario respiciunt terrena, opes, honores, et ob id solum arripiunt occasionem oblatam opulenti matrimonii.

Aliqui permittunt se aleæ, dicentes: Sufficit ut possim, licet ægre, animam salvare in matrimonio; ad perfectiora non adstringor. Non cogitant nullum esse viatorem qui breviorem et securiorem viam non eligat, nisi rationes aliter agendi serio probaverit.

Aliqui tunc cum Deo consulunt, cum jam prævenerunt ejus inspirationem prævio affectu in rem inordinate quæsitam, ex pene firmato delectu.

Neque solum an ineundum sit matrimonium a Deo exquirere oportet, sed etiam cum qua persona. Porro in his angelus invocandus est, qui a Deo mittitur ut dirigat unumquemque in viis suis.

IV^um^ PUNCTUM. — **De officiis parentum circa primam prolis educationem.**

1° Debet proles sæpe offerri Deo, utpote depositum sacrum a Deo parentibus creditum, cujus cura incumbit eis maxima.

2° Statim ac potest aliquid eloqui puer, assuefiat recitationi Salutationis angelicæ, deinde Orationis dominicæ, discatque cum lacte nomina Jesu et Mariæ cum affectu et reverentia pronunciare.

3° Dum paulatim adolescit, instituatur in

rudimentis fidei et pietatis, et doceatur confusa quadam ratione quid sit Deus, quid Christus, quomodo omne obsequium nostrum Deo consecrandum.

4° Discat mandata Dei, ut tempestive agnoscere valeat quid sit peccatum, quomodo Dei offensivum sit, quantum illum horrere debeamus, et juxta ætatis captum proponatur punitio malorum angelorum et hominum peccatorum, præmium bonorum, tormenta inferni, gaudia cœli.

5° Doceantur pueri quid sit sacrosanctum sacrificium Missæ, quomodo illi cum reverentia et devotione sit assistendum, quid in eo adoretur, quid in tabernaculo eucharistico contineatur. Immo discant filii, statim ubi capaces sunt, sacro ministrare cum humilitate et reverentia. Imitentur parentes pii Judæos illos de quibus Evangelium dicit: *Afferebant ad Jesum infantes ut manus eis imponeret et oraret.* Ipse autem Christus ait: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire.*

6° Oportet ut parentes pueros assuefaciant Pœnitentiæ sacramento, modumque confessionis instituendæ doceant, et inculcent eis quam necessaria sit confessionis integritas; incipiunt enim jam puerili ætate serpere impuritates graves de quibus con-

scientia cum rationis illucescentis judicio eos arguit, dum ex alia parte ab earum manifestatione verecundia deterrentur. Sic in multam ætatem vermem rodentem secum ferunt cum vitiositate confessionum et injuria sacramenti. Unde postea multi graviter anguntur et licet multiplicatis confessionibus vix ac ne vix quidem sibi satisfaciunt.

7° Assuefiat puer orationi faciendæ mane et vespere ad Deum, ad Christum, ad beatam Virginem, ad angelum suum tutelarem, ad sanctos patronos suos, exciteturque ejus affectus ut piis his exercitiis a tenero oblectetur. Habeat pias imagunculas et altariolum, in quo sint imagines Christi et beatæ Virginis, ut coram iis genuflectere discat. Immo dentur ei cerei ibidem in die sabbati et diebus festis beatæ Mariæ Virginis accendendi, ut sic pietati quæ in dies crescat et solidior fiat, via sternatur.

8° Sexus uterque suo jungatur sexui, nec permittantur pueri cum pueris diversi sexus ludere, propter periculum impuritatis quam, instigante satana, sibi mutuo facile pueri affricant, sicut experientia nimis notum est. Unde cavere etiam debent parentes ne proles teneræ ætatis diversi sexus in eodem lecto decumbant. Sed nec impudicum aut

scurrile ullum verbum coram pueris proferatur ; et caveant parentes ne id fiat ab iis qui in domum admittuntur.

9° Ut pueri jam ab infantia ad misericordiam inclinentur, non abs re erit si per manus prolium eleemosynas erogent parentes.

10° Grave officium incumbit parentibus curandi ut pueri otio non assuescant ; quapropter eos applicare debent iis occupationibus cujus sunt capaces, et prout parentes melius possunt.

V^um^ PUNCTUM. — **De matrimonio spirituali.**

Ex verbis Apostoli ad Corinthios : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II Cor. XI, 2), colligitur fieri *conjugium spirituale* cum Christo sponso, sive loquamur de tota aliqua ecclesia in genere, sive de anima aliqua in particulari. Ut autem has nuptias spirituales intelligas, o sacerdos, explico singula nuptiis carnalibus correspondentia.

Primo ergo adverte hanc desponsationem fieri per fidem, spem et caritatem, dicente Augustino : Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera caritas (Tract. XIII in Jo.).

Secundo, paranymphi harum nuptiarum illi sunt qui animarum saluti insudant. Agnoscit se Paulus paranymphum, dum ait, *Despondi vos*, quasi dicat: Ego quidem paranymphus sum harum nuptiarum, non sponsus; non ambio mihi sponsam, sed Christo et Deo. Illius gloriæ incumbo, illi cupio vos exhibere et conjungere puro et casto matrimonio. Ipse enim sponsus est, ego sponsi amicus tantum, sponsæ custos et ductor; ideoque illi animas vestras, mihi commissas, adorno, introducendas tandem ad futurum thalamum, integras in fide, spe et caritate, et sic nuptiis æternis aptas.

Tertio, adverte differentiam. In nuptiis carnalibus sponsæ post nuptias non manent virgines: at Christi sponsæ, quasi prius virgines non fuerint, post nuptias cum Christo initas virgines fiunt, hoc est fiunt in fide purissimæ, in spe et caritate integræ, in moribus incorruptæ. Ob hoc enim Ecclesia et anima dicitur virgo. Et hoc vult Apostolus, cum Corinthiis etiam conjugatis dicit: Despondi vos, i. e. desponsavi vos. Audi sanctum Bernardum: Attamen propter Æthiopissam istam de longinquo Filius æterni regis venit, et ut sibi desponsaret illam, etiam mori pro illa non timuit. Moyses quidem Æthiopissam duxit uxorem,

sed non potuit Æthiopissæ mutare colorem : Christus vero quam adamavit ignobilem adhuc et fœdam, gloriosam sibi exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Unde tibi hoc ? Unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse in quem desiderant angeli ipsi prospicere ? (Serm. 2 in Dom. I post oct. Epiph.)

Quarto, cum desponsatio hæc fiat per fidem, spem et caritatem, et velut per hunc contractum : *Eritis mihi in populum, et ero tibi in Deum* (sicut et in nuptiis dicitur : Accipio te in meum, accipio te in meam), merito vocatur anima meretrix et adultera, quando consentit infidelitati et peccatis, quando admittit suggestiones dæmonis illiusque obsequitur voluntati.

Quinto, in hoc matrimonio *annulus* datur ornamentaque alia sponsalia de quibus Ezechiel, cap. XVI : *Et vestivi te discoloribus et calceavi te ianthino, et cinxi te bysso. Et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo.* Quo omni ornatu virtutes variæ donaque Spiritus sancti intelligi possunt, quibus anima a Christo decoratur ut sponsa ejus fiat. Ad-

ditur autem : *Similam et mel et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis, et profecisti in regnum.* Etiam desponsatio hæc facit bona utriusque conjugis communia : ideo bona Christi sponsi communicantur Ecclesiæ et animæ fideli. Et quia sponsus est rex, sponsam animam facit reginam. Licet ex se serva sit, et vilis et pauper, fit socia mensæ, socia thalami, socia bonorum omnium. Ideo dicitur in Psalmo : *Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Sexto, etiam in his nuptiis spiritualibus *convivium* reperitur, quod *prandium* a sancto Bernardo vocatur, non *cœna*. Ita enim animam alloquitur in sermone modo citato : « Jam enim desponsata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur. Nam cœna quidem in cœlo et in aula æterna paratur. Verumtamen numquid ibi vinum deficiet ? Absit. Inebriabimur ibi ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabimur. Paratum est profecto illis nuptiis flumen vini ; vini, inquam, quod lætificat cor. Nunc autem, quoniam grandis nobis restat via, prandium quidem accipimus hic, etsi non in tanta copia, quod plenitudo et satietas cœnæ reservetur æternæ. » Jucundissima sunt quæ hic audis, o sacerdos. Est ergo

prandium in gaudio interiori animæ quæ se tanto sponso desponsatam agnoscit. Cœna erit in gloria, in gaudii illius consummatione. Quo vero magis crescit amor caritatis, eo magis perficitur desponsatio hæc et connubium. Tunc enim et major fit unio cum Deo, et nuptialibus bonis ac gaudiis divinis anima fruitur. Quid est enim aliud amor caritatis, nisi conspiratio et conformitas humanæ voluntatis cum divina, ex qua oritur communicatio cum Deo et familiaritas et unitas ? Orietur et gaudium internum, cum anima in centro suo quiescet. Audi sanctum Bernardum, sermone 83 in Cantica : « Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis [non] est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius ? Quid optabilius caritate, qua fit ut humano magisterio non contenta per temet, o anima, fiducialiter accedas ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio ? Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, contractus : complexus est. Complexus plane, ubi idem velle

et nolle idem unum facit spiritum de duobus. Quæ enim inter sponsos alia connexio, præter amari et amare ? Quæ ergo amat, et aliud novit nihil, sponsa est. »

Septimo, ex illa desponsatione pulchræ concipiuntur proles. Has describens Origenes : « Donec igitur anima adhæret sponso suo et audit verbum ejus et ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit verbi ; et sicut ille dixit : De timore tuo, Domine, in utero concepi, ita et hæc dicit : De verbo tuo, Domine, in ventre concepi, et parturivi, et spiritum salutis tuæ feci super terras. Inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur, inde justitia, inde patientia, inde mansuetudo et caritas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet. » (Hom., XX in Num., in cap. 25 Num.)

II. Pro coronide, hæc sit, o sacerdos, jucunditas tua summa, scire te a Deo vocatum fuisse ad *desponsationem spiritualem specialiorem* quam ea est quam modo consideravimus. Est desponsatio videlicet *per statum castitatis.*

De hac sic loquitur sanctus Augustinus (tractatu 9 in Jo.) : « Animæ quæ virginitatem Deo vovent, licet ampliorem honoris gradum in Ecclesia teneant, tamen sine

nuptiis non sunt : nam et ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia in quibus sponsus est Christus. » Ut has nuptias melius intelligamus, eas comparemus cum nuptiis ordinis naturalis. Triplex deprehenditur similitudo inter nuptias spirituales et nuptias terrenas.

1° Sicut sponsa contrahens cum homine, dicit, Accipio te in meum, et exinde totum amorem et seipsam tradit marito, ita et qui castitatem vovet, totum suum amorem et seipsum Christo consecrat, et obligationem habet vivendi secundum ejus beneplacitum, sicut sponsa obligationem eamdem habet erga maritum.

2° Sicut sponsus sponsam suam in suam protectionem accipit eique familiaritatem cum bonorum suorum communicatione exhibet, ita et Deus protectionem accipit sibi viventium, illisque familiaritatem suam et bonorum cœlestium communicationem non denegat, donec voto et vocationi respondent.

3° Annulus tradi solet in virginum consecratione, cum hac formula : « Desponso te Jesu Christo, Filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, ut sponsa Dei voceris et, postquam fideliter ei ser-

vieris, in perpetuum coroneris. » Ut vero ostenderet Christus non esse inanem hanc annuli traditionem et interpretationem, quandoque sponsis suis annulos exhibuisse legitur.

Inter alia dignum est commemoratione quod circa sanctam Catharinam Senensem visibiliter a Christo peractum est. Hæc, ut posset cœlesti sponso inviolabili fidelitate manere subjecta, valde adspirabat ad perfectum fidei gradum, dicens: Domine, adauge mihi fidem, eamque in me perfice, ut nulla vi possit unquam deficere. Saepe id orabat; saepe respondebat Dominus : Desponsabo te mihi in fide. Tandem adimpletum est in ea illud Psalmistæ : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Quadam die, Christus ei apparens cum beata Matre sua et aliquibus sanctis, eam mirabili modo sibi despondit et hortatus est ut deinceps ageret viriliter. Porro instantis jam desponsationis hujus causam sequentibus verbis Christus indicavit : Quia tu sprevisti vanitates mundi, amplexata crucem et pœnitentiam, quærens summum et æternum bonum, ideo ego te mihi desponsabo. Tum vero accipiens beata Maria dexteram Catharinæ et in ea digitum annularem (in conjugatis ponitur annulus in digito sini-

stræ), petebat a Filio hanc desponsationem. Matri suæ annuens Christus, annulum sponsalicium digito Catharinæ inseruit, dicens: Ecce ego Creator et Salvator tuus, te mihi despondeo in fide, quæ perdurabit ex hac hora immutabilis, donec in nuptiis æternis me facie ad faciem perfruaris. Superest ut viriliter decertes et in robore fidei quam infixi cordi tuo, superes omnes illecebras et angustias mundi, omnes stimulos carnis et tentationes inimici. Hæc Raymundus Capuanus, ejus confessarius.

Stude igitur, o sacerdos, ita vivere ut merearis et tu animam tuam habere desponsatam Christo in æternum.

SECTIO III.
DE SACRAMENTALIBUS.

CAPUT DUODECIMUM. — De Sacramentalibus in genere.

SACRAMENTALIA sic appellantur vel ex eo quod solent adhiberi ad sacramenta efficienda vel administranda, ut efformatio crucis, benedictiones, orationes Ecclesiæ ; vel ex eo quod aliquatenus imitantur et sequuntur virtutem sacramentorum, ut aspersio aquæ benedictæ, usus rerum nomine Ecclesiæ benedictarum, confessio generalis, tunsio pectoris et hujusmodi alia quædam. Quamquam non sunt confundenda cum sacramentis neque cum ipsis cæremoniis sacramentorum, habent tamen aliquam cum sacramentis analogiam : sunt enim ritus externi ac res sensibiles ab Ecclesia instituti ad spiritualem fidelium utilitatem.

I. Sex communiter enumerantur sacramentalia, hoc versu comprehensa : *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

Primum est oratio facta in ecclesia consecrata, vel oratio speciatim ab Ecclesia

præscripta, ac præsertim « Pater noster. »

Secundum est aqua benedicta.

Tertium est panis benedictus vel benedicti panis frustum.

Quartum, confessio generalis quæ fit initio Missæ, atque etiam ad Primam et ad Completorium.

Quintum est eleemosyna ab Ecclesia specialiter præcepta et ipsius nomine facta.

Sextum denique, benedictiones et consecrationes ab Ecclesia institutæ, ut prima tonsura, consecratio regum, benedictio data ab episcopo vel a sacerdote, quædam substantiæ corporeæ precibus Ecclesiæ benedictæ et consecratæ, ut sal benedictum et id quod vocatur « Agnus Dei, » de quo dicemus postea speciatim, sicut et de quibusdam aliis sacramentalibus, quæ hic tantummodo enumerantur.

II. Quinque assignari solent sacramentalium *effectus*, nempe

1° Speciales quidam motus gratiæ actualis;

2° remissio peccatorum venialium ;

3° relaxatio pœnæ temporalis peccatis debitæ;

4° dæmonis expulsio vel cohibitio ;

5° nonnulla commoda ordinis temporalis, ut sanitas corporum, tempestatum sedatio et alia hujusmodi.

Circa quod observandum est non omnes illos effectus *ab omnibus indiscriminatim* sacramentalibus produci ; sed alios ab aliis, juxta finem ad quem unumquodque ab Ecclesia institutum est. Cum enim omnem vim suam ab Ecclesia teneant, sine fundamento diceretur ea aliquid virtutis habere ultra Ecclesiæ intentionem. Porro intentio Ecclesiæ circa singula dignosci potest ex orationibus et aliis cæremoniis quibus eorum benedictio et consecratio perficitur.

Si quæritur *de modo* quo sacramentalia effectus suos producunt, communiorem loquendi usum retinentes, dicimus effectus de quibus agitur, *ex opere operantis* produci conjuncto *cum vi impetratoria precum Ecclesiæ*, maxime apud justos qui ex condigno merentur, quandoquidem necesse est apud hos sacramentalia specialem aliquam virtutem habere præter eam quæ præcise est ex opere operantis: alioquin non distinguerentur a reliquis bonis operibus justorum. Et licet hæc vis impetratoria Ecclesiæ non sit infallibilis, quia Ecclesia non valet obtinere hos effectus ex opere operato stricte intellecto, non est tamen dubitandum quin ejus institutiones in hac re efficacissimæ sint, cum Christus sponsam Ecclesiam maximo prosequatur amore.

III. Juvat hic, omissis ceteris, paulo fusius agere de secundo effectu, qui est *remissio peccatorum venialium*, et id quidem ad consolationem fidelium et ad augendam eorum fiduciam. Quia qui attente consideraverit ea quæ de hac re tradituri sumus, non poterit non mirari quanta sollicitudine Pater cœlestis quotidianis filiorum necessitatibus consuluerit, multiplicando ad animarum medelam et ad morborum spiritualium sanationem media usu facillima et stupendæ efficaciæ.

Juxta communem theologorum doctrinam, sequentia pro certis habenda sunt :

1. Peccatum mortale post baptisma commissum non remittitur nisi per sacramentum pœnitentiæ, vere et realiter susceptum, aut, si hic et nunc confessio non fiat, per actum contritionis perfectæ includentem propositum confessionis faciendæ cum fieri poterit. Nunquam ergo potest remitti peccatum mortale per sacramentalia. In præsenti autem Providentia, unum peccatum mortale non remittitur, alio in anima manente : unde qui de uno peccato mortali complacentiam haberet, incapax esset remissionis aliorum, immo incapax remissionis peccatorum venialium ; etenim :

2. Non remittitur peccatum *veniale*, ma-

nente in anima peccato aliquo mortali, quia contradictorium est ut Deus reconcilietur in levi cum illo a quo offensus manet in re gravi, et quia ceteroquin, juxta doctrinam sancti Thomae (3ª p., q. 87), remissio peccati venialis præsupponit gratiam sanctificantem jam exsistere in anima. — Contra, potest remitti peccatum mortale sine hoc quod remittatur peccatum veniale, quia simul cum dolore sufficienti de peccato mortali, potest adesse in anima actualis complacentia de peccato veniali, per quam impeditur peccati hujus venialis remissio.

3. Peccatum veniale post baptisma commissum remittiur *universim duobus his modis:* vel ex opere operantis, — vel ex opere operato per sacramenta et aliquatenus per sacramentalia.

Et quidem *ex opere operantis* remittuntur peccata venialia per actum contritionis perfectæ, et hæc remissio se extendit ad omnia peccata ad quæ se extendit contritio, seu de quibus in genere saltem contritio habetur. Non impeditur remissio quoad tale vel tale peccatum veniale, nisi per actualem affectum ad hoc peccatum.

Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo *per attritionem* de iisdem conceptam, etiam sine confessione

sacramentali, ut cum dolet quod Deum venialiter offendendo pœnas Purgatorii aliasque pœnas temporales promeritus sit, vel quod promeritus sit privationem gratiæ vel gloriæ.

Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo *per omne opus meritorium* propter Deum factum in ordine ad deletionem peccatorum venialium, vel saltem in ordine ad deletionem omnium suorum peccatorum, ut sic a Deo ad talem finem acceptetur. Hanc communem Patrum et theologorum doctrinam, innixam innumeris sacrarum Scripturarum verbis, juxta quam venialium remissionem consequimur per orationem Dominicam v. g. et alias preces ad Deum fusas, continentes in se petitionem veniæ peccatorum atque per opus bonum, v. g. misericordiæ vel humilitatis pro Deo factum et Deo ad talem finem oblatum, confirmat concilium Tridentinum, dum dicit sess. XIV, cap. 5, peccata venialia sine confessione « multis aliis remediis » expiari posse.

Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo per actum formalem amoris Dei super omnia, quo Deus præfertur omnibus omnino rebus quæ ei displicent, tam levibus quam gravibus.

Justus enim perfecto amoris actu se Deo absolute et penitus subjiciens, volens ipsi in omnibus actionibus placere et ei obtemperare, eo ipso, implicite saltem et virtualiter, detestatur omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, quatenus omnia Deo displicent, ideoque talis actus perfecti amoris semper ad omnia etiam venialia se extendit, atque ea omnia delet secundum reatum culpæ saltem.

Ex opere operato venialia remittuntur per omnia sacramenta novæ Legis cum debita dispositione suscepta, dummodo ad ea nullus formalis vel virtualis vigeat affectus. Ratio est, quia omnia sacramenta novæ Legis instituta sunt ad sanctificandas animas nostras ex opere operato easque perfecte disponendas ad gloriæ consecutionem, et consequenter ad tollenda omnia impedimenta quæ aliquo modo possunt nos a gloriæ consecutione impedire. Unde cum peccata venialia ex illarum rerum numero sint quæ nos retardant a consecutione gloriæ, debent per sacramenta digne suscepta remitti.

Per SACRAMENTALIA remittuntur peccata venialia — *aliquatenus ex opere operato*, remote scilicet et mediate, *quatenus* nempe, ut supra innuimus, *per preces Ecclesiæ* rebus

sacramentalibus junctas *Deus movetur*, dum iis utimur, *ut in nobis* (etsi non infallibiliter) *excitet pios illos motus* quibus annexa est remissio venialium, — partim *ex opere operantis*, quatenus homo iis sacramentalibus utitur in remedium ac remissionem peccatorum suorum cum piis motibus displicentiæ peccatorum, conversionis ad Deum, amoris, adorationis et similium.

De sacramentalibus agit sanctus Thomas, in Summa, p. 3ª, q. 87, sine hoc tamen quod hoc nomen usurpet : primus autem illud adhibuisse videtur Alexander Halensis, mortuus anno 1245. En verba sancti Thomæ : « Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo, in quantum in eis infunditur gratia (sanctificans); quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, et hoc modo per Eucharistiam et Extremam unctionem et universaliter per omnia sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, et hoc modo Confessio generalis et oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum : nam in oratione Dominica petimus, Dimitte nobis debita nostra. Tertio modo, in quantum sunt cum

aliquo motu reverentiæ in Deum et ad res divinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.

***

Quis sacerdos non gaudeat vehementer et Deo ex toto corde gratias agat, dum videt quot et quanta præ manibus habeat media delendi singulis horis peccata sua quotidiana, et sic brevi perveniendi facili labore ad apicem montis, id est ad purissimum Dei amorem! Utinam magis attenta esset mens nostra ad usurpanda hæc sanctificationis subsidia! Sine dubio major esset noster in via virtutis profectus, et laboris nostri in sancto ministerio uberior esset fructus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM. — De quibusdam in specie quæ ad sacramentalia referuntur.

§ 1. — De aqua benedicta.

LIBER Pontificalis, de quo dubitari nequit multas traditiones veras circa vitas primorum Romanorum Pontificum in eo contineri, hæc habet in notitia de sancto Alexandro (107-116) : « Hic constituit aquam aspersionis *cum sale benedici* in habitaculis hominum. » Unde in Breviario romano legitur de eodem, ad diem 3^am^ Maii : « Decrevit ut aqua benedicta, sale admixto, perpetuo in ecclesia asservaretur, et in cubiculis adhiberetur ad fugandos dæmones. » Quem usum hic pontifex non tam invexit quam ab apostolis traditum ab omnibus observari jussit. Aquam in usum Ecclesiæ jam ab antiquissimis temporibus benedici, patet ex authenticis verbis primorum sanctorum Patrum. Sic sanctus Cyprianus, loquens de aqua quæ adhibetur in baptismate, dicit eam prius exorcizari debere : « Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, » inquit in

epistola ad Januarium et ceteros episcopos Numidiæ (Migne, P. L., t. III, col. 1039), iisdem fere utens verbis quæ in Decreto Gratiani tribuuntur sancto Alexandro papæ: « Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur. Quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus (De consecr. dist. III, cap. 20). Ad eamdem apostolicam traditionem refert sanctus Basilius morem benedicendi aquam baptismatis, et sanctus Ambrosius (Liber de mysteriis, cap. 3) rationem hujus rei reddens : « Aqua enim sine prædicatione Dominicæ crucis *ad nullos usus* futuræ salutis est ; cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur. » Hanc consuetudinem non adhibendi extra necessitatem aquam non prius benedictam, ad usus Ecclesiæ, non incommode revocant auctores ecclesiastici ad doctrinam scripturisticam de diabolica potestate quæ creaturas in hoc mundo exsistentes subinde inficit. Remedium hujusmodi contra infestationes diaboli jam indicat sanctus Paulus, dicens in epistola prima ad Timotheum: Si aliqua sit in creaturis quibus usuri sumus immunditia, evacuatum iri per benedictionem quam adhibent christiani ;

sanctificatur enim creatura Dei, inquit, *per verbum Dei et orationem.*

Sic porro Deus novit deprimere, annuens benedictioni Ecclesiæ, superbiam dæmonis, ut qui se erigere audebat usque ad thronum summæ majestatis, nunc per levem aquæ aspersionem, hoc est per vile elementum, cogatur cedere et sese abjectis creaturis imbecilliorem profiteri.

In hac aquæ benedictione miscetur aquæ sal benedictum, ad varias significationes, quas qui intelligunt, non sine reverentia et devotione se suaque aspergunt. Nam *a/* sal divinam Sapientiam designat, quæ in Christo humanam naturam in unam personam assumpsit ; aqua vero, Dominicam passionem, de qua Salvator aiebat : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur ! b/* Sal, quo solent carnes condiri, ne corrumpantur, significat incorruptionem nostram et liberationem a vermibus ordinis moralis ; aqua vero, ablutionem conscientiæ et munditiem. *c/* Sal significat discretionem mentis, ex eo quod gustum ciborum acuit ; aqua vero, lacrimas et pœnitentiam repræsentat. — Petit igitur Ecclesia hac mystica duarum substantiarum unione ut Deus per merita passionis Christi nobis tali aqua sic benedicta pie utentibus conce-

dat cordis et animi munditiem, sanitatem corporum, conservationem animalium utilium, excludendo ea omnia quæ diabolus in hominum vexationem machinari potest. Quæ ut facilius assequamur, petit nobis concedi vim lacrimarum et discretam pœnitentiæ exercitationem, ex sapientia et gustu rerum divinarum profectam.

Ex ipsis precationibus quas præscribit Ecclesia sacerdoti ad faciendam aquam benedictam, colligimus effectus hujus aquæ bene adhibitæ esse partim ordinis spiritualis partim ordinis materialis. Effectus primi ordinis, seu spirituales, semper sequuntur, nisi ob causam aliquam, ad majorem nostram utilitatem, Deo aliter videatur. — *Effectus spirituales :*

1. Profligantur dæmones ex locis et creaturis.

2. Remittuntur peccata venialia.

3. Phantasmata diabolica, pravæ cogitationes et mentis distractiones in oratione aliisque temporibus excluduntur.

4. Mens a terrenis rebus colligitur.

5. Disponitur animus ad orationem et devotionem.

6. Gratia sancti Spiritus, ejus favor et præsentia impetratur.

7. Præparatur mens ut rectius divina

mysteria peragat sacramentaque suscipiat : valet enim hæc aquæ aspersio adversus omne quod sacramentorum effectum ob subjecti indispositionem minuere posset. Atque ideo in altarium et templorum consecratione adhibetur, ut a locis illis omne excludatur orationis, devotionis et sacramentorum impedimentum. Solet etiam ob eamdem causam in promptu esse juxta fores ecclesiæ aqua benedicta, ut fideles ingressuri, ejus aspersione divinaque gratia, dæmonem inanesque cogitationes et curas a se rejiciant, atque ad orandum se colligant; egressuri vero, adversus omnes occurrentes peccandi occasiones se muniant.

Effectus corporales, qui non raro, pro Dei voluntate et beneplacito, quando ad divini sui nominis gloriam expedire judicat, consequi solent. Et si justis de causis non sequantur, non ob id tamen censenda est inefficax Ecclesiæ oratio vel aquæ aspersio: quia quod effectibus corporalibus negatur, hoc spiritualibus, qui præstantiores sunt, compensatur. — *Effectus corporales :*

1. Curatur sterilitas hominum, jumentorum, humanarumque rerum.

2. Impetratur multiplicatio bonorum temporalium et ubertas.

3. Infirmitates corporum, ne invadant

præcaventur ; et ubi occupaverint, curantur. Conceditur enim sanitas mentis et corporis.

4. Noxius aer purgatur, depelliturque pestis et omnis contagio.

Sic enim orat Ecclesia : «... et elemento huic.multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum, ut quidquid in domibus vel in locis fidelium *hæc unda resperserit*, careat omni immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens. Discedant omnes insidiæ latentis inimici ; et si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat : ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita ab omnibus impugnationibus sit defensa. »

Convenit porro ut is qui se aqua benedicta aspergit, intentionem suam cum Ecclesiæ precibus conjungat, et cum reverentia internaque devotione hac aqua utatur, vel dum aspergit, vel cum alia de causa sumit, cibisque vel potibus miscet. Qui enim sine reverentia vel devotione id agunt, exiguam ex eo consequuntur utilitatem.

§ 2. — **De candelis benedictis et cereis.**

Benedicuntur candelæ *ad usum privatum fidelium* sequenti formula Ritualis romani : « Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, benedic *candelas* istas supplicationibus nostris. Infunde eis, Domine, per virtutem sanctæ Crucis, benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti ; talemque benedictionem signaculo sanctæ Crucis accipiant ut quibuscumque locis accensæ sive positæ fuerint, discedant principes tenebrarum et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec præsumant amplius inquietare aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo, qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen. »

Cereorum in Ecclesia usus antiquus est et varius. Ideo peculiares quædam orationes et benedictiones adhibentur, ut fideles non ex sola devotione privata, sed ex solemnibus etiam et publicis Ecclesiæ precibus utilitatem per eos consequantur.

In baptismo adulti cereus accensus manu tenendus datur, ut superius diximus, loquentes de cæremoniis Baptismi ; et idem fit in exitu nostro ex hoc mundo. In festo Purificationis cerei Ecclesiæ precibus bene-

dicuntur, palamque a christianis gestantur in memoriam Christi, qui est lumen verum ad revelationem gentium, ut protestentur se habere velle lumen fidei, ardorem caritatis, rectam et sinceram intentionem, declarentque se paratos esse Christo, sponso animarum nostrarum, cum ardentibus lampadibus occurrere.

Quænam sit mens Ecclesiæ in his benedictionibus, ac proinde fructus ex iis colligendus, intelligitur inspecto ritu quem ad eas impertiendas exhibet. Orat enim Deum:

1. Ut candelæ benedictæ et cerei valeant ad sanitatem animarum et corporum.

2. Ut de locis ubi positi vel accensi fuerint, depellatur dæmon et quidquid ars dæmonis machinata est.

3. Ut mentes et corda nostra invisibili igne et splendore sancti Spiritus illustrentur, ut omni peccatorum et vitiorum cæcitate careant ; et ut cernere possimus quæ Deo sunt placita et nostræ saluti utilia.

4. Ut ignis caritatis cum lumine fidei in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens vitæ æternæ deducat.

§ 3. — De usu cinerum.

Antiquissimus apparet jam in veteri Testamento cinerum usus ad significandos

coram divina majestate pœnitentiæ et humilitatis sensus. At si humilis abjectusque vestitus cinere conspersus et cinis ipsis capitibus hominum impositus vim habet ad provocandam Dei misericordiam, quoties hæc cum vero cordis dolore conjunguntur, multo majorem vim habebunt cum ex obedientia erga matrem Ecclesiam assumuntur, quæ etiam cineres benedicit, peculiaribus utens precibus, quibus pro devote eos suscipientibus animi demissionem et Dei clementiam petit.

Aspersio sive impositio cinerum, juxta Ecclesiæ institutum facta, tribus ex causis habet utilitatem : 1° ex opere ipso humilitatis ; 2° ex obedientia Ecclesiæ præstita ; 3° ex Ecclesiæ precibus. Petit autem Ecclesia, dum cineres benedicit et capitibus fidelium imponit :

1. Ut juvetur homo, eos accipiens, ad internam cordis humilitatem.

2. Ut benedictio cœlestis in aspersos descendat, qua serio compungantur et de peccatis suis doleant, considerantes propter peccatum hominis terram ipsam maledictam fuisse et nos omnes in cinerem et terram redituros.

3. Ut hi cineres sint salubre remedium

ad consequendam remissionem peccatorum et præmium vitæ æternæ.

4. Ut detur corporis sanitas, ad pœnitentiam pro peccatis agendam.

5. Ut ipsa anima tutela divina protegatur.

6. Ut ea omnia a Domino impetremus quæ secundum ejus voluntatem petimus.

7. Ut constanti animo in bono perseveremus.

Neque dubium cuiquam esse debet quin pius catholicus hæc bona accipiat, quoties sincero animo initio Quadragesimæ cineribus benedictis aspergitur, serio secum statuens hanc anni partem in amaritudine animæ suæ, ad peccatorum redemptionem, traducere.

Quod porro *fronti ipsi* signum crucis cum cinere imprimitur, hoc fit ut ne nos pudeat, ad amorem et imitationem crucifixi Dei nostri, publice pœnitentiam agere : nos, inquam, qui pulvis sumus et in pulverem revertemur. Clericis autem non frons, sed caput aspergitur, ut ipsi, qui ceteros fideles ordine et dignitate antecellunt, meminerint se quoque brevi cineribus et terra tegendos, et ob reverentiam sancti sacrificii a sacerdotibus celebrandi, ne in ejus celebratione aliqua pars cinerum in altare decidat.

§ 4. — De palmarum ramis.

Ecclesia catholica hanc servat ab antiquissimis temporibus consuetudinem ut dominica die quæ proxime festivitatem Paschæ præcedit, palmarum, olivarum similiumque arborum ramos solemnibus precibus benedicat, populoque christiano gestandos et domi ad salutares effectus conservandos tradat. Qua cæremonia duo quæ circa Christi Domini personam gesta sunt, significantur. Alterum, insignis ille ingressus in civitatem Hierusalem hoc ipso festo Palmarum ; alterum, triumphus ille gloriosus quem per passionem et mortem suam de principe hujus mundi universoque inferno reportavit, idque in gratiam nostri, quos non nostris meritis, sed benigna sua misericordia liberavit. Rami palmarum victoriam atque triumphum significant ; rami autem olivarum, misericordiam.

Et ne careat suo fructu hæc significatio accedunt preces et benedictiones Ecclesiæ quibus Deus rogatur ut qui hos ramos devoto animo gestaverint,

1. Accipiant protectionem mentis et corporis, in salutis remedium et ad gratiam divinam obtinendam.

2. Ut, sicut rami virentibus sunt foliis,

ita frondeant opera nostra virore justitiæ et virtutum multarum pulchritudine.

3. Ut, sicut Hebræorum populus Christo cum his ramis occurrit et cum ipso in civitatem Hierusalem intravit, ita nos, bonis operibus instructi, Domino obviam procedamus, ejusque vestigia sequentes per ipsum et cum ipso in cœlestem Hierusalem admittamur.

4. Ut, sicut Christus de hoste infernali per passionem suam triumphavit, ita et nos, sæpe hoc opus misericordiæ animo volventes, amore Christi ad pugnam accendamur, et ad victoriam de dæmone, carne et mundo referendam adjuvemur.

5. Ut in quemcumque locum introducti fuerint hi rami, habitatores loci illius Dei benedictionem consequantur, et, omni adversitate fugata, dextera Dei protegantur.

Dum igitur ex mente Ecclesiæ devoto animo hos ramos gestamus, servamus et ad usum honestum adhibemus, ipso facto Deum precamur, ut per passionem et mortem Christi, qui dæmonem superavit et ejus potentiam fregit, et per misericordiam qua Christus hoc sine ullis nostris meritis peregit, dæmonem omnemque adversitatem a nobis et ab ædibus nostris arceat, ne inimicus noster aeris tempestate vel alio quocum-

que incommodo nobis nocere valeat ; quin potius Dei dextera nos protegat, et non solum corpora a malis tueatur, sed animæ quoque gratiam suam infundat, ut multis virtutibus ornati et bonis operibus florentes, Christi vestigia sequamur, hostes nostræ salutis omnes, visibiles et invisibiles, superemus, et ad gaudia cœlestis Hierusalem ab angelis cum triumpho introducamur.

§ 5. — **De hoc quod vocatur « Agnus Dei. »**

Summus pontifex, Christi in terris vicarius, primo sui pontificatus anno et quolibet deinceps septennio consecrare solet solemni benedictione orbiculos quosdam cereos quos a figura impressa vocant « Agnos Dei, » adhibito sacro chrismate multisque insignibus cæremoniis. Multa autem precatur concedi a Deo illis qui animo devoto hos orbiculos consecratos penes se habuerint iisque usi fuerint terra marive. Hæc pontificis oratio tanto majus momentum habere putanda est, quanto orantis officium sublimius est et Christi officio proximius.

De effectibus quos ex tali benedictione sperare licet, sequentia tradit « Formula impressa de mandato Benedicti XIV anno 1752 » :

« Summus pontifex... sanctissimis precibus Deum exorat ut eas Formas benedicere, sanctificare et consecrare dignetur, iisque tantam impertiat virtutem, ut quicumque recta fide ac vera pietate iisdem usus fuerit, hæc dona ac beneficia consequatur :

1. Ut aspectu vel contactu Agni in cereis illis formis impressi excitentur fideles ad memoranda sub eo symbolo Redemptionis nostræ mysteria, conceptisque grati animi sensibus divinam in nos bonitatem benedicant, venerentur ac diligant : fidentes fore ut per eam peccatorum veniam obtineant, et maculas omnes abstergant.

2. Ut ad vivificæ Crucis signum in iisdem cereis impressum maligni spiritus contremiscant et fugiant, facessant grandines, subsidant venti, dissipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura et tempestates.

3. Ut divinæ benedictionis virtute non prævaleant diabolicæ fraudes, insidiæ et tentationes.

4. Ut parturientes cum fœtu incolumes serventur, eumque feliciter in lucem emittant.

5. Ut iisdem devote utenti nulla dominetur adversitas, nulla noceat pestilentia, aerisque corruptio ; nullus comitialis morbus eum corripiat, nulla maris tempestas, nul-

lum incendium, nulla inundatio ; nulla adversus eum prævaleat malignitas.

6. Ut in prosperis adversisque casibus divina protectione muniatur, ab humanis vel diabolicis insidiis, a subitanea et improvisa morte, a cunctis denique malis et periculis liberetur, per vitæ ac passionis Jesu Christi mysteria.

« Mirabilis hujus Sacri virtutes explicatæ jam olim fuere atque his versibus comprehensæ :

Pellitur hoc signo tentatio dæmonis atri,
Et pietas animo surgit, abitque tepor
Hoc aconita fugat, subitæque pericula mortis ;
Hoc et ab insidiis vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne sæva tonitrua lædant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe.
Undarum discrimen idem propulsat et ignis,
Ullaque ne noceat vis inimica, valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera fœtum
Incolumem mundo proferet atque Deo.
Unde, rogas, uni tam magna potentia signo ?
Ex Agni meritis, haud aliunde fluit.

« Quæ quidem beneficia et gratiarum dona a bonorum omnium largitore Deo fidelibus tribui ac concedi, virtute hisce sacris Cereis communicata per benedictionem ac precationes in primis quas Christi Vicarius, romanus pontifex, universæ Ecclesiæ nomine in eorum consecratione fundere solet, res est firmiter omnino

credenda ac variis eximiisque miraculis sæpissime confirmata. Quod si optatus non semper obtineatur effectus, id non defectui virtutis rei sacræ, sed vel infirmæ exiguæque utentium fidei ac devotioni, vel alteri occultæ causæ Deo compertæ ac probatæ tribuendum est. » Ita ad litteram in Bullario Benedicti XIV.

EPILOGUS.

EXPLICIT tandem opus cujus Dedicatio, Sanctissimo Cordi Jesu facta, legitur typis impressa in fine prioris tomi, quinto jam abhinc anno in lucem editi. Et quoniam merito sperare possum me post mortem continuaturum in juvando sacerdotes utriusque cleri ope librorum quos mihi datum fuit conscribere, liceat mihi in hac ultima pagina, veluti in testamento, nitide declarare quid per mea scripta intenderim.

Incepi, viginti abhinc annis, in lucem mittere opus, quinque nunc voluminibus distinctum, cui titulus est : *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis*, ut offerrem hominibus apostolicis *Manuale* quoddam in quo invenire sit copiam Meditationum, Examinum et Considerationum, talem ut fere per totam vitam non alio indigeant libro pro menstruis, immo pro quotidianis exercitationibus. Scripsi deinde opus quod nunc absolvo, duobus voluminibus constans, nempe *Templum spirituale sacerdotis*, ut in eo haberetur theoria eorum quorum praxis jam habebatur in opere præcedenti. Exponuntur

scilicet in primo opere et in priore tomo secundi ea quae magis directe pertinent ad propriam sacerdotis sanctificationem, et in secundo tomo ultimi operis ea quae sacerdotem juvare debent ad sanctificandas et salvandas animas ipsi commissas, rite et fructuose fungendo sublimibus ministeriis suæ sanctæ vocationis.

Utinam, o Domine Jesu, hæc mea quantulacumque scripta, non ex ambitione aliqua sed ex solo amore Tui et fratrum meorum Sacerdotum in lucem edita, aliquid conferre pergant ad formandos tales operarios quales describit antiquus auctor Epistolæ primæ ad virgines sub nomine sancti Clementis Romani : *Operarios scilicet qui falcem adhibeant, proferentes sermonem penetrabiliorem veritatis ; operarios inconfusibiles ; operarios fideles ; operarios qui sint lux mundi ; operarios qui operentur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam ; operarios qui, sicut Apostoli, imitentur Patrem et Filium et Spiritum sanctum, de hominum salute solliciti ; operarios non existimantes quaestum esse Dei timorem et justitiam ; operarios non servientes ventri suo ; operarios, non eos qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium ; operarios qui non specie*

tantum sunt filii lucis, reipsa autem lux non sunt, sed tenebræ, quorum finis interitus; operarios, non qui operantur iniquitatem, nequitiam et fraudem; operarios non dolosos, non ebriosos, non infideles; operarios non quærentes sub Christo lucrum temporale; operarios non deceptores, non avaros, non malevolos.

Intueamur ergo et sectemur operarios fideles, ut decenter agamus in Domino, prout dignum est, et sicut decet vocationem nostram. Sic Domino serviemus in sanctitate et justitia, coram ipso, per omnia bene placentes, providentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus: hoc enim bonum est et acceptum, ut Deus in omnibus nobis glorificetur. Amen.

Truncinii, in festo SS^mi Cordis Jesu, 1907.

INDEX.

Pag.

PRÆFATIO 1

LIBER PRIMUS.

SANCTUARIUM.

CAPUT PRIMUM. — De cura Sanctuarii a sacerdote gerenda. — De eadem cura quoad interiora templi illius spiritualis, quod est ipse sacerdos. 7

CAPUT SECUNDUM. — De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ 13

Meditatio. 1um Punctum. — Præcipua Dei attributa elucent ex hoc sacramento.. ... ... *ibid.*

2um Punctum. — Plures Christi Domini virtutes in hoc venerabili Sacramento promicant... ... 16

3um Punctum. — Excessivus Christi amor erga nos in hoc sacramento... 18

CAPUT TERTIUM. — De stupenda Jesu sufferentia in Eucharistia... 22

CAPUT QUARTUM. — De potestate sacerdotis in corpus Christi reale et in corpus ejus mysticum... 28

ART. I. — Potestas sacerdotis in corpus Christi mysticum.. ... ... *ibid.*

ART. II. — Potestas sacerdotis in corpus Christi verum et reale.. 31

CAPUT QUINTUM. — De triplici dispensatione SS. Eucharistiæ, per tabernaculum, — per aram, — per mensam sacram 35

Examen aliquod conscientiæ 36

CAPUT SEXTUM. — Tabernaculum... 41

Domus eucharistica a sacerdote custodienda ... *ibid.*

Domus eucharistica » frequentanda ... 43

Domus eucharistica » glorificanda ... 46

Pag.
1. Supellex templi et vestes sacræ... ... ... *ibia.*
2. Cantus et musica sacra... 47
3. Exercitationes sacræ 50

CAPUT SEPTIMUM. — Ara (1°). De finibus et fructibus Missæ 52

CAPUT OCTAVUM. — Ara (2°). De excellentia Missæ. 58

CAPUT NONUM. — Ara (3°). Explicatio mysteriorum Missæ et simul modus eam audiendi. ... 65

CAPUT DECIMUM. — Ara (4°). Rationes quæ movere debent ad audiendum Sacrum quotidie. ... 78

CAPUT UNDECIMUM. — Mensa sacra (1°). 85
Meditatio : Sacræ Eucharistiæ sumptio ... ... *ibid.*
1um Punctum. — Præparatio ad sacram communionem ... ... *ibid.*
2um Punctum. — Quid sub ipsa communione observandum 88
3um Punctum. — Quid post communionem agendum 91

CAPUT DUODECIMUM. — Mensa sacra (2°). Argumenta popularia pro frequenti communione ex similitudinibus ducta 95

CAPUT DECIMUM TERTIUM. — Mensa sacra (3°). De communione quotidiana fidelium omnium, etiam laicorum. 102
— Decretum S. Congreg. Concilii edita jussu Pii X die 17 decembris 1905, de quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione 103
Decretum Urbi et Orbi per quod promulgata est die 14 februarii 1906 specialis gratia quoad confessionem pro indulgentiis ab iis lucrandis qui quotidie aut fere quotidie communicant. 113

CAPUT DECIMUM QUARTUM. — Mensa sacra (4°). Duæ excusationes quæ afferuntur contra ipsam communionem hebdomadariam... 116
§ 1. — Prima excusatio : Homo secularis non est dignus ut octavo quoque die communicet... *ibid.*
§ 2. — Altera excusatio : Non sentio me proficere ex hebdomadaria communione... 119

Pag.

CAPUT DECIMUM QUINTUM. — Mensa sacra (5°). De causis tam exigui fructus sacræ communionis apud multos 121

CAPUT DECIMUM SEXTUM. — Chorus seu Psalmodia divini Officii. 126
Meditatio. — 1um Punctum. — Psalmodiæ sacræ præstantia. 127
2um Punctum. — Qualitates requisitæ ad bene psallendum 129
3um Punctum. — Media ad devote psallendum... 132

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM. — De Lampade quæ accendenda est coram Tabernaculo... 135
Prima significatio Lampadis ... ... *ibid.*
Secunda » » 137
Tertia » » 139
Quarta et quinta » 141
Sexta » » 145

LIBER SECUNDUS.

CATHEDRA.

CAPUT PRIMUM. — De persona concionatoris.. ... 151

CAPUT SECUNDUM. — Aurea regula concionatoris.. 162

CAPUT TERTIUM. — Subsidia concionatoris :
S. Scriptura et SS. Patres.. 169
I. Scriptura sacra. ... ... *ibid.*
Excerpta ex sancto Hieronymo ; — ex Epistola Leonis XIII « Providentissimus » anni 1893; — textus trium primarum responsionum Commissionis Biblicæ anni 1905 et 1906. 172
II. Sancti Patres. 179
Excerpta ex Bossuetio... 180
III. Proponitur praxis circa utrumque studium. 181
Excerptum aliud ex Bossuetio 182

CAPUT QUARTUM. — Quid assumendum pro materia concionum? 188
Excerpta ex Encyclica « Qui pluribus » Pii IX, anno 1846. ... ... *ibid.*

Pag.

Excerpta ex Epistola S. Congreg. episc. et regul. edita anno 1894 jussu Leonis XIII 191
Excerpta ex Encyclica Pii X de sancto Gregorio Magno ... ... *ibid.*
Excerpta ex ejusdem Pii X Encyclica « Acerbo nimis » anni 1905, de Catechismo tradendo... 194

CAPUT QUINTUM. — Instructio practica Bellarmini de modo concionandi.... 198
Excerpta ex Epistola edita anno 1894 jussu Leonis XIII, quod spectat ad genus concionum quæ dicuntur « Conferentiæ. »... 205

CAPUT SEXTUM. — Sensa sancti Francisci Salesii de vera prædicandi ratione... 209
I. Quis prædicare debet?.. ... ... *ibid.*
II. Quisnam debet esse prædicanti in prædicando finis seu scopus? 210
III. Quid prædicare debet concionator ? 212
IV. Quomodo oportet prædicare?... 214
Specimina aliqua concionis quæ tradit sanctus Franciscus Salesius 217

CAPUT SEPTIMUM. — De diligenti instructione religiosa puerorum et rudium 220
Ex Marchantio, Gersone et sancto Ignatio... ... *ibid.*
Ex Encyclica « Acerbo nimis » (1905) Pii X de Catechismo tradendo. Recitantur mandata Pii X de hac re 224

CAPUT OCTAVUM. — Non esse desperandum, si quando exiguus appareat concionum fructus... 227

CAPUT NONUM. — De vero fonte eloquentiæ sacerdotalis, quod est ipsissimum Cor Jesu 230
Meditatio de hac re.... 231

LIBER TERTIUS.

CONFESSIONALE.

PARS PRIMA : MUNUS CONFESSARII.

CAPUT PRIMUM. — De persona confessarii 237
Sancti Ambrosii precatio... 240

Pag.

CAPUT SECUNDUM. — De modo excipiendi confessiones. 243
§ 1. Quædam vitanda. ... ... *ibid.*
§ 2. Exhortatio quomodo facienda.. 246
§ 3. Pœnitentia injungenda 247

CAPUT TERTIUM. — De confessione parvulorum... 249

CAPUT QUARTUM. — De confessione rudium... ... 253
Quæstio 1ª. — Quomodo sint examinandi ... *ibid.*
Quæstio 2ª. — Quomodo instruendi rudes et solandi pauperes 255
Quæstio 3ª. — Quomodo rudes specialiter disponendi ad dolorem de peccatis 257
Quæstio 4ª. — Quid agendum, si rudis homo nullum in particulari peccatum confiteatur?... 262
Quæstio 5ª. — Quænam pœnitentia rudibus injungenda, præsertim assuetis maledicendo vel jurando?.. 265

CAPUT QUINTUM. — De confessione generali.. ... 268

CAPUT SEXTUM. — Argumenta popularia pro frequenti confessione.. 274

CAPUT SEPTIMUM. — De conditionibus boni vel mali medici spiritualis. 280

PARS ALTERA :
MUNUS DIRECTORIS SPIRITUALIS.

CAPUT OCTAVUM. — De directione spirituali in genere... 287
§ 1. Notio directionis spiritualis ... ... *ibid.*
A. Ipsa notio ... ... »
B. Quomodo acquiritur ars animas rite dirigendi?. 294
§ 2. Regulæ directionis generales... 296
§ 3 » » particulares 298

CAPUT NONUM. — Quomodo director spiritualis clientem suum juvare possit in re vocationis.... 302
I. Vitanda ... ... *ibid.*
II. Præstanda. 303

Pag.

CAPUT DECIMUM. — De modo agendi cum personis devotis. 306
§ 1. Quoad puellas ... ... *ibid.*
§ 2. Quoad mulieres... 307
§ 3. Quoad petentes directionem 311

CAPUT UNDECIMUM. — De cura mulierum religiosarum seu monialium 315
§ 1. Quale judicium sibi efformare debet de vita monialium is qui earum suscipit directionem?... ... ... *ibid.*
§ 2. Qualis esse debet monialium director seu confessarius?... 316
§ 3. Cognoscat regulas et usus receptos.. ... 317
§ 4. Quomodo se gerere debet erga superiorissam et alias moniales? ... ... *ibid.*
§ 5. Quomodo se gerere debet director ordinarius erga extraordinarium? 318
§ 6. Quomodo se gerere debet extraordinarius?.. ... ... *ibid.*
§ 7. Quomodo audiendæ sunt confessiones monialium? 319
§ 8. Quænam discretio necessaria... 320
§ 9. Ne foveat partes.. ... ... *ibid.*
§ 10. Quid si fiant querelæ? 321
§ 11. Vitet quam maxime familiaritatem ... *ibid.*
§ 12. Ne sit durior erga minus ferventes ... »
§ 13. Sciat uti temperamento... 322
§ 14. Studeat bono Communitatis... ... ... *ibid.*

CAPUT DUODECIMUM. — De discretione spirituum. 323

CAPUT DECIMUM TERTIUM. — Quædam de visionibus.... 330

CAPUT DECIMUM QUARTUM. — De dono orationis extraordinariæ et sublimis.... 334

CAPUT DECIMUM QUINTUM. — Variarum virtutum adjumenta a directore spirituali pro tempore proponenda 336
§ 1. Media ad obtinendum perpetuum et verum cordis gaudium... ... ... *ibia.*

Pag.

§ 2. Considerationes proponendæ ad obtinendam magnam semper in omnibus patientiam.. 340
§ 3. Considerationes proponendæ ad obtinendam humilitatem cordis. 342
§ 4. Remedia proponenda contra inanem gloriam 344
§ 5. Argumenta proponenda pro honore parentum et superiorum.... 346

CAPUT DECIMUM SEXTUM. — De modo assistendi moribundis 350
Dum sacerdos vocatur ... ... *ibid.*
Si moribundus inveniatur sensibus destitutus. »
Si non sit destitutus sensibus... 351
Observanda generatim erga ægrotos ... ... *ibid.*
Si jam sit morti proximus.. 352

Oratio valde pia confessariis proposita et a Pio IX indulgentiis dotata... 354

LIBER QUARTUS.

FONS BAPTISMALIS.

UBI ET DE ALIIS SACRAMENTIS ET DE SACRAMENTALIBUS.

Introductio ad librum IV 359

SECTIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM. — De mira Sacramentorum utilitate... 361
CAPUT SECUNDUM. — De effectu primario sacramentorum, quæ est gratia sanctificans 366
CAPUT TERTIUM. — De causa effectiva et causa meritoria sacramentorum 372
CAPUT QUARTUM. — De sacramentis, ut sunt causa instrumentalis gratiæ sanctificantis 375

Pag.
CAPUT QUINTUM. — De sacramentali gratia... ... 377
CAPUT SEXTUM. — De charactere indelebili trium sacramentorum. 382

SECTIO II.

DE QUIBUSDAM SACRAMENTIS IN SPECIE.

Ratio tractandi... 389
CAPUT SEPTIMUM. — De cæremoniis Baptismi ... 391
CAPUT OCTAVUM. — De cæremoniis et effectibus sacramenti Confirmationis... 403
Recapitulatio de effectibus Baptismi et Confirmationis. 410
CAPUT NONUM. — De cæremoniis et effectibus sacramenti Pœnitentiæ. 415
CAPUT DECIMUM. — De cæremoniis et effectibus Extremæ Unctionis 427
CAPUT UNDECIMUM. — De matrimonio christiano. 433
Benignitas Salvatoris in hoc sacramento instituendo... ... ... *ibid.*
Excellentia cælibatus et continentiæ 435
De vocatione ad matrimonium. 439
De officiis parentum circa primam prolis educationem 444
De matrimonio spirituali... 447

SECTIO III.

DE SACRAMENTALIBUS.

CAPUT DUODECIMUM. — De sacramentalibus in genere 456
CAPUT DECIMUM TERTIUM. — De quibusdam in specie quæ ad sacramentalia referuntur 465
§ 1. De aqua benedicta ... ... *ibid.*
§ 2. De candelis benedictis et de cereis.. ... 471
§ 3. De usu cinerum... 472
§ 4. De palmarum ramis... 475
§ 5. De eo quod vocatur « Agnus Dei » ... 477
EPILOGUS. 481

Typis Soc. Sancti Augustini, Desclée, De Brouwer et Soc.

Bruges (Belgique).

248.02
P445
47763
PETIT, S. J., ADULPHUS
AUTHOR
Templum Spirituale Sacerdotis.
TITLE Tomus I Et Tomus II.
Editio Secunda Elimata.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	